

NOBILIS IRA
AVITO VIRET HONORE



Polizianus (A.)

Arms of Stuart de Rothesay
on silk

FRIDERICI OTTONIS MENCKENII,

I. U. D. POTENTISS. POL. REGI ET ELECT. SAXON. A CONSILIIS AULAE, ET SOCIETATIS SCIENT. BORUSSICAE COLLEGAE,

HISTORIA VITAE

ET

IN LITERAS MERITORUM

ANGELI POLITIANI,

ORTU

AMBROGINI,

ITALORUM SEC. XV NOBILISSIMI, PHILOSOPHIAE, IURISPRUDENTIAE, GRAMMATICES, ET OMNIS DOCTRINAE ELEGANTIORIS, INSTAURATORIS FELICISSIMI, ATQUE OMNI LAUDE MAIORIS.

LIPSIAE,

VENDITUR IN OFFICINA GLEDITSCHIANA.

MDCCXXXVI.

Numi aenei ex Museo Caesareo, quod Vindobonae est.









Brühl sc. Lips.



PRAEFATIO.

Ulla gens tam barbara unquam, tamque expers omnis humanitatis et impolita fuit, ut civium ſuorum, quos conſtaret egregia atque incomparabili, dum viverent, domi militiaeque inclaruiſſe virtute, et quibus florem decusque ſuum unice acceptum referret patria, omnem cum morte eorum obliterandam memoriam, nec, quae feliciter illi, quaeque ſapienter et cum inſigni laude perfecerant, ad ſeram propaganda duxerit poſteritatem. Communis ea ſemper atque conſtans fuit omnium populorum opinio, exquiſita honorum genera deberi viris bonis et ad rei publicae natis commoda, defendendas ab oblivione hominum et aeternis inſculpendas monumentis res horum excellenter

et praeclare geſtas, et, quemadmodum illi per omnem vitam a vulgo ſegregarunt ſe longiſſime, ita ſingulare quoddam praecipuumque eorum poſt mortem eſſe decus gloriamque debere. Unde in excogitandis, quos optimis civibus decerneret, honoribus ingenioſiſſima antiquitas majorem pulchrioremque pro factis egregiis exſolvi illis haud poſſe mercedem putavit, quam ſi hoc efficeret opera, qua poſſet, ſtudioque omni, ut tam ad exteras disjunctiſſimasque regiones, quam ad venturas perennesque ſeculorum aetates omnes maximarum transmitteretur virtutum fama atque meritorum. Vivunt ad hunc diem, et in omnium verſantur ore magnifica illorum nomina, quorum inſignem probitate plenamque gloriae vitam, integritatem, magnitudinem animi, fidem, religionem, fortiſſima conatu, feliciſſima eventu opera, in capiendis conſiliis prudentiam, in exequendis conſtantiam, reliquasque virtutes prorſus ſingulares, loquuntur ſplendidis exornata titulis marmora, nulla exeſi rubigine lapides, ſtatuae nunquam collapſurae, ſignati votis ominibusque nummi, et, quae aere ferroque perenniora ſunt, literarum monumenta certiſſima, quae ipſa, utpote ab ultima hominum memoria ad praeſentem aetatem mirabiliter perducta, omnem jam evaſiſſe penitus viden-

tur

tur mortalitatem. In quorum dum nos defixi hacremus contemplatione, miramur honeſtatem priſcorum temporum, laudamus patrum noſtrorum eximium ac ſingulare de ſuae aetatis viris nobiliſſimis bene merendi ſtudium, horumque imitati dignisſimum laude inſtitutum, noſtri aevi gentisque homines praeſtantiſſimos aequali proſequendos honore, famamque eorum noſtris etiam amplificandam praeconiis, et ipſi, ſi qua ſperari poteſt, commendandam judicamus aeternitati. Nimirum tantum ea res ad rem publicam emolumenti habet,ut, quibus aliquis laudis alienae ſenſus eſt, nec deeſt ad recti bonique ſtudia generoſus ardor, his exquiſita egregiae virtutis ſuppeditentur exempla, in quae intuentes quotidie, ad ſimilem vitae nobiliſſimae laudabiliterque actorum gloriam contendant. Quod ſi enim *omne*, ut ait Tullius, (*) *factum, per ſe praeclarum atque divinum, expoſitum eſt ad imitandum, praeſertim cum illi*, quos nobilitavit tanti operis fama, *eam gloriam conſecuti ſunt, quae vix caelo capi poſſe videatur*; quis non videt, in eo praecipuam verſari curam noſtram operamque debere, ne, quae ſplendido geſta ſunt et magnifice, quaeque omnium merentur admirationem, ignota ſint hominum cuiquam, ſed publicis inſcripta tabulis, legi ab uno-

(*) in Orat. Philip. II Cap. 44.

quoque, et communi recte ſentientium comprobari queant ſuffragio. Nihil profecto excitare tam facile ſepultam in animis noſtris virtutem, excitatamve confirmare, aut ſuſcitare poteſt extinctam, quam poſita ante oculos noſtros aeterna maximorum virorum decora, pulcherrimaeque clariſſimorum civium imagines. Quemadmodum vero eorum, qui ſe ſuaque omnia rei publicae conſecrarunt commodis, et ob facta divina laude judicantur digniſſimi, genus varium eſt et multiplex, ſtrenue aliis fortiterque in bello, aliis prudenter, et ut civem decet, in toga res ſuas gerentibus; ita maxima cumprimis illorum habenda eſt ratio, nec parum ad florem patriae conferre putandi ſunt, qui omne vitae tempus verſati in artibus ingenuis, et quaſi alligati nobiliſſimis verae ſapientiae ſtudiis, horridis foediſſimisque errorum monſtris indixere bellum, oppugnandam ſibi barbariem, diſpellendas ſumſerunt ignorantiae tenebras, perditum literarum decus revocare in lucem et provehere altius, ingenia hominum expolire doctrinis, et imbuere veritatis virtutisque praeceptis, omnibus denique curis vigiliisque ſuis id laborarunt efficere, ut tam ad poſteros, quam cum quibus vivere ipſis datum eſſet, aliquis induſtriae ipſorum et doctrinae fructus perveniret. Qui ipſi, quo robuſtiora virtutis et

bonae indolis ſemina in animis hominum ſpargunt vel exemplo vel inſtitutione ſua, quoque latius ſe diffundunt eorum merita et egregii conatus, hoc digniori habendi in pretio, hocque majorem a poſteris utiliſſimi laboris inire gratiam videntur. Itaque ſic ego ſemper arbitratus ſum, honeſtiſſimam et ad gloriam magnorum hominum perquam accommodatam eos operam inſumere, qui, ut perpetua eſſet doctorum virorum apud bonos quosque recordatio, omnem in eo laborem ſtudiumque ſuum collocant, ut fata illorum, virtutes, doctrina, ingenium, mores, et quicquid meritorum fuit, protractum e tenebris, ſcriptisque conſignatum luculentis, ad ſempiternam pervenire poſſet memoriam, et in illuſtri poſitum monumento, abundantiſſimam unicuique laudis et admirationis materiam praeberet. Dici vix poteſt, quantum ad incrementa literarum conducat, quantumque rei communis interſit, illorum commemorari debitisque laudibus extolli doctrinam excellentem, quorum opera artes praecipuae et illuſtres ad ſummum evectae faſtigium, nitidiſſime efflorefcunt; neque parum profecto utilitatis habet, artificium illorum et virtutem, qua literarum negotia tractarunt, communicari cum ceteris, quorum foecundiſſimum quaelibet aetas proventum habet, Muſarum tironi-

bus,

bus, ea, quae praeclare magis, quam aperte gesta, aut mandata literis fuerant, quaeque fatum hinc effugere suum vix poterant, in clarissimam proferri lucem, quid novi attulerint ad amplificandum scientiarum decus, quibus praesidiis et adminiculis illam sibi nominis et doctrinae comparaverint existimationem, quos fortunae autores et conciliatores, quos famae laudisque aemulos nacti sint et obtrectatores, quid excuderint labore et consummaverint, quid agitaverint ingenio conficiendumque reliquerint aliis, in notitiam venire omnium, nec temporum injuriae penitus permitti abolendum. Habemus igitur, cur eam nobis gratulemur seculi felicitatem, quo ex sepulchris suis et profundissimis tenebris excitati praestantissimorum virorum cineres ad vitam quasi redeunt, et expressam nobis virtutis et doctrinae, qua inter suos olim inclaruerunt, repraesentant imaginem. Adeo nihil fere in commoda decusque literarum susceptum est unquam, aut excogitatum a politissimis ingeniis, nihil aeterna dignum memoria doctis absolutum curis vigiliisque, nihil gloriosum autori suo, salutare omni generi hominum, vel clam agitatum, vel dictum factumve palam, quod non pertinacissimis posterae aetatis laboribus aut vindicatum strenue ab interitu, scriptis-

ptisque comprehensum sit nunquam interituris, aut majori in dies opera nostra pristinae restituatur luci, et ex obscurissimis vetustatis eruatur monumentis. Conspirant eam in rem gentium, penes quas in honore sunt literae, plane omnium studia; idem omnibus ardor est justis ornandi elogiis clarissima doctorum civium nomina; quicquid de singulis singulae compertum habent, videas in commune conferri, pervolutari diligenter et accurate investigari immensos omnis aevi annales, a scriptoribus notitiam peti optimis quibusque, abditissima Bibliothecarum penetralia perquiri, nec ullis, quanti quanti sint, parci sumtibus, ut, quo quisque merito suo inter maximos aetatis suae fuerit olim numeratus, quaeque fuerint fata ejus, et fortunae vicissitudines, luculentis enarrari Commentariis, et gentibus late populisque omnibus legendum dari possit admirandumque. Quo etsi negotio cum animi quadam voluptate et oblectamento ii inprimis videntur perfungi, qui eadem, quam ipsi colunt, terra editis, ejusdemque gentis exceptis gremio, tanquam praeclaris patriae ornamentis, immortalitatem conciliare scriptis instituerunt; habent tamen et illi, quem ex labore suo sperare possint, fructum uberrimum, qui, ex suo magis quam patriae pretio virtutem aestimari de-

debere recte judicantes, nullo regionum aut populorum habito delectu, ut quemque maxime ingenio ſcientiaque excelluiſſe, et in omni ſtudiorum genere vident egregie verſatum, ita conſervandae ejus memoriae et perſequendis ſcriptura laudibus tempus operamque impendunt. Nos igitur, ubi nobis prodeundum foras, et aliquod ingenii noſtri, parum quidem exculti adhuc et elimati, ſpecimen edendum intelleximus, honeſtiſſimum et literarum, quas colimus, honori convenientisſiſimum, ut arbitramur, cepimus conſilium, manes memoriamque viri incomparabilis, et inſignem, dum vixit, multiplici doctrina celebritatem nominis conſecuti, ANGELI POLITIANI, gente AMBROGINI, patria Itali, ampliſſimis conſecrandi monumentis, et, quicquid ille ad decus et incrementa literarum attulit, plana perſpicuaque oratione commemorandi. Neque eam in rem temere coepimus animum cogitationemque convertere; verum, comparatis inter ſe tam noſtri quam ſuperioris aevi ingeniis permultis, iis nempe, quorum nondum compoſita accuratius exſtaret hiſtoria, in uno POLITIANO tam variam ſcientiarum fere omnium cognitionem deprehendere, tantumque dicendorum nobis viſi ſumus invenire apparatum, ut digniorem nullam nobilioremque, quam quae ex-

explicandis celebratiſſimi hujus Itali inſumatur laudibus, operam duxerimus. Fuerunt in eo non minus ſoli, unde natales duxit, et aetatis, qua caput extulit, quam ingenii, doctrinae, ſapientiae, et virtutis praerogativae tantae, quantas aut in nullo eruditorum unquam, aut in pauciſſimis certe, ſi quid judico, animadvertere liceat. Patriam POLITIANUS ſedemque fortunae habuit Italiam, illam ingenuarum artium literarumque elegantiorum communem olim parentem et altricem, quae ſicut innumeris olim floruit in omni doctrinae genere viris excellentiſſimis, et optimorum ingeniorum habita quaſi officina eſt, ita eo inprimis, quo tulit POLITIANUM, tempore incredibili eruditiſſimorum civium copia redundavit, nec ullam terrarum partem inſigni hac laude ſimilem ſui paremve habuit. Quae res etſi per ſe ipſa ſummae plena eſt gloriae decorisque, maximam tamen movere admirationem ei inprimis debet, qui nebuloſam illam caliginoſamque tempeſtatem, quae clariſſima haec tempora haud ita longe praeceſſerat, memoria repetit, ſimulque in animo ſecum conſiderat, quanti laboris et difficultatis, quanti etiam honoris res fuerit, emergere tam ſubito ex rudi et diuturna tot ſeculorum barbarie, ſordidasque inſcitiae maculas, quae jam in-

ſederant altius et inveteraverant in gentis olim celebratiſſimae nomine, tollere repentino quodam feliciſſimoque conatu, et ex intimis Italiae viſceribus penitus eradicare. Notiſſima hinc et immortali laude conſpicua ſunt illius aetatis nomina, FRANCISCUS PETRARCHA, qui primus caput proferre ex tenebris, et ſuo ſapere ingenio, purgatasque pulvere et ſordibus ſuis ad decus et nitorem ſuum revocare coepit artes ingenuas, et, qui gregatim perſecuti ſunt tanti viri veſtigia, FRANCISCUS POGGIUS, LAURENTIUS VALLA, FRANCISCUS PHILELPHUS, PETRUS CANDIDUS DECEMBRIUS, GASPARINUS BARZIZIUS, JACOBUS PICCOLOMINAEUS, JO. ANTONIUS CAMPANUS, FRANCISCUS BARBARUS, LEONARDUS ARETINUS, NICOLAUS PEROTTUS, MARSILIUS FICINUS, PHILIPPUS BEROALDUS, JO. JOVIANUS PONTANUS, POMPONIUS LAETUS, NICOLAUS LEONICENUS, CHRISTOPHORUS LANDINUS, DOMITIUS CALDERINUS, M. ANTONIUS COCCIUS SABELLICUS, HERMOLAUS BARBARUS, JO. PICUS, BAPTISTA GUARINUS, LUDOVICUS ODAXIUS, ANTONIUS CODRUS

DRUS URCEUS, MATTHAEUS BOSSUS, ALDUS MANUTIUS, GEORGIUS MERULA, PETRUS CRINITUS, SCIPIO CARTEROMACHUS, et ſi quos alios ex Italorum gente ſub auſpicatis illis renaſcentium literarum temporibus communi ardore in reficienda amplificandaque muſarum dignitate deſudaſſe conſtat. Quorum cum alii hoc ſibi datum exiſtimarent, ut in Philoſophorum veterum inquirerent doctrinas, eorundemque de excolendis ingeniis et imbuendis rerum optimarum cognitione animis praecepta inſtillarent diſcipulis ſuis, alii abderent ſe profundius in elegantiſſimas quasque diſciplinas, et novum quid proferre in lucem meditarentur, alii memorabiles omnium ſeculorum gentiumque hiſtorias ex annalium vetuſtate eruerent, et literarum commendarent monumentis, alii denique antiquum patrii ſermonis decus et majeſtatem ex veteri arceſſerent Latio, graviſſimos venuſtiſſimosque aureae aetatis ſcriptores manibus retractarent, barbaras linguae deformitates, horridas illas peregrinarum gentium reliquias, Romanae civitatis finibus longius propellerent, ſuoque Romam ſermone loqui, ſuae aſſueſcere elegantiae, ſuae docerent gravitati; inter pauciſſimos inventus eſt POLITIANUS, qui ſingula haec plurimarum diſciplinarum ſtudia

 felici

felici complecteretur ingenio, nec minori cura et induſtria Platonis Aristotelisque libros verſaret amplisſimos, interituras prope ſcrutaretur omnis generis antiquitates, et artibus plerisque egregia afferret incrementa, quam literas illas ſuavisſimas, quibus jucundum ab humanitate nomen eſt, Romanaeque eloquentiae honorem in ſupremum, unde dejectus fuerat immerito, reducere conaretur faſtigium. Expoſita ſunt omnium oculis pulcherrima ingenii ejus monumenta, habemus Epiſtolas compoſitisſimas, Orationes exquiſitis conſperſas verborum ac ſententiarum floribus, mirae gratiae et venuſtatis carmina, terſe et eleganter converſos in Latinum complures ſcriptores Graecos, habemus non adeo jejunas ejus de Philoſophia ejusdemque praecipua parte, Dialectica, meditationes, habemus diligentisſime elaboratos et aureos vere in Autores tam Graecos, quam Latinos, Commentarios, denique criticas multas in omne Jus Juſtinianeum notas et obſervationes, in libris ejus pasſim obvias, et bonae frugis plenisſimas. Quae omnia ſicut ab unoquoque, cui ſapere ultra vulgus datum eſt, cum inſigni voluptate et fructu leguntur, non minus obſtili, qui ſui ubique ſimilis apparet, nitorem et ornatum exquiſitisſimum, quam rerum, quae in illis tractantur,

tur, doctisſimarum delectum; ita mihi ipſi, cum primum aliquid temporis ponere coepi in pervolutandis aeſtimandisque optimae notae ſcriptis hiſce, tantam ſtatim injectam fateor viri ſummi admirationem, ut, ſi quenquam alium, hunc ipſum maxime, hujus in dicendo virtutes et artificium, hujus veneres et lepores imitandos mihi exprimendosque ſumſerim. Nolim vero, exiſtimes, primo mihi perſpectam in POLITIANO illam doctrinae ubertatem et praeſtantiam, famamque ejus in aliorum ad hunc usque diem ignoratione verſatam. Ea ſemper omnium, quos aliquis cepit literarum amor, communis vox fuit, POLITIANUM aetatis gentisque ſuae eximium fuiſſe decus, et, ſi non ſingulorum, quotquot unquam laudabilem in quovis eruditionis genere poſuere induſtriam, ſuperaſſe gloriam dicendus ſit, hanc tamen prae multis aliis ſingularem laudis habere praerogativam, quod in illa, quae ſatis adhuc regnabat per Italiam, barbarie, cum duces, quos ſequeretur, fere nullos, comites haberet conſilio admodum diſſonos, ſolis ingenii ſtudiique inſtructus adminiculis, ad eam, aetate parum provecta, pervenerit haud vulgaris doctrinae maturitatem, quam in hac clarisſima artium et ſcientiarum luce per omne vitae ſuae curriculum aſſecuti ſunt paucisſimi. Unde

nec

nec mirum adeo, inventos jam ante nos eſſe viros honeſtos et memoriae POLITIANI amicisſimos, qui, turpe exiſtimantes, tot egregia manibus noſtris verſari ANGELI opera, nec de fortuna hominis, aetate, natalibus, fatis, diſciplina, laboribus, variisque inclareſcendi modis, quenquam eſſe ſolicitum, ſeſe enarrandis univerſis Itali hujus rebus domeſticis accingerent, memorabilemque ejus, quantum poſſent, diligenter ex illorum temporum concinnatam monumentis, cum literato orbe communicarent hiſtoriam. Ut taceam enim, vix ullum, ſive de Italae et Florentinae inprimis gentis re literaria virisque doctis, ſive de reſtituto illa aetate literarum ſplendore, ſive de illuſtribus Grammaticis, et Oratoribus eloquentisſimis, exſtare ſcriptorem, qui non honorificam POLITIANI injecerit mentionem; primus, ſi recte memini, qui ſingulari libello vitam, merita, laudesque ANGELI complecteretur, fuit DANIEL GUILIELMUS MOLLERUS, Hiſtoriarum et Metaphyſices olim in Academia Altorfina Profeſſor haud ignobilis, et ob editas inprimis multorum tam veteris quam recentioris aevi doctorum virorum hiſtorias laude ſua non defraudandus, qui *de A. Politiano* Diſſertationem e cathedra defendit Altorfii A. 1698, quam, utpote rarius jam obviam,

viam, laudabili inſtituto, FRIDERICUS ROTH-SCHOLTZIUS, Norimbergae agens, et varii generis libellis aliquem inter eruditos jam locum occupans, cum reliquis Autoris *de Claris Hiſtoricis* Diſſertationibus, numero quinquagenis, denuo ſubjicere prelo deſtinaverat, ejusque rei fidem dederat in ſpecimine laboris hujus, Norimbergae A. 1726 vulgato, ſed, aliis forte diſtrictus curis, nondum, quod ſcio, promisſis ſatisfecit. MOLLERUM ſecutus eſt paucis annis poſt maximi nominis Criticus et Philologus, felicisſimusque rerum hiſtoricarum indagator, PETRUS BAELIUS, cujus amplisſimam rebusque optimis et doctrina multiplici refertam *de Vita & moribus Politiani* Commentationem habemus in *Lexici*, quod ſtupendo labore emiſit vir incomparabilis, *Hiſtorici atque Critici* editione altera, anno ſeculi praeſentis primo publici juris facta, ejusque Tom. III a pag. 2340 ad 2345, quae ſicut autorem ſuum haudquaquam disſimulat, nec vulgarem ſapit eruditionem, ita in detegendis inprimis aliorum erroribus, et vindicanda ab injuriis obtrectatorum quorundam exiſtimatione POLITIANI, tam ſtudium inſigne, quam eximium ac ſingulare prorſus ingenii acumen oſtendit. Neque ſic exercuiſſe ſatis calamos eruditorum videbatur nobilis-

 ſimum

ſimum de laudibus POLITIANI argumentum, ſed eidem poſt BAELIUM, interjecto aliquot annorum intervallo, manum operi admovit vir clariſſimus, WERNERUS JACOBUS CLAUSIUS, in ſchola, quae Magdeburgi floret, Con-Rectoris muneri praefectus, et adhuc, ni fallor, in vivis conſtitutus, qui, de MOLLERI BAELIIque laboribus nihil aut parum admodum, ut videtur, compertum habens, cum, lectis POLITIANI ſcriptis limatiſſimis, captum ſe vehementi quodam viri amore ſentiret, coepit ex tenui, quae ſuppetebat ipſi, ſcriptorum ſupellectile colligere res ejus maxime memorabiles, vulgo cognitas, et, quicquid diſperſum paſſim de doctrina et ſcriptis POLITIANI invenerat, in ordinem redegit, ſtiloque compoſitum non inconcinno, edidit ſub titulo: *Politianus, ſive de Angeli Basſi Politiani, Canonici olim Florentini, atque ingeniorum aetatis ſuae facile principis, Vita, ſcriptis, et moribus liber, Magdeburgi, A. 1718*, in forma, quam octavam vocant; cui adjectum eſt ad calcem Programma ejusdem Autoris ſcholaſticum, foras datum Magdeburgi A. 1712, ubi breviter ſtrictimque viri immortalis fata laudesque commemorantur, copioſius vero ea ediſſeruntur, quae ad diluendum deforme Atheiſmi crimen, in cujus ſuſpi-

ſuſpicionem apud credulos quosque de vulgo adductus eſt immerito POLITIANUS, quoquo modo ſpectare videbantur. Itaque in tanta Scriptorum et Hiſtoricorum, qui qualemcunque Itali noſtri hiſtoriam et praecipua ejus de liberaliori doctrina merita ſcriptis expoſuerunt, copia et multitudine, dum nos denuo, nulla adhuc ingenii et egregie actorum laude conſpicui, neque cum viris illis excellenter doctis ulla ratione comparandi, in eundem exſpatiari dicendorum campum, et in eodem ſcribendi genere experiri vires noſtras, apud animum induximus; fore, praevidemus, ſat multos, qui, non niſi ex rubro Diſſertationis de omni labore noſtro exiſtimantes, in eam ſtatim deveniant ſententiam, cocta ſaepius et recocta Lectoribus noſtris fercula apponi, remque nos ſuſcepiſſe hoc minori labore et difficultate perficiendam, quo plures antea in eadem deſudaverant viri doctiſſimi, quorum ſcriptis egregiis ut plenius quid lucubratiusque proferremus in lucem, a noſtro vix ſperandum ſit ingeniolo. Videbamur igitur majorem ab his ipſis, quicunque fuerint, inituri gratiam, acceptioremque illis praeſtituri operam, ſi, repreſſo, qui ad praedicandas digniſſimi noſtris praeconiis POLITIANI virtutes nos duxerat, impetu, in aliorum, quos vel

proxima noſtris, vel vetuſtiora tulere tempora, et quorum facta praeclara magis noſtra indigere viderentur commemoratione, virorum deſcenderemus ſepulchra, et ſacris illorum manibus quaedam poneremus monumenta, aut, neglecto plane hoc ſcriptionis genere, quod publici, ſunt, qui negant, ſaporis eſſe, in alio quovis, ex cujus cognitione aliquis ad lectores redundare fructus poſſet, argumento pertractando laborem tempusque noſtrum conſumeremus. Qui, viri boni ceteroquin, ſicut hoc ipſo ſatis declarabunt, quam parum addicti ſint rebus noſtris; ita, tunc demum benignius judicaturos de inſtituto noſtro, ſperamus, ſi, quod dabunt, opinor, precibus noſtris, nulla rubri, quod dedimus libello huic, habita ratione, aliquam temporis particulam lectioni opellae noſtrae impendere, quaeque nos congeſſimus de vita, moribus, doctrina, ſcriptisque POLITIANI, contendere cum iis, quae a Triumviris illis memoriae ſunt prodita, haud fuerint gravati. Intelligent profecto, non ita, quae de hoc argumento dici poterant, exhauſta olim fuiſſe a viris diligentiſſimis ſingula, ut non afferri a nobis talia potuerint, quorum nulla prorſus facta ab illis fuerat mentio, non ita omnia emendate dicta et circumſpecte, non ita ſolicite aliorum ſcriptorum

caſti-

caſtigatos ab iis errores eſſe, ut non multa ſatis, quae in clariorem poneremus lucem, et invenuſtis pro virili parte purgaremus fabularum ſordibus, noſtrae relicta fuerint induſtriae. Quae ſi hic cum aliqua ingenii noſtri oſtentatione, aut cum clariſſimorum Scriptorum jactarentur contemtu; haberent utique, quotquot haec legunt, cur objurgarent nobis hanc dementiam, et juvenilem indignati audaciam noſtram, penitus removerent oculos ſeque totos a lectione libelli noſtri averterent. Nolim vero, cuiquam veniat in mentem, ita nos gloriae noſtrae eſſe ſtudioſos, et faſtidioſe ſpectare alienam, ut ſua MOLLERUM, BAELIUM, CLAUSIUMque deſtituendos laude putemus, et, quicquid illis famae decorisque partum eſt ex publicis his doctrinae feliciſſimique ſtudii documentis, in nos unice derivandum transmittendumque exiſtimemus. Quin, ſi dicendum, quod res eſt, haud pauca, ſive inſtitutum, et, quem ſecuti ſunt in dicendo, ordinem, ſive rerum, quas commemorarunt, optimarum copiam ſpectes, ita, fateor, in eorum Commentationibus eſſe comparata, ut in rem noſtram egregie converti, et noſtrae Diſſertationi non ſine fructu quodam potuerint inferri. Quid vero tam egregium unquam, tamque omnibus numeris abſolu-

 tum

tum humano prodiit ingenio, quid tam elaboratum arte, tam expolitum doctrina, exſtitit, cui non, quod adderent, vel ii ipſi invenerint, quibus parum in rebus ſublimioribus videre datum eſt? Quod, ſi in ullo doctrinae genere, in eo maxime ſolet contingere, quo rerum ante nos geſtarum hiſtoriae, ex ſcriptoribus omnis aevi et annalibus depromtae, communicantur cum poſteris, ubi, quo quis majori inſtructus eſt optimorum ſcriptorum copia, quo pleniora inde, quoque certiora haurire, et proferre in lucem poteſt, hoc melius feliciusque Hiſtorici videtur munere defunctus. Videbatur ergo aliqua laudis particula, quæ nondum occupata eſſet a ſcriptoribus, ante nos in hoc ſcribendi verſatis negotio, nobis ipſis relicta, ſi, quod ſub initium laboris ſevere nobis imperavimus, neglectis, quibus hiſtoriam Itali noſtri miſere contaminarunt cupida fabularum ingenia, inſulſis et cuivis vel obiter legenti ſtatim ſuſpectis narratiunculis, unde maximum exiſtimationi POLITIANI, ſuperiori aetate, qua primum confictae ſunt, imminebat periculum, certiorem verioremque ex limpidiſſimis fontibus, probatioris nempe fidei ſcriptoribus, de re quaque optime edoctis, atque ſingulari tam aetatis, quam loci et opinionis, praerogativa conſpicuis, peteremus notitiam, in ipſa

PO-

POLITIANI urbe altrice, nunc florentissima, omnes exquireremus Bibliothecarum et tabulariorum arculas abditissimosque recessus, non cuilibet reclusos, quaeque ibi servata religiose, et, tanquam aeternum mansura, literis essent consignata, iis uteremur in rem nostram, a veris hinc distingueremus commentitia, tum, quae tradita accurate essent ab aliis, et dubitationi nulli locum relinquerent, cujuscunque demum generis essent, sive laudi cederent Italo nostro, sive opprobrio, fortioribus fulciremus rationibus, ea vero, quae vel partium quodam studio, vel comminiscendi et intempestive somniandi pruritu, vel ineptis demum suspicionum delirationibus, et conjecturis misere formatis, disseminata latius a scriptoribus et circumlata sermonibus vulgi intelligeremus, maximam partem in dedecus POLITIANI excogitata, fortissimis refelleremus argumentis, nihil temere vel pro fama POLITIANI, vel contra diligentissimorum Historicorum autoritatem laborantes, nec nostro quicquam tribuentes ingenio, sed eam maxime in partem inclinantes judicio nostro, quo evidentissima argumentorum nos ducerent pondera, res dubias in dubio relinquere, et sagacioribus permittere dijudicandas, satius existimantes, quam fabulas et com-

commenta amplectendo, tam nobis ipſis, quam Lectoribus inprimis noſtris male imponere. Quae omnia num ita re ipſa a nobis ſint praeſtita, ſicut fuerat nobis conſtitutum, et omnino fas fuit ad argumentum ſcribendi hiſtoricum converſis, benevoli Lectoris erit judicare. Neque vero noſtri tantum ea res fuit ingenii; ſed, cum ſuave ſemper jucundumque nobis fuerit, a doctiorum pendere auctoritate, in hoc etiam negotio tales in conſilium viros adhibuimus, quibus ad promovendum laborem noſtrum humanitatis ſatis, et ad inſtruendos nos ea in re meliusque erudiendos ſatis eſſet doctrinae. Etſi enim, inſumtum hic aliquid operae a nobis ipſis eſſe, vel tacentibus nobis, quilibet facile intelligit; ingenue tamen fatemur, alia plane facie, alio habitu, proditurum fuiſſe hoc, quicquid eſt ſcriptionis, ſi, quaecunque dicta hic ſunt et in ordinem redacta, promere ex nobis ipſis, nec niſi noſtrum in componenda maximi literatorum hiſtoria neceſſe fuiſſet ſequi arbitrium. Quin potius, ſi quid huic libello frugis ineſt, id maximam partem illis, velim, Lector referat acceptum, qui, amici muſis noſtris, non ſolum prudentisſima inſtitutione adjuverunt labores noſtros, ſed ipſi etiam manum admoverunt operi, optima quaeque, Commentationi noſtrae inſigni futura ornamen-

namento, benigne ſuppeditantes nobis, aliorum etiam hinc atque illinc conciliantes nobis voluntatem & benevolentiam, interdum de ordine dicendorum, & ipſa ſcribendi ratione, aut de rerum commemorandarum delectu, et refutandis Scriptorum commentis, ſua nobiscum conferentes conſilia, de univerſa denique opella noſtra modis omnibus præclariſſimeque promerentes. Idque adeo in maxima nos felicitatis noſtræ parte reponimus, quod viri honeſtiſſimi, & in hoc doctrinæ genere egregie verſati, quoscunque ſive coram, ſive per literas, certiores fecimus de inſtituto noſtro, omnes uno quaſi animo conſpirare viſi ſunt ad conjungendas nobiscum curas & labores ſuos, &, ſcrinia ſua omnia arculasque nobis recludendo, noſtrum magis magisque ſtudium induſtriamque confirmarunt. Quos, amiciſſimos nobis viros, ſive in ipſa urbe noſtra Lipſia, ſive aliunde, nobis conciliatos, hic nominare ſingulos, & condignis proſequi præconiis, ut jubet vehementerque cupit noſtra pietas, ita ſevere prohibet inuſitata eorum, & laudis publicæ prorſus impatiens, modeſtia. Uni tamen ex his, præclariſſimi nominis viro, qui, natus ad omnem honeſtatem, & ad amplificandum literarum honorem unice intentus, oportuno tempore muſis noſtris amicus contigit, impe-

trare a me nullo modo possum, quin pro multis, iisque minime vulgaribus, officiis, hac occasione liberaliter mihi præstitis, publicum grati animi hic monumentum erigam. Cujus maximam & singularem prorsus humanitatem admirari vix satis possem, nisi ea scirem patria oriundum, quam inter omnes constat a primis fere initiis suis honestissimorum civium fuisse feracissimam. Est is PETRUS GIANNONIUS, Neapolitanæ olim Reipublicæ insigne ornamentum, nunc in Venetorum Republica causarum Orator disertissimus, & præstantissimis illis Historiæ Neapolitanæ Commentariis insignem jam dudum doctrinæ excellentis famam consecutus, cujus eximium de iis omnibus, qui literis operam navant, bene merendi studium jam pridem, quotquot adeundi ejus copiam habuere, maximo cum fructu suo & oblectamento sunt experti. Horum nos excitati exemplo, & quadam animi nostri confirmati fiducia, omnem in Viri optimi humanitate ponere spem cœpimus, dedimusque ad eum literas, tales quidem, quales esse debebant eorum, qui opem alienam in re dubia & laboris plena implorare necesse habebant. Quibus cum negotii, quod nobis ipsi dederamus, rationes ei omnes successusque exponeremus,

remus, &, ſi qua ſuppeterent ei, utpote rerum patriarum peritiſſimo, quæ eſſe poſſent e re noſtra, ea in decus gloriamque aliquam gentis ſuæ nobiscum benevole communicaret, contenderemus ab eo verecundius; ille, tanquam exultans, ad nova ſe invitatum in exterorum literas merita, redire ſtatim ad nos juſſit nuntium, qui, valde ſibi placere conſilium noſtrum, &, ut intelligeremus, muſas noſtras ſibi fuiſſe commendatiſſimas, nihil ſe intentatum relicturum, certiores nos faceret. Quin ita ſe noſtri amantem, ita noſtri ſtudioſum, præbuit, ut ad literarum jucundiſſimum commercium nos admitteret, cujus ea in nos redundarent commoda, ut, ſi quid ex copioſiſſima doctrinæ ipſius expectari poſſet ſupellectile, illud libere nobis atque noſtro quodam jure poſceremus exhiberi. Eo ex tempore omnia nobis ſucceſſere ex voto, nec, quod in ſuſcepto negotio nos remorari amplius potuerit, obveniſſe nobis quidquam recordamur. Intelleximus ſcilicet exemplo noſtro, quam bene conſultum ſit iis, quibus curæ ſunt literæ, ſi ad hominum fama & doctrina illuſtrium ſe penitus auctoritatem & conſilia componant. Ut enim nihil jam memorem de iis, quæ ipſe de fatis meritisque POLITIANI, ex optimis conquiſita Scriptoribus, bene

multa ad nos misit; in eo inprimis rem præstitit laude publica dignissimam, & nostram sibi fidem in perpetuum adjunxit, quod eruditissimos quosque Italorum, quibus ipse utitur familiarius, longo quamvis locorum intervallo a se disjunctos, eo adegit literis precibusque suis, ut, quæcunque vel ipsi in promtu haberent, vel in varii generis, sive manu exaratis, sive jam dudum publicatis, hic locorum non adeo obviis, Scriptorum legerentur monumentis, ea, collecta diligenter, conferrent in rem nostram, nobisque liberaliter permitterent utenda. Principes in his fuerunt JOANNES A-CAMPORA, & doctissimus ipse, & doctorum omnium communis quasi in Italia Mæcenas, sed incredibili literarum jactura ante aliquod tempus e vita egressus, & venerabilis Florentinæ civitatis Abbas BOTTARUS, quem doctrina incomparabili scriptisque compositissimis summorum virorum laudem aequare, uno ore ingenui elegantioris scientiæ æstimatores fatentur omnes. Ita factum est præstantissimi GIANNONII nutu & auctoritate, ut, quod ipse contendere a viris celeberrimis nunquam fuissem ausus, id, ne rogati quidem, perquam libenter & officiose præstarent, plenasque rerum optimarum ad nos

literas

literas darent, eam in his omnibus curam adhibentes & induſtriam, qua, ſi rem ipſi ſuam gererent, vix ab iis adhiberi poſſe major videatur. Hoc igitur, ſi quidquam aliud, cavendum jam nobis diligenter intelligimus, ne & apud ingratos videantur illi tantum poſuiſſe beneficiorum, & nullus prorſus ex tam inſigni humanitate ad ipſos gloriæ laudisque fructus redundet. Erunt vero, qui ſatis a nobis datum noſtris partibus exiſtiment, ſi levi ſaltem & ſimplici, quam injecimus hic, tam propenſæ voluntatis mentione id effecerimus, ut, quisquis aut noſtratium aut exterorum hominum, ſi forte ad hos etiam perveniat libellus noſter, incidat in lectionem eorum, quæ concinna parum oratione hic a nobis ſunt memorata, ſponte ſua in tam ſpectatæ virtutis admirationem converſus, iſta Italiæ decora laudibus præconiisque omnibus majora judicet. Quod ſi fuero aſſecutus, impenſe gaudebo, afferri aliquid a nobis ipſis ad maximorum virorum ſplendorem & dignitatem potuiſſe, neque tamen aſſentationis cujusdam, a qua ſemper fuimus quam alieniſſimi, nos incurriſſe ſuſpicionem. Liceat jam, quod ipſum pietas poſcit, vel duobus verbis ſalutare fratrem meum, CAROLUM OTTONEM, apud Italos nuper, nunc apud

Gallos, peregrinantem, atque ita peregrinantem, ſicut ego futurum olim ex patriæ partim, partim orbis eruditi, inſigni commodo fructuque ominor. Qui, ut ſedulus huc usque, quod ſatis mihi certo conſtat, eorum, quæ ſunt memorabilia inter exteros, obſervator, ſpectatorque curioſus, fuit, & invidendas undique divitias collegit, has in patriam aliquando redux magno fœnori poſiturus, ita nec mei, quod lætus ſcribo, rationem nullam habuit, ſed, oportunam de rebus meis præclare merendi in Italia occaſionem nactus, POLITIANUM hunc noſtrum, ubicunque locorum degeret, in commendatiſſimis ſibi habuit, eidemque ex illuſtriſſimis Italorum Bibliothecis ornamenta varia, nec ea vulgaria, paravit. Quæ etſi ſingula hic nominari, nec locus iſte, nec ipſa fratris modeſtia, patitur, non tacebo tamen, quod præcipuum mihi ac longe gratiſſimum a fratre optimo munuſculum venit, eruditiſſimas binas HENRICI BRENCMANNI, clariſſimi olim Ultrajectinorum Jureconſulti, ſed tunc temporis inter Florentinos viventis, ad Jureconſultum æque nobilem, CORNELIUM DE BYNCKERSHOEK, Epiſtolas, Florentiæ A. 1710 ſcriptas, de vita & meritis POLITIANI commemorantes bona multa ac ſingularia, nec in ipſa *Hiſtoria Pandectarum* BRENCMANNIANA, cujus Caput

put integrum de rebus POLITIANI ample & copiose agit, diligenter ita exposita. Quarum apographum cum esse in manibus eruditissimi Viri, ALEXANDRI POLITI, Græcarum literarum in Academia Florentina Professoris & doctrina, & scriptis, nobilissimi, intelligeret Frater, ab hujus facile humanitate impetravit, ut illarum sibi copiam faceret, nec legendas tantum, sed in meos etiam usus transscribendas, mittendâsque Lipsiam, permitteret. Quo nomine multas Viro præstantissimo publice hic gratias persolvo, & amicissimos ei volo, quicunque sunt Lectorum nostrorum, non solum ob id, quod præter seculi morem liberalis & humanus fuit, sed ob id inprimis, quod Epistolas obtulit bonæ frugis plenissimas, unde, quam sint egregia, quæ cognoscere mihi licuit, ipsam inspicienti opellam nostram unicuique patet.

Paucis jam, Lector, dicendorum, quem secuti sumus, ordinem, ejusque accipe rationes. Nimirum dedimus operam, ut eo inter se nexu cohærerent singula, quem ipsius, quod pertractandum suscepimus, argumenti natura & indoles suppeditaret. Insistentes igitur vestigiis eorum, qui ante nos dudum ad componendas eruditorum virorum historias conversi sunt, ita instruximus laborem nostrum, ut primum ipsam POLITIANI vitam, præclaris admodum factis, & excellentis doctrinæ pulcherrimis speciminibus, memorabilem, oratione exponeremus plana atque dilucida, inde a præposteris Scriptorum quorundam accusationibus vindicaremus famam ejus, nec dissimulantes quidquam, in quo vel integra, vel quodammodo suspecta, nobis videretur causa ejus, omnia ad veritatis severam legem exigeremus, deinde luculentum singulorum, quæ tam Latino, quam vernaculo, Noster sermone composuit, aut meditatus est saltem, scriptorum indicem subjiceremus, &, quæ nostra, quæ aliorum, de iis sit sententia, strictim & pro ingenii nostri modulo exponeremus. Duabus adeo omnem libellum nostrum vides Partibus absolvi,

qua-

quarum altera Itali nostri fata, doctrinam, & mores, persequitur, famamque ejus ab obtrectatorum calumniis liberat, altera scripta, ejus percenset, &, quo æstimanda hæc sint pretio, te docet. Quem ordinem etsi præfinitum nobis ab initio habuimus, factum tamen est postea in laboris nostri cursu & progressu ipso, ut, quæ suo quodam jure reservanda in *Sectionem secundam* videbantur, eorum multa, poscentibus ita rerum argumentis, etsi quodammodo invitis nobis, in *Sectionem priorem* migraverint; cujus rei hoc promtiorem ab æquo Lectore impetraturos nos veniam speramus, quo facilius cuique patet, de optimorum virorum doctrina & meritis, nisi qui ante oculos posita horum scripta habeat, apte dicere haud quemquam posse. Vastum vides & magnæ molis opus parari, sed cui unus materiam POLITIANUS dedit, non nostris, ut vides, temere præconiis, sed suis meritis, ornatus, copiosis sane, & cum multiplici conjunctis gloria. Age ergo, si quid nobis aut ingenii natura datum est, aut facundiæ arte comparatum, id sponte lubentesque ad ornandas præstantissimi Italorum virtutes conferamus, &, quem suus olim splendor in admiratione omnium posuit, ab eo rectioris doctrinæ sapientiæque non vulgaris nos ipsi cum seris posteris exemplum capiamus. Obtestamur autem Lectores nostros, ad lectionem libelli nostri frontem explicatam & animum afferant æquitatis in judicando, quam rigoris, studiosiorem, ne, quæ ægre se submittunt morosis malevolorum judiciis, musæ nostræ ad suas statim, unde nuper exiere, redire tenebras cogantur. Jam jam defixæ in legentium hærent oculis, & ex illis certissimum futuris suis laboribus, gravioribus forte, & in nobiliori occupatis studiorum genere, omen capiunt. Tu, quisquis POLITIANUM amas, non poteris non amoris hujus nobiscum partem aliquam communicare. Nobis, dummodo amemur, vel unius POLITIANI causa amari, satis erit.

DIS-

DISSERTATIONI DE ANGELO POLITIANO PRÆMISSA,

DOCTORUM VIRORUM DE MERITIS ET EXCELLENTI DOCTRINA POLITIANI TESTIMONIA. *

JO. PICUS in *Epistola ad F. B. C. Th.*

Politianus meus, deliciæ totius literaturæ, tibi adscribi salutem jubet.

JO. TRITHEMIUS in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum p. 166. A. B.*

Angelus Politianus, vir undecunque peritus atque doctissimus, Grammaticus celebris, Philosophus, Orator, & Poeta insignis, Græco & Latino ad perfectum instructus eloquio, ingenio excellens, qui sua eruditione & doctrina Italiam multo tempore illustravit.

JOSEPH. JUST. SCALIGER in *Castigationibus Catullianis p. 75.*

Marullus ridet Politianum, virum non solum se majorem, sed & nullo nostræ ætatis inferiorem.

FRANCISCUS FLORIDUS SABINUS in *Lectionibus Subcisivis Lib. I. Cap. 5.*

Divinum Angeli Politiani ingenium summamque eruditionem magnopere

* En tibi, Lector, incomparabilis doctrinæ, cujus quaqua terrarum parte laudem consecutus est POLITIANUS, tot fere testes, quot viros tulit ætas vel nostra, vel quæ nostram antecessit proxime, judicio graves ingenioque summos atque admirabiles. Quorum suffragatio si quid habere ponderis & momenti potest, illud me impetraturum a Lectore vel sat moroso alioquin confido, ut æquo animo ferat hoc quicquid mihi positum est studii & laboris in enarrandis laudatissimi POLITIANI de universa doctrina meritis.

gere semper sum admiratus, & quoties in ejus mentionem incidi, (incidi autem quam sæpissime,) satis per se commendatum virum iis laudibus ornavi, quibus maxime potui. Cujus sententiæ tam me non pœnitet, ut illum cum præstantissimis scriptoribus, quos recentiores vocamus, optimo jure collocandum, multisque antiquioribus vel æquandum, vel præferendum ducam. Siquidem & plures egregii viri præclaræ lucubrationes extant, & doctis omnibus, (quod est procul dubio nasuto nostro seculo mirum,) vehementer probantur, &c.

MARSILIUS FICINUS in *Apologia, libris de tuenda valetudine subjuncta.*

Tu vero, Guicciardine carissime, ito nunc, ito alacer, Politianum Herculem accersito. Hercules quondam, ubi periculosius certandum foret, vocitabat Iolaum, tu nunc similiter Herculem. Nosti profecto, quot barbara monstra, Latium jam devastantia, Politianus Hercules invaserit, laceraverit, interemerit, quam acriter expugnet passim, quam tuto propugnet. Hic ergo vel centum Hydræ capita, nostris libris minitantia, contundet statim clava flammisque comburet.

PETRI CRINITI *Monodia de laude Ang. Politiani,* quæ legitur in ejus *Carmin. Lib. I. p. m. 525.*

Siren, relicto Daunio,
Quærebat, ubi consisteret;
Diuque vagula devolans,
Accessit amnem lassula
Arni fluentis leniter:
Et commorata satis, iter
Parabat inceptum sequi.
Sed ecce dum vaga subvolat,
Audit repente rem novam,
Novosque numeros, & nova
Carmina canentis Angeli.
Itaque statim in labra convolat
Dulci lepore perlita:
Et inquit: hic libet agere,
Hic, hic morabor sedulo:
Ubi Gratiæ, decor, & Venus
Tam blanditer simul canunt,
Carmenque fundunt aureum.
Tu nunc valebis, Daunie.

DESIDERIUS ERASMUS in *Epistola ad* UDALRICUM ZASIUM, *Lib. XII. Ep. 7.*

Politianicam illam Venerem ac delicias mire referre videtur, cujus viri ingenio semper ita sum delectatus, ut nullius æque.

IDEM in *Epistola ad* GUIL. BUDÆUM.

Hermolaus Barbarus & Angelus Politianus, egregii heroes, & omnium consensu prorsus inimitabiles.

IDEM in *Ciceroniano. p.m. 360.*

Fateor, Angelum prorsus angelica fuisse mente, ad quodcunque scripti genus applicaret animum.

IDEM in *Adagiorum Chiliade II. Centur. 9.*

- - - ut arrepta veluti censoria virgula non solum de ceteris scriptoribus magna judicet auctoritate, verum etiam Angelum Politianum, virum modis omnibus & incomparabilem, & inimitabilem, ceu præceptor quispiam flagellet & emendet.

IDEM in *Libro de Conscribendis Epistolis.*

Si quis omissis Græcis patiatur quemque ullo in genere anteponi, M. Tullio, Cajo Plinio, & Angelo Politiano primas detulerim.

IDEM in *Vita Hieronymi.*

Eximios viros nostra vidit ætas, & qui ne Ciceronis quidem seculo inter elingues habiti fuissent, quorum præcipui sunt, Laurentius Valla, Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, & noster Rod. Agricola.

LUD. VIVES *de Conscribendis Epistolis.*

- - Joannes Picus & Angelus Politianus; magni hujus verba facile complectaris, & exosculeris, illius non possis non probare; ille sententiarum pondere & sanctitate dictionis excellens, hic acumine & festivitate amabilis.

IDEM *Lib. III. de Tradit. Discipl.*

Politianus elaboratus, verba ejus bona, & usui communi apta.

IDEM *ibidem.*

Politiani Musæ plurimum suavitatis habent, multo sale, argutiis, Veneribus conditæ.

GUIL. BUDÆUS *Lib. V. de Asse.*

Politianus, vir memoria nostra optime doctus in utraque lingua.

JO. FRANCISCUS PICUS in *Vita Jo. Pici.*

Literario amore sibi potissimum devinxit Angelum Politianum, virum Græce Latineque doctissimum.

JO. BAPT. EGNATIUS in *Notis ad Suetonium.*

Quod monumentum cum primus observasset Politianus, vir eruditione multa, Tranquilli locum primus, ut opinor, emendavit.

JO. ALEXANDER BRASSICANUS in *Adagiis.*

Hic, scio, non defuturos, qui dicant, etiam me gignere proverbia, si quæ velim, hoc Angelo Politiano rescribant, qui proverbio nominatim & apposite usus est Miscellan. Cap. 77. Atque ejus viri auctoritas longe apud me sanctior est, ita ut metuam ab ejus incomparabili eruditione vel latum unguem recedere.

M. ANTON. MURETUS in *Variar. Lection. Lib. X. Cap. 6.*

Homo acutissimus & eruditissimus Angelus Politianus. Et fortasse obtinuisset hæc sententia propter summam Politiani in literis auctoritatem.

ONUPHRIUS PANVINIUS in *Vita Leonis X.*

Ang. Politianus & Bernardus Michalotius, viri Græcis & Latinis literis, versa & soluta oratione, eruditissimi.

PETRUS MEXIA, Eques Hispanus, in *Vitis Cæsarum, Hispanico sermone scriptis.*

Marsilio Ficino, valentissimo Philosopho; y el grande y nunca dignamente alabado por su ingenio y e stilo, Angelo Politiano.

LEANDER ALBERTUS in *Descriptione Toscanæ, Italice scripta.*

Diede gran nome ne nostri giorni à questa patria Angelo con la singolare doctrina dello Lettere Grece & Latine, comedimostrano l'opere da luy scritte & tradotte di Greco in Latino.

JANUS RUTGERSIUS in *Variar. Lection. Lib. IV. Cap. 20.*

Politianus non suo tantum ævo, quo literæ caput vix extulerant, sed eo etiam, quo plenissime revixerunt, principatum pene tenuit.

JO. BAPT. PIUS in *Annotat. Cap. 38.*

Ang. Politianus, vir memoria nostra virtutum cumulo stipatus omni.

QUIN-

QUINTIANUS STOA in *Epographia p. 68.*

Politiano circa syllabas tantum fidei adhibeo, quantum alicui, quo nil melius elegantiusque invenies.

IDEM in *Elegia funebri* PHILIPPI BEROALDI.

Quicquid & argutis mandaverat ipse papyris
Angelus, erosis stabit in archetypis.

GERMANUS BRIXIUS in *Epistola ad* DESID. ERASMUM.

Habuit nostra hæc ætas bonarum literarum proceres duos, Hermolaum Barbarum, atque Angelum Politianum, Deum immortalem, quam felici ingenio, quam acri judicio, quanta facundia, quanta linguarum, quanta disciplinarum omnium scientia præditos? Hi Latinam linguam, jampridem squalentem, & multa barbariei rubigine exesam, ad pristinum revocare nitorem conati sunt, atque illis suus profecto conatus non infeliciter cessit, suntque illi de Latina lingua tam bene meriti, quam qui ante eos optime meriti fuere. Itaque immortalem sibi gloriam, immortale sibi decus paraverunt, manebitque semper in omnium eruditorum pectoribus consecrata Hermolai ac Politiani memoria, nullo ævo, nullo casu, nullo fato abolenda.

LUCIUS PHOSPHORUS, Pontifex Signinus, in *Epistola ad* ALEXANDRUM CORTESIUM.

Ego Politianum nostrum, mi Alexander, summopere amo, & admiror, atque ei omnia summa tribuo. Et, ut libere, quod sentiam, dicam, non magis istum damnandum censeo, quam illos laudandos, qui quadringentis abhinc annis papyros & chartas velut maculis prætextas, & encausticas tabellas inusserunt potius, quam ulla egregia forma atque imagine illustrarunt. &c.

IDEM in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

Omnes docti te unum admirantur, & fatentur, te omnes, qui sexcentis abhinc annis scripserunt, facile superare.

JO. PICUS in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

Is es, mi Angele, (facessat adulatio,) cui ex nostris unus, aut alter, ne dicam nemo, conferendus sit. Quod si plures essent tales, non haberent hæc secula, cur inviderent antiquitati. Incumbe quæso, & literas, quantum potes, a situ recipe, ne nitor ille Romanæ linguæ injuria temporum penitus obsolescat. Excude semper aliquid novum,

quod rem Latinam adjuvet & illustret. Et, quæ domi habes, fac, tandem exeant in communem studiosorum utilitatem.

POMPONIUS LÆTUS in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

Cum de altitudine ingenii tui cogito, non possum non admirari, cur nostri graculatim & sturnatim (ut ita loquar) ad te non advolent. Legi Opus tuum, in quo apertissime doctrina quadam singulari veteres ab inferis revocasse videris. Sed parcius in præsentia, prædicatione mea non indiges, satis enim tuo labore clarus es. Verum quoties de aliquo sublimi interpretatio est, unus Politianus occurris.

BAPTISTA GUARINUS in *Epistola ad* JO. PICUM.

Quod ad me attinet, gaudeo vehementer, laudato viro, & ab omnibus ac ubique laudando Laurentio me in ore esse, addito præsertim Politiani calculo: cujus ego copiosam & arcanam multiplicis disciplinæ lectionem ita complector, ut admirer, ita admiror, ut commendare non desinam. Quo fit, ut extra doctrinæ aleam me ab illo poni, triumphi instar existimem.

NICOLAUS LEONICENUS in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

Novi ego tuum perspicacissimum ingenium, novi fervens jam inde à pueritia studium, non minus ad Philosophiæ doctrinam, quam ad Oratoriam, atque Poeticam capessendam: in quibus omnibus tantum profecisti, ut tua te patria inclyta Florentia omnium liberalium artium utatur præceptore. - - Cum igitur omnia & animi & fortunæ bona in te cumulatissima sint, nihil est, quod, Angelo Politiano pro me contra barbaros pronunciante, quempiam deinceps timere debeam, qui illorum patrocinium sit suscepturus.

LUD. ODAXIUS in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

In eam confabulationem veneramus, ut de viris hoc tempore doctissimis loqueremur, in quibus facile tu principatum obtinere visus es.

LUCIUS PHOSPHORUS in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

Volò tibi narrare, quo ego erga illos adagio utar. Videte, inquam, quid agatis, boni viri, nam iste piscis paucorum hominum est, ut ille Sci-

Scipioni dixisse fertur. Quod ita transfero: Politianus paucorum, id est, doctissimorum, est, non turbæ literatulorum, ac pædagogorum, & vulgi. Ergo omnes docti te unum admirantur, & fatentur, te omnes, qui sexcentis abhinc annis scripserunt, facile superare, hoc est, te illos, non illos te, ne quis me reciprocis argumentis uti, aut amphibologice loqui credat, & doctrinam, & eloquentiam in te esse conjunctas.

JAC. ANTIQUARIUS in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

Ego is sum, qui te amem, atque etiam colam virtutem tuam: sed rursus qui donum cœlitus datum in te agnoscam, quo & vetera illustres longævitate rubiginata, & surgenti atque ad æmulationem laudis annitenti seculo manum porrigas.

IDEM in alia *ad* POLITIANUM *Epistola.*

Scriptis tuis id tantum deesse sentio, quod priscam ætatem non vixeris, cum qua memoriam omnium seculorum consecutus esse videaris industriæ ac laboris similitudine. Hoc testimonium qui non dederint, infelici nati sunt Musarum partu & adulterino.

BARTHOL. SCALA in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

Tu certe, præter ceteros, mi Politiane, naturæ multum debes. Illa tibi ingenium istud, quo agere tam multa, atque memoriam, qua omnium fere rerum reminisci potes, dedit. - - Cæcus sit funditus, qui hæc non viderit.

PHILIP. BEROALDUS in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

Vide, mi Politiane, in studiis nostris politissime, quanti te, & quidem meritissimo, faciam. Quicquid ex officina isthac tua luculenta depromitur, id omne probum, excoctum, ac emaculatum esse, habeo persuasissimum. - - Tanta enim tua jam pridem claritudo, & æstimatio, ut possis vel obsoletis nitorem dare, fastiditis gratiam, novis autoritatem. Et, ut semel finiam, hæc apud me tuorum studiorum reverentia est, hunc tibi honorem deferre soleo, quem divus Augustinus scriptoribus Canonicis autumat sese retulisse, ut te nuspiam errori confinem esse credere ausim. Non ex amore judicium hoc est, sed ex judicio amor.

MAR-

MARSIL. FICINUS in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

Si nunc, Politiane, dixero, me literarum tuarum acumen & eloquentiam non mediocriter admirari, aliquis forte me nimis admirabundum exstimabit: quippe cum novitas tantum ceteris admirationem parere soleat, ego vero etiam quæ mihi in Politiano jam diu notissima sunt, videor admirari.

MATTHÆUS BOSSUS, Veronensis, Canonicus regularis, in *Epistola ad* ROBERTUM SALVIATUM.

Id & Joannes Mirandula, & dulcis Politianus noster, fecere: quorum alterum obstupescimus tanquam fulgorem seculi nostri, altero optimarum etiam literarum magno gravique magistro insignis & læta est omnis Hetruria.

MICHAEL ACCIARIUS, Utianensis, in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

Si Græcum scriptorem, si Latinum enarras, quam acute sensum exquiris? quam prudenter elicis? quam etiam pure, quam eleganter eloqueris? Tum demum scriptor ille doctus, quisquis est, tum facundus te promente pernoscitur, tum extat ingenium, tum virtutes apparent. Non enim tu modo capis, quid scriptorum omne genus dicat, verum (mirabile dictu) quid item dicere, vel cogitare debeat, quibus etiam singulis, situ longiore jam squalentibus, & diuturno propemodum silentio mutis, crudelem vicem miseratus, pie simul & liberaliter affuisti: atque oraculo certius mentem omnibus rectam, &, ne inviti barbare loquantur, suam quoque ipsorum linguam reddidisti.

SCIPIO CARTEROMACHUS in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

In hoc ego (nisi fallor) non accusandus magis, quam venia dignus videor, quod ejus viri judicium tantopere perhorruerim, qui ob ingenii præstantiam, multiplicemque doctrinarum omnium cognitionem, omnium animos in sui admirationem solus converterit.

EJUS-

EJUSDEM *in* POLITIANUM *Carmen Latinum.*

Pelidæ ſimiles ſua ſi bis quinque tuliſſet
Terra viros, citius Pergama victa forent.
Angelus at nobis vivat, precor, unus, & omnis
Barbaries Latio cedet abacta brevi.
Cliniadem geminum nunquam oſtendiſtis Athenæ:
Lyſandros nec habes Oebali terra duos.
Angelus & nobis ſic non erit unus, & alter.
Natura oſtendit, quià bene poſſet in hoc.
Aurificis quondam ditata eſt inſula Solis
E pluvia guttis tota, volente Deo:
Nunc Latium totum pluvio perfunditur auro.
Labitur hic, cum vult Angelus, ipſe Tagus.
De patria magni certatum eſt ſemper Homeri,
Vindicet ut tantum hunc urbs ſibi quæque virum.
Tu majoris eris certaminis, Angele, cauſa,
Terra etenim ac cœlum te volet eſſe ſuum.

EJUSDEM *in* POLITIANUM *Carmen Græcum.*

Ἄγγελε τῶν ἀγαθῶν ὄφελος μέγα, χ᾽ ὅττι περ ἐσθλὸν,
Πᾶσιν ἄπιςον ἐὼν, ἄγγελε, θαῦμα βροτοῖς,
Κὰν τε νέων ψυχᾶις φῶς, ἠέλιός τε μαθόντων,
Εἷς μὲν Ἀθηναίῃ φίλτατος, ἕις τε σοφός.
Χᾶιρε φίλη κεφαλὴ, καὶ ὅπως μοι μακρὰ βιώσῃ,
Θηβαίȣ μὲν ὑπὲρ Τειρεσίαο βίον.
Ἀθάνατοι, τȣτόν γε φυλάξατε ἑίνεκα πολλῶν
Τῆς σοφίης δὲ μάλις᾽, ἠ δὲ διδασκαλίης.
Μὴ τόσσον δ᾽ ἀφέλεσθ᾽ ἀγαθὸν, δέομαι, φθονέοντες.
Ἐις τȣτον καὶ γὰρ πάντες ἀναβλέπομεν.

ὢν γὰρ ἐν ἀνθρώποις πάντων ἀντάξιος ἄλλων,
  ὑμετέρου τὶς γοῦν ἔμμεν ἔοικε γένους.
Ἀλλὰ σὺ τ᾽ ἂν σκότει ἄρ κατακείμενα πάντα δίδασκε,
  ὡς θεὸς ἐκ βηλοῦ θεσπεσίοιο πεσών.
Ἀμβροσίῃ δ᾽ ἄρα γῆν, καὶ νέκταρι προσκατάπαττε,
  Ταῦτα γὰρ ἐκ στόματος, ἄλλά τε καλὰ ῥέει.

Latine hæc reddidit JACOBUS TUSANUS:

Angele bonorum utilitas magna, & valde bona,
Omnibus incredibilis existens Angele admiratio mortalibus.
Atque juvenum lumen, solque discentium.
Unus equidem Minervæ amicissimus, unus vero sapiens.
Salve, charum caput, & ut in longum vivas,
Thebani quidem super Tiresiæ vitam.
Immortales hunc quidem servate causa multorum,
Sophiæ vero maxime, & doctrinæ.
Ne tantum vero auferte bonum, quæso, invidentes,
In hunc etenim omnes suspicimus.
Existens enim in hominibus omnibus par aliis,
Vestri quispiam igitur dignus est esse generis.
Sed tu in tenebris utique jacentia omnia doce,
Ut Deus ex cœlo magno labens.
Ambrosia vero utique terram & nectare adsperge,
Hæc enim ex ore, aliaque pulchra fluunt.

JO. MATTHÆUS TOSCANUS in *Peplo Italiæ Lib. I.*

Barbariem hic procul exegit non ultimus hostis,
Cum vox in Latio nulla Latina foret.
Idem pannosas & olentes rura Camœnas
Jussit in antiquis pergere munditiis.

Italiæ

Italiæ & Musis debent Ciceroque Maroque,
Huic Musæ & Phœbus debet & Italia.

CASP. CUNRADUS in *Prosopographiæ Melicæ Millenario II. p. 149.*

Conjunxit Latiis qui Græca, soluta ligatis,
Te supra nullus, Politiane, vir est.

HIERONYMUS DONATUS in *Epistola ad* ANG. POLITIANUM.

Quamobrem id tibi persuasum velim, ea te mecum amoris & officii fundamenta jecisse, ut nullo casu ruere, nulla vi convelli possint. Cujus fructus candidissimos & mihi omnium longe gratissimos, hoc est, literas tuas, expecto. Neque solum literas, sed interdum quoque amœnissimas Musas: quæ cum ad me venerint, tunc maxime Theocriti carmen illud suavissimum cantabo:

Τᾶς μοὶ πᾶς εἴη πλεῖος δόμος, οὔτε γὰρ ὕπνος,
Οὔτ᾽ ἔαρ ἐξ ἀπίνας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσαις
Ἄνθεα, ὅσσον ἐμοὶ μῶσαι Πωλιτανοῦ φίλαι.

JUL. CÆS. SCALIGER in *primis Scaligeranis p.m.70.*

Inter eos omnes, qui bonas literas suscitarunt in Italia, invideo tantum tribus his, Theodoro Gazæ, magno certe viro & docto, -- Angelo Politiano, excellenti Poetæ, - - Tertius est Picus Mirandulanus, de quo alibi.

LILIUS GREGORIUS GYRALDUS in *Dialogo I. de Poetis suorum temporum p. m. 535.*

Magis emunctæ naris fuisse videtur Baptista Mantuano Angelus Politianus, Florentinus: qui transmarina, ut Ciceronis verbis utar, doctrina & adventitia institutus cum esset, florere & quasi regnare visus est; huic enim me puero à multis primæ deferebantur: mira ejus omnino eruditio, vehemens & paratum ingenium, jugis & frequens lectio.

CASP. BARTHIUS in *Adversariorum Lib. XLVII. Cap. 5. p. 2192.*

Inter ea ingenia, quæ restaurandis literis cum favente fato præfuerunt, vel cum primis, nescio etiam an ullo pare, semper ego æstimavi Angelum Politianum; tanta in eo viro dexteritas, quocunque literarum se verteret, fuit, ut nec nunc satis admirari dotes incomparabiles possit, licet nonnunquam tanto heroi iniquior, posteritas. Nec admiratus ego solum hunc hominem semper sum, sed, quæ ejus in scribendo singulares Gratiæ sunt, amavi etiam, affectu sane tenero; quare minus etiam patienter tuli sordida pædagogorum judicia, qui, ne quid minus in hoc, quam in aliis scriptis, divinitati jam consensu docti orbis transscriptis, sapere videantur, nescio quas vernilitatis notas inusserunt, vel inurere certe conati sunt, longe doctissimis ejus monumentis. - - - Utut vero sese ista habeant, ego fateor de me, cum Romanis etiam optimis Latine, cum Græcorum veterum non postremis Græce scribentem, idque utrumque utroque stilo, æstimare hunc Angelum, nec rationem ullam videre, cur judicium hoc mutem: præcipue accedente denso summorum hominum choro, qui in laudes ejus consentiunt ad unum aut duos, ceteri fere omnes, quorum scripta ad nostras manus venerunt.

IDEM *ibid. Lib. XXI. Cap. 17. p. 1055.*

Non postremo loco inter omnia omnis ævi ingenia fuisse Angelum Politianum, ego semper persuasus fui. Stilus Latinitate Romanos ipsos adit, Atticas Athenas, si ita fari licet, Græcitate. Inventionum vero acumine, lectionis varietate, judicii dexteritate, singularis illius hominis felicitas fuit; eaque quo rarior in utroque genere orationis pari laude cui contingere solet, eo in isto gratior; adde, quod pueritia ejus incidit in seculum Sophistis dominantibus plus quam barbarum, quorum dogmata tamen etiam ita calluit, ut non minimum laborasse dicatur ad elegantiam Latinam traducendis.

EJUSDEM *Carmen in* POLITIANUM, quod legitur *ibid. Lib. XLVII. Cap. 5. p. 2195.*

Visa diu nebulis caput exsertura pependit
Barbariæ in telis linguæ Suadela Latinæ.
Nec potuit vestro auspicio melioribus annis
Amissum reparare decus, Campane, Philelfi,

Petrar-

Petrarchæque ſenis Vallæque bilinguis acumen,
Quosque alios jam jam veteres exoſa tumultus
Optavit Romana manus incingere lauru.
Cum tandem aureolis Heroum ingreſſa cothurnis
Auguſtum eduxit Medicæ caput Enthea Peitho.
Illicet Etruſcis in ſedibus aurea fulſit
Lux Latii, peperitque tuos, ſacer Angele, cultus.
Qui rapido ingenio humeros transgreſſus avorum
Omnia tentaſti, retuliſti ex omnibus unus
Egregiam ſeclis laudem. Te Græcia caſtris
Palluit in propriis, Venus ultro in dicta ſecuta eſt
Trans mare, purpureisque hæſit immobilis alis.
Te vetera exeſis renovantem emblemata chartis
Extulit alma polo Critice; nec dia Poeſis
Horruit in ſummæ faſtigia ponere Romæ.
Scriptor edax ævi, Charitum ſuaviſſima proles,
Nullius ignarus generis, quibus ardua vulgum
Nomina tranſiliunt regalibus addita fatis.
Interpres cordate librûm, quibus Hellada mactat
Hiſtoriæ Seiren, naturaque vatibus hoſpes,
Argutis fidibus pedes expreſſiſſe decorus
Armatam multis Muſam ſine pellice ſannis.
Idem Eques egregio Phœbum comprendere pollens
Pectore, & ereptum nebulis inducere luci,
Scriptorum exſcriptos una dare margine libros
Seclorum centum; quem per tot millia mente
Graſſantem ancipiti, vix menda feſellit in illis.
Omnia quæ juveni cum fata immitia (ſolus
Exemplum ut mundi foret inſuperabilis in ſe,)
Sponte videret atrox Lacheſis ſine lege dediſſe,
Abrupit triſti pendentia pollice fila.
Divinis numeris qui ſecula cuncta triumphat,

Corpore deciduo flos aruit; invida carpit
Prostratum invidia, & rubigine rodere pugnat.
At nobis, quibus interior tua cognita virtus
Assiduo cultu manet, Angele, perpes in ævum,
Hoc tibi post annos centum & tria lustra jacenti
Erigimus marmor. Nil non tibi fata dederunt,
Quod potis humanæ comprendere mentis acumen.
Nil rapient ævi injustæ in præclara luelæ.
Tu vates Latii junctus primatibus inter
Parthenopæ laurus Andinaque vota senesces.
Nec minus eloquii pollens ridente lepore
Proxima facundo cantabere palma Secundo.
Quod si Graja manus citra mare nobile bustum
Erexisse dehinc victori ignara superbo
Cessabit numeris; tibi nos trans Attica regna
Egregium monumentum atque insuperabile fatis
Sistemus. Critice variis circum excita pennis
Plaudet ad arguti resonabile pollicis ictum
Carmen: & e nostri cum tres tibi vatibus ævi
Æquarit, nulli superatum exire videbit.
Salve annorum exlex, flos perpetuante Perannæ
Flore sacer: tibi palma super venerabile marmor
Surget, & é violis molli tua busta corona
Incingent Nymphæ, Latiis Venus aurea dictis
Inscribet Melos, & sacratum in secula mittet.
Angelus hic recubat, cui nil non fata dederunt,
Ante diem functus, nunquam ut pote perdere vitam.

IDEM in *Animadversion. in Claudianum.*

Sane mirificum ingenium hominis fuit, nec stilo antiquitatem quisquam propius, quam ille voluit, accessit.

Addi his alia aliorum de præstantissimis POLITIANI virtutibus testimonia possent, eademque Italo nostro perquam honorifica; horum vero cum aptiore loco hinc atque illinc injicienda sit mentio in ipsa Commentatione nostra, implere iisdem hic bonas chartas temere, constitutum nobis non est. Itaque, potiora hic legisse, sufficiat Lectoribus. Si quis tamen sit, qui concisis maxime & in verborum compendia contractis laudandi formulis delectetur, hunc, ut habeat ingenii aliquod pabulum, ignorare nolumus, magnifica & illustri appellatione *eruditissimum & candidissimum Italorum* POLITIANUM dici POMPONIO

LÆTO

LÆTO in *Epist. ad* ANG. POLITIANUM, *hominem fertilissimi & facundissimi ingenii* HIERON. DONATO in *Epist. ad* JO. PICUM, *nullius ignarum eruditionis & disciplinæ* JO. PIERIO VALERIANO *de Infelicitate Literatorum Lib. II, literarum decus & doctrinæ* CALLIMACHO in *Epist. ad* POLITIANUM, *delicias urbis Florentinæ* BARTHOL. SCALÆ in *Epist. ad Eundem, & Latinum virum tersissimum, & Græcum facundissimum*, ANTON. CODRO URCEO in *Epist. ad Eundem, ætatis suæ miraculum* BACCIO UGOLINO in *Epist. ad* ROBERTUM SALVIATUM, *magnum literarum arbitrum, imo censorem, imo assertorem*, JAC. ANTIQUARIO in *Epist. ad* BERNARDUM RICCIUM, *virum suo ævo omnium literatissimum* JO. PICO in *Epist. ad* JAC. ANTIQUARIUM, *seculi sui decus* DES. ERASMO in *Epist. ad* JODOCUM GAVERUM, & LUDOVICO BIGO in *Epigrammatis*, *inimitabili virum elegantia* ALARDO AMSTELREDAMO in *Epist. ad* DES. ERASMUM, *primum Italorum* PETRO COLVIO in *Notis in primum Floridorum Apuleji, virum doctrina & ingenio nobilem* PETRO CRINITO *de Honesta disciplina Lib. I. Cap. 8, ingenio acri & multiplici lectione excellentem* eidem ibid. *Lib. XXIX. Cap. 6, utroque dicendi genere doctissimum* JOANNI RAVISIO in *Officina*, *virum utriusque linguæ consultissimum* ALDO MANUTIO in *Præfat. in Ovidii Metamorphosin, summo virum ingenio, & singulari doctrina*, eidem in *Epist. ad* MARINUM SANNUTUM, LEONARDI filium, *doctissimum utriusque linguæ virum* JO. STRELERO in *Epist. ad* JO. REUCHLINUM, *virum suo ævo omnium maximum* CASP. BARTHIO in *Lib. I. Sylv. 3. v. 95. Statii p. m. 110, summum ingenio, doctrina, judicio, virum*, eidem *T. I. Animadversion. in Statii Sylv. Præfat. p. m. 4, verum hominis miraculum* eidem ibid. *p. 1296, seculo suo & omni laude majorem*, eidem in *Animadv. ad Claudian. p. m. 253, Græce Latineque impense doctum, & inter Auctores Latinos non postremi nominis*, JO. CORASIO *Lib. III. Miscellan. Cap. 1, virum præclarissimum* JO. BAPT. PIO in *Annotat. Cap. 94, Auctorem elegantem & eruditum* PETRO NANNIO in *Miscell. Lib. VI. Cap. 1, excellentissimum Heroa* FRANC. FLORIDO SABINO in *Lection. Subcisiv. Lib. II. Cap. 9, oculatissimum & perspicacissimum* JOSEPH. JUST. SCALIGERO in *Locis controversis R. Titii Lib. IX. Cap. 5, virum excellentis doctrinæ* GUIL. BUDÆO *ad Pandectas Cap. I. de Contrah. Emtione, virum nunquam satis laudatum* NICOL. LEONICENO in *Præfat. libri de Erroribus Medicorum, maximi & gravissimi judicii virum, & doctrinæ perspicacissimæ*, eidem ibidem, *hominem excultissimum* LUD. VIVI *ad Augustini de Civit. Dei Lib. VII. Cap. 20*, denique *politissimum Politianum* PETRO COLVIO *ad Lib. I. Apuleji.*

NUMORUM, QUIBUS FRONTEM DISSERTATIONIS ORNAVIMUS, BREVIS EXPLICATIO.

De his quicquid nobis eſt cognitum & longa inveſtigatione exploratum, etſi loco magis congruo dicetur in ipſa Diſſertatione noſtra; eſt tamen, cur, fore multos, auguremur, qui, inſpectantes forte externam *Politiani* noſtri faciem, eorum, quæ ante oculos ipſis ſunt poſita, aliquam ſibi rationem reddi, poſtulent quodam jure ſuo. Ab his inituri nos, qui omnibus diſcupimus placere, gratiam, cujus ſint generis & pretii numi illi, POLITIANUM oſtentantes, explicabo oratione perbrevi. Scias vero, bone Lector, nomine non uno æſtimandos Tibi eſſe plurimi. Non ſunt illi nobis inventi in trivio, nec noſtro aut ſculptoris obvii cujusque excuſi ingenio, ſed a longo inde tempore aſſervati in auguſtiſſimo invictiſſimi Imperatoris, CAROLI VI, Muſeo, quod Vindobonæ eſt, tandem in manus noſtras venerunt inſigni beneficio excellentis Viri, JOANNIS BAPTISTÆ PANAGIÆ, penes quem Muſei hujus & rerum antiquarum ſumma Vindobonæ cura eſt, quique, pro ſuo erga bonas litteras amore incredibili, quicquid ab ipſo exſpectari poteſt laboris ſtudiique honeſtiſſimi, ad augendum amplificandumque Muſarum decus conferre ſolet perquam liberaliter. Is, conciliatus nobis PETRI GIANNONII, Italorum præſtantiſſimi, commendatione enixiſſima, veniam dedit homini artis hujus peritiori, adeundi Muſeum hoc illuſtriſſimum, & formam numorum, in noſtrum unice commodum, tabulis delineandi concinnis admodum, & ad vitam exprimendi mirifice. Inde ad nos transmiſſi, tanto certiora nobis atque illuſtriora exiſtimationis ſummæ, in qua verſatus eſt, quoad viveret, POLITIANUS, præbuerunt teſtimonia, quanto indubitatiora vetuſtioris, quæ ipſum POLITIANUM tulit, ætatis argumenta præ ſe ferre dicebantur non ipſi tantum GIANNONIO, ſed, quod hujus nos docuere litteræ, iis etiam omnibus, quibus cognoſcere eosdem propius, ipſisque tractare manibus, contigerat. Eſt tamen alter altero vetuſtior, & ab ætate POLITIANI paullo remotiorem eum dixeris, in quo POLITIANÆ conſpicis imaginem. Uterque impreſſus in ære eſt, eadem prorſus, qua ſignatos a nobis vides, figura, lineamentis iisdem, iisdemque coloribus. Ceterum interprete opus habere non videntur, quæ in ſuperioris numi parte poſtica legis aut expreſſa vides. Facile hæc explicare ſciat, quisquis artis ſculptoriæ pictoriæve non plane ignarus eſt. MARIA vero POLITIANA illa cujus generis femina ſit, ſororne POLITIANI, an pellex, an nomine ſaltem conjuncta ei, nondum ipſe auſim definire certo. Nihil enim de ea ſcriptores, qui de POLITIANO commemorarunt, vel diligentiſſimi. Forſan exploratiora alio in loco dabimus. Atque hæc de numis noſtris, ne nihil ſciant, ſcire jucundum ſit Lectoribus.

(o)

DISSERTATIONIS
DE
ANGELO AMBROGINO
POLITIANO ARGUMENTA
SUMMA.

SECTIO I.
DE
FATIS, DOCTRINA, ET MORIBUS POLITIANI.

§. I. *Verum* POLITIANI *nomen gentilitium.*

II. *Natales ejus, patria, & parentes.*

III. *Pueritia, adolescentia, præceptores, & ingenii præcocis specimina.*

IV. *Adultiori ætate publicum docendæ Græcæ & Latinæ linguæ in Academia Florentina munus obtinuit.*

V. *Scholæ ejus, & discipuli.*

VI. *Medicæorum Principum præfectus est institutioni.*

VII. *Florentiæ in civitatem receptus, in ejusdem urbis Æde, D. Paulo ſacra, Sacerdotis & Prioris, poſtea etiam Canonici, munia adminiſtravit, ipſis ſimul Doctoris Decretorum honoribus ornatus.*

VIII. *Reliqua honorum genera, quibus mirifice exſplenduit* POLITIANUS.

IX. *Patrii, Hebraici, & Græci inprimis, ſermonis, ſi quisquam alius, peritiſſimus fuit.*

X. *Magnus in vertendis, tam Græcis, quam Latinis, Scriptoribus artifex.*

XI. *Feliciſſimus Romanæ linguæ inſtaurator, atque ſtili purioris laude florentiſſimus.*

XII. *Criticorum & Grammaticorum ſui ævi princeps.*

XIII. *Poeta, ſive vernaculo, ſive Græco & Latino, carmine nobiliſſimus, nec cuiquam ſecundus.*

XIV.

XIV. *Philoſophiæ Platonicæ atque Ariſtotelicæ ſectator ſtudioſiſſimus.*

XV. *De Pandectis Florentinis, & Jurisprudentia elegantiori, non uno nomine longe meritiſſimus.*

XVI. *Amici ei multi, nec minor adverſariorum numerus.*

XVII. *Furti literarii præter meritum accuſatus.*

XVIII. *Impuro amore pueros complexus dicitur, & in Atheorum vulgo numerum refertur, a quorum criminum omni prorſus ſuſpicione liberatur.*

XIX. *Qua corporis forma, quibus animi aut ornatus virtutibus, aut deformatus labeculis, fuerit, oſtenditur.*

XX. *Suprema ejus fata, ſepulcri honor, carmen tumulo inſcriptum, memoria mæſtiſſimis Poetarum principum carminibus ad ſeram poſteritatem propagata.*

SECTIO II.
DE
SCRIPTIS POLITIANI, TAM VERNACULIS, QUAM GRÆCIS, ET LATINIS.

§. I. *Scriptorum* POLITIANI *triplex genus est. Alia publicata sunt dudum, in quibus sunt vernacula partim,*

II. *partim Græca, & Latina;*


III. *Alia in tenebris latent, expectantque adhuc lucem publicam;*

IV. *Alia animo concepit tantum, forsan inchoavit etiam, ad finem, quod constet, nunquam perduxit.*

V. *Subjicitur notitia eorum, quæ sintne autori* POLITIANO, *an alii cuicunque, tribuenda, res est dubia valde, nec satis ad hunc diem explorata.*



DIS-



DISSERTATIONIS DE ANGELO AMBROGINO POLITIANO

SECTIO I. De Fatis, doctrina, & moribus POLITIANI

§. 1.



N diversa quævis abiere scriptorum haud pauci, qui de vero Itali nostri nomine eruendo atque determinando soliciti fuerunt. Ut fere mireris, quæ usu venire solent abstrusissimarum antiquitatum investigatoribus, ut plures, in quos impingant, scopuli, quam quibus insistant firme, planæ viarum semitæ *Nomen Politiani.*

mitæ in medio conſtitutis laborum curſu ſe offerant, eadem & nobis, qui proxima noſtris tempora tangimus, cum noſtro quodam incommodo nunc contigiſſe. Equidem, qui de prænomine *Angeli* dubitaverit, aut adſcitum id ipſi, nec a primis natalibus proprium dixerit, vix ſcio quenquam. (*a*) Commune id Noſtro fuit cum eruditorum haud paucis, maxime Italis, quæ gens prænomen *Angeli* ſibi fere peculiare habet. (*b*) Magis nos vexat genuina cognominis, ſeu nominis gentilitii, quod a parentibus traxit Politianus, indagatio. Pro tali enim non habendum eſſe nomen *Politiani*, ſatis compertum habeo. Fallitur plane, nec, quod errori ſuo prætexat, quicquam habet Guido Patinus, dum nomen Politiano fuiſſe *Jean Petit* (c) comminiſcitur. Tam nova enim nec ulli eruditorum audita antehac vel cognita ſententia ne per ſomnium excogitata videretur, opus erat, ut a teſtimoniis vel documentis fide dignis robur acciperet. Fortius oppugnandæ nobis veniunt, quas paſſim venditatas conſtat, aliæ aliorum ſententiæ. Communior & tantum non omnibus ad hunc diem ſcriptoribus recepta eſt opinio, gentem *Baſſorum* (d) cognomen dediſſe Angelo noſtro. Quam cum primus, magnæ vir autoritatis, Gerh. Joh. Voſſius, ſcriptis prodidiſſet; (e) inſecuta maxima Hiſtoricorum turba per-

pertinacissime ei adhæsit. (*f*) Huic quicquid inest ponderis, id omne retundet sententia verior. Vossium quid in errorem induxerit, certo non definio; acute tamen de eo suspicatur doctissimus de la Monnoye, (*g*) aliis alia suspicandi libertatem permittens. (*h*) Propius ad veritatem, etsi pauciorum huc usque comprobata suffragio, ea accedit sententia, quæ gentem *Ciniam*, cognomenque adeo *Cini* Politiano vindicat. (*i*) Quæ ipsa non incerto rumore aut fallacibus conjecturis, sed fide dignis innixa documentis, (*k*) si paullo aliter instruatur & expoliatur, communem omnino meretur fidem. Haud enim absimile vero est, nomen *Cini* idem esse ac nomen *Ambrogini*, (*l*) quod ipsum a parentibus acceptum habuisse Politianum, certissima rerum monumenta loquuntur. (*m*) Quid vero induxerit Angelum, ut rejecto nomine *Ambrogini*, novum *Montepulciani*, (*n*) seu, ut frequentius audit, *Politiani* (*o*) nomen adsciseeret, à patria arcessitum, hariolando non assequor. Neque ætatis annum, quo nominis hanc suscepit mutationem, definire audeo. (*p*) *Pulicianum* qui dixit Nostrum, Jac. Sannazarius, in ludibrium hanc appellationem convertit. (*q*) Assumto autem *Politiani* nomine id effecit Noster, ut ab aliis, qui eodem inclaruere nomine, ipse probe discernendus sit. (*r*) In quorum num

referendus ſit numerum Joh. Ingolſtetterus, Norimberga natus, & rerum medicarum ſcientia haud ignobilis, dubitationi locum relinquit. (s)

(a) Quæ enim Gallus ille, GUIDO PATINUS, ſicut de univerſo POLITIANI nomine, ita & de prænomine ejus, prodidit ridicula, aſſenſum mereri prorſus nullum, mox evictum dabo. Certe ipſa POLITIANI ſcripta & Epiſtolarum inprimis volumen perquirenti, ubivis *Angeli* prænomen legitur. Nec, qui de cognomine inveſtigando ſoliciti fuerunt, hi ipſi quicquam de prænomine moverunt dubii.

(b) Prolixum eorum catalogum, qui *Angeli* prænomine conſpicui, famam doctrina & ſcriptis ſibi compararunt, ſi quis forte deſideret; illi abunde ſatisfaciet THOMAS CRENIUS in doctiſſima de *Claris Angelis* Præfatione, præmiſſa ANGELI CANINII Ἑλληνισμῶ, qui liber editore CRENIO prodiit *Amſtelod.* 1700. ubi, quicquid hic a me dici poſſet, jam ante dictum eſt, uberrime. Illud tamen addere hic liceat, non ſemper Prænominis locum ſuſtinere nomen *Angeli*, ſed cognominis interdum naturam induere. Id enim confirmant exempla ANDREÆ ANGELI, Strausbergenſis, Marchicorum & Holſaticorum Annalium compilatione notiſſimi, CHRISTOPHORI ANGELI, hominis Græci, qui eccleſiæ Chriſtianæ cauſa patria ejectus, in Anglia ſedem fixit, & tam libello *de ſuis tribulationibus*, quam græco Enchiridio *de Statu hodiernorum Græcorum*, aliisque ſcriptis præclaris, immortalitatem nominis conſecutus eſt, JACOBI ANGELI, Florentini, qui libros *Coſmographiæ Ptolemaicæ* minus eleganter & concinne, ut judicant eruditi, latine reddidit, aliorumque; ut taceam eos, qui *de Angelis* dicti ſunt, & fuſius commemorantur eidem CRENIO.

(c) PATINI hunc dico errorem, propterea quod mentionem hujus rei factam legimus in *Patinianis.* Non abnuerim tamen, ſi quis adjecta hæc *Patinianorum* libro, quem poſt mortem de-

demum PATINI editum constat, ab ignaro harum literarum editore dixerit. Id enim fieri animadvertimus quotidie, ut scriptis eruditorum posthumis aut inficeta admisceantur & incondita, aut talia subtrahantur temere, quæ retineri satius fuisset. Contingere vero id posse si in ullis aliis, certe in iis scriptis maxime, quæ nullo argumentorum ordine cohærent, sed obvia quævis, non habito disciplinarum delectu, exponunt, resque singulas, non tam expendunt solicite, quam leviter saltem commemorant, quis est, qui non intelligat? Verba autem in *Patinianis*, illis nempe, quibus præmissa sunt *Naudæana*, *edit. Amstelod.* 1703. 12. hæc habentur: *Il se fit nommer Politianus, parcequ' il étoit de monte-Politiano en Toscane; son vray nom étoit Jean Petit.* Quæ absque omni, ut cernimus; scriptorum prolata testimonio, miror tantum apud nonnullos habuisse ponderis, ut idem POLITIANO nomen affingere non dubitaverint. Factum id est a JOH. CHRIST. RÜDIGERO *in Vitis Erud. P.* 3. *p.* 163. & JOH. AD. BERNHARDO in *Hist. curiosa erud. p.* 599; video etiam adductum id esse in *Lex. erud. Germ. noviss. edit. T.* 2. *p.* 614, ubi tamen non tam confirmata hæc, quam ex mente PATINI memorata saltem videntur. Quando vero ibidem nomen *Jean Petit* latine vertitur *Johannes Parvus;* id equidem nescio, an nominum propriorum indoli satis conveniat. Sola vero PATINI autoritas nihil dabit huic sententiæ præsidii. Non ita sumus in literatorum republica creduli, ut, quæ de argumento peregrino, ad Italos spectante, contra omnium Italorum fidem, ab uno homine Gallo, sine testium & auctoris indicio, dicta sunt, ea cœco quodam assensu comprobemus. Indicandi in his rebus fontes sunt, unde tua hauseris, nisi manifeste admissi erroris suspicionem incurrere velis. Sed scire cuperem erroris originem, & qui factum sit, ut tam aliena nec ulli scriptorum antehac dicta de nomine ANGELI nostri persuaderi sibi pateretur. Quodsi conjecturæ hic detur locus; PATINO videtur hic aut PETITUS quidam Gallus errore nescio quo indigitatus, aut nomen *Petit* idem fuisse ac nomen *Bassi*, quod vulgo POLITIANO tribuitur.

Basso

Basso enim, docente ÆGID. MENAGIO *in Origini della lingua Ital. p. 94*, ſermone Italico rem parvam denotat & exiguam, atque inprimis de homine uſurpatur, cui puſilla & obeſior corporis figura eſt, primamque originem trahit a græco *βάσσων*, comparativo vocis inuſitatæ *βάσσος*, qua rem profundam, gravem, plenam, craſſam indicamus. Quam vocis *baſſi* ſignificationem cum non ignoraret PATINUS, eandem forte ad nomen *Baſſi* gentilitium transtulit, idque gallica voce *Petit*, quod item ſignificat parvulum, feliciter ſatis exprimi poſſe exiſtimavit. Sed meo quidem judicio licenter nimis & inconſulte. Ut enim taceam, facile hac ratione Italicam *Baſſorum* gentem cum Gallica *Petitorum* numeroſiſſima permiſceri poſſe, quod utique evitandum eſt ſedulo; mali inprimis exempli res eſt, nomina, quæ hominibus propria ſunt, uti voces quasvis alias, immutari pro terrarum linguarumque diverſitate. Datum præ reliquis vocibus id eſt prærogativæ nominibus propriis, ut eodem per omnes terrarum partes incedant habitu, quo primum in ſolo ſuo natali induta ſunt. Quod vero ad pronomen *Johannis* attinet, id unde petierit PATINUS, plane me fugit, niſi forte a JOHANNE ANGELO POLITIANO mutuatus ſit, eadem, qua Noſter, patria edito, qui teſte BÆLIO in *Dict. Hiſt. T. III. p.* 2345. ſub initium ſeculi XVI. Logicam Pictavii docuit, & editis binis contra BELLARMINUM libellis (ſi quidem ii revera ſunt hujus POLITIANI) mutatæ eccleſiæ ſuſpicionem de ſe excitavit. De hominis iſtius fama & in literas meritis cum nihil compertum haberet PATINUS, nomen tamen hominis, ut fieri aſſolet, vel fando audiiſſet, facile in hunc errorem delabi potuit, ut Noſtro, quem melius noverat de literis, POLITIANO id prænominis fuiſſe crederet.

(*d*) Inconcinne in JOH. GEORG. SCHELHORNII *Amœnit. Literar. T. I.* c. 2. §. 12. p. 51. *Beſſus* dicitur POLITIANUS, cum *Baſſus* diceretur reliquis ſcriptoribus omnibus; niſi forte mutatæ unius literæ culpam eſſe typographi potius, quam Autoris, dixeris. Nec adeo eleganter ADR. BAILLETUS in *Indice Autorum*, *de quibus agit in Jug. des Sav.* iisdem præmiſſo nomen Politiani gallice

lice effert *Ange Bassien.* Plus enim ineſt gallico nomini *Basſien*, quam latino *Baſſus.* Vehementer hæc BAILLETO exprobrat MENAGIUS *in Anti-Baillet, T.* I. *c.* 14. *p.* 52. *ſqq.* Quando autem ibidem in Autorem inſurgit, quod libri ſui *cap.* 816. *T.III. p.* 259, inſcripſerit: *Ange Baſ.* putatque, novo iterum errore a BAILLETO cognomen POLITIANI appellatum fuiſſe *Baſ*; mallem parcius ſuſpicioni indulſiſſet criticus, cum facile appareat, *Baſ*, ſcriptum eſſe BAILLETO pro *Baſſien* per compendium, decurtata extrema vocis particula. Non habebat vero, cur abſtineret hic ab iſta ſcribendi ratione ſcriptor Gallus, cum jam ſupra *in Indice Autorum* integri cognominis mentionem feciſſet. Non novum autem eſt nomen *Baſſi*, nec noſtra primum ætate audiri cœpit, ſed ſingularem præ multis aliis vetuſtatis prærogativam habet. Nota ſunt nomina antiqua CÆSII BASSI, venuſtiſſimi poetæ Lyrici, cui Satyram VI. inſcripſit PERSIUS, cujus & laudes memorat QUINTILIANUS in *Inſt. Orat. lib. X. cap.* 1, quemque demum FONTEJUS *de Priſca Cæſiorum gente l.* 1. *c.* 19. putat, ſed diſſentientibus multis, eundem fuiſſe, ad quem ſcribit PROPERTIUS *l.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 1. & de quo verſus extat OVIDII, *l.* 4. *Triſt. Eleg.* 10. *v.* 93. porro SALLEJI BASSI, poetæ itidem ſuaviſſimi, cujus carmina prædicat QUINTILIANUS in *Inſt. Or. l.* 1. *c. X. & Autor Dial. de Orat. c.* 5. quin & ipſe POLITIANUS in *Nutritiis*:

An taceam Baſſum, gravido tua dona ferentem
Veſpaſiane ſinu?

JULII & JUNII BASSORUM, quos pro iiſdem habet P. BURMANNUS *in Not. ad Quintil. Inſt. Or. l.* 6. *c.* 3. *p.* 545. contra ſententiam VOSSII *de Hiſt. Lat. L.* 1. *c.* 22. *p.* 114. AUFIDII BASSI, cujus libros *Belli Germanici* memorat QUINTIL. *Inſt. Or. l. X. c.* 1. eloquentiam vero prædicat *Autor Dial. de Or. c.* 23. GABII, ſeu GAVII, ſeu CAII BASSI, cujus *de Origine Verborum* libri GELLIO paſſim, & *de Diis* Opus elucubratum MACROBIO *in Saturn. c.* 9. citatur, aliorumque, quos CICERO *Epp. l.* 7. *Ep.* 20. PLINIUS *Epp. l.* 4. *ep.* 15. *l.* 7. *ep.* 31. *& l.* 10. *ep.* 32. *&* 33. HORATIUS *l.* 1. *Od.* 36. *v.* 14. MARTIALIS *l.* 3. *Epigr.* 47. 58. 76.

58. 76. l. 5. Ep. 24. 54. l. 6. Ep. 69. l. 7. Ep. 95. l. 8. Ep. 10. l. 9. Ep. 103. l. 11. Ep. 99. l. 12. Ep. 99. aliique aliis in locis proferunt. Nec cum ipsa vetustate nominis hujus usus exspiravit. Recentiora tempora dedere ANTONIUM BASSUM, poetam Neapolitanum Seculi XVII. cujus funestissima fata refert TOPPI in *Biblioth. Napol. P. 1. p. 24.* & SIMONEM BASSUM, Canonicum Beneventanum, poetam Sec. XVII. carmine vernaculo haud ignobilem, de quo vid. idem TOPPI *P. II. p.* 284. ut taceam alios.

(*e*) Si autorem sententiæ dicere licet eum, qui primus eam scriptis publicavit, non dubito hic pro tali habere G. JOH. VOSSIUM. MENAGIUS quidem *in Anti-Baillet T. 1. c. 14. p. m. 51.* ante Vossium a CASP. SCIOPPIO potius in *Paradoxis literariis*, quæ sub nomine *Pascasii Grosippi* edidit, primam cognominis *Bassi* mentionem factam, hujusque vestigia secutum esse VOSSIUM, existimat, sed merito notatus est hoc nomine doctissimo de la MONNOYE, *in Notis in Bailleti Jug. des Sav. T. II. P. 1. p. 390. not. 1. & in Not. sur l' Anti-Baillet p.* 50. *n.* 2. ea scilicet de causa, quod liber VOSSII *de Historicis Latinis*, quo memorantur illa, jam anno 1617 in lucem prodierit, Scioppius vero non nisi anno 1628 *Paradoxa Literaria* vulgaverit. Ipsa vero VOSSII, quæ *lib. 3. c. 8. p. 628. de Hist. Lat.* habentur, verba hæc sunt: *Angelus Bassus, qui notior altero nomine Politiani &c.*

(*f*) VOSSIUM secutus statim est CASP. SCIOPPIUS *in Epist. ad* JUL. CÆS. CAPACCIUM, quam vide in ejus *Parad. lit. p. 134.* ubi ita: *Hic tamen* (SANNAZARIUS) *præ se Angelum Bassum, a patria Politiani nomine notiorem, non aliter* &c. Post SCIOPPIUM latius disseminata hæc sententia, probavit se THOMÆ POPE-BLOUNT *in Cens. celebr. Aut. p. 357.* ADR. BAILLETO *in Jug. des Sav. T. II. P. 1. p.* 390. centumque aliis, ex parte relatis a JOH. MARIA CRESCIMBENIO *in Comment. intorno alla sua Istor. della Volgar Poes. T. 1. p. 395.* quin ipsi olim CRESCIMBENIO, qui cum *Historiam poetices vernaculæ* enarrandam susciperet, eodem, quo ceteri, errore imbutus fuit, quod patet ex multis

libri

libri paginis; paullo post vero, cum in *Historiam* istam ederet *Commentarios*, ipse damnavit errorem suum, melioremque a doctissimo Abbate SALVINIO acceptam opinionem eruditis propinavit; qua de re fusius infra. Ab Italis, mirum est sane, tam facile impetrari potuisse, ut in re, quam ignorare ipsis turpissimum erat, ab exteris imponi sibi paterentur. Visum sibi refert CRESCIMBENIUS *in Comment. T. I. p. 395.* codicem carminum Politiani, cui adjecta sit ipsius ALEXANDRI VII. Pont. Max. manu notula, vitam & fata POLITIANI nostri breviter commemorans, ubi sacro quodam decreto *de Bassis* editus dicatur POLITIANUS.

(*g*) Corruet statim universum sententiæ hujus robur, ubi de certiori compertum nobis fuerit ex fide dignis rerum monumentis. Nihil ei præsidii dabit autoritas VOSSII, utpote qui ipse falli tam facile, quam fallere potuit Scriptorum recentiorum plurimos. Neque se antiquitate sua tueri hæc sententia poterit. Forte ad hunc diem nos veriora laterent, nisi secretiora literarum documenta in tabulario Florentino explorare licuisset SALVINIO. In quibus ipsis si nihil suspecti inest, quis non, rejectis vetustioribus, in his veritatem agnosceret? Sed erroris, quo lapsüs est VOSSIUS, quæris, unde petenda origo sit? Ipse, quo se vertat, hæret hic scriptor præstantissimus ANT. MAGLIABECHIUS *in literis ad Emeric. Bigotium*, relatis MENAGIO *in Orig. della lingua Ital. p. 377.* Sed ecce tibi doctissimi DE LA MONNOYE, quam profert *in Not. ad* BAILLETI *Jug. des Sav. T. II. P. I. p. 390. n. 1. & in Not. sur l' Anti-Baillet. T. I. p. 50. n. 2.* conjecturam, haud ineptam profecto, nec creditu difficilem. Putat vero cognomen *Bassi*, quod ANGELO COLOTIO seu COLOSIO, Æsino, circiter ætatem POLITIANI Romæ fama doctrinæ inclyto, postea Episcopo Nucerino, adoptatum fuerat, in POLITIANUM nostrum errore quodam translatum fuisse a VOSSIO. Illum enim, refert, cum multis aliis, ut M. ANT. COCCIO & PHILIPPO DI SAN GEMIGNANO, invitatum a POMPONIO LÆTO, Romanæ antiquitatis studiosissimo, ad prosequenda sub communis societatis lege anti-

quitatum studia, quin & ad abjiciendum nomen gentilitium, novumque ex veteri Latio arcessendum, aliis alia adsciscentibus, sub antiquo nomine *Bassi* apud suos inclaruisse. Facile hinc potuisse contingere, ut lectis hinc inde cognitisque *Angeli* cujusdam *Bassi*, poetæ Italorum venustissimi, hominis tam doctrina, quam modestia singulari præditi, laudibus, quales obtinuit ille a JOH. JOV. PONTANO passim aliisque, in eam VOSSIUS adduceretur sententiam, ad POLITIANUM cuncta hæc pertinere, utpote cujus sit & prænomen idem, & æqualia in poesin vernaculam merita. Inde scilicet factum esse, ut nulla ANGELI COLOTII ratione habita, cognomen ejus POLITIANO nostro simul cum ipsis illius laudibus accommodaret VOSSIUS. Bella hæc & acuta; in quibus nihil desidero, nisi quod nulla plane scriptorum, unde hæc de ANGELI COLOTII adscito cognomine *Bassi* explorata habuit Gallus perspicacissimus, injecta sit mentio. Unde posset utique de rei veritate aliquid nobis subnasci dubii, præsertim cum nec GYRALDO *in Dial. 1. de Poet. suor. temp. p. m.* 542. nec THOM. CRENIO *in Præf. ad Caninii Hellenism. p.* 34. nec demum FERD. UGHELLO *in Ital. Sacra* T. I. p. 1072, qui de ANGELO COLOTIO commemorant singuli, quicquam hujus rei proditum sit. Sed quod ipse negavit sententiæ suæ scriptor eruditus, nos illi robur dabimus. Egregie rem omnem testatur JOH. JOV. PONTANUS, æqualis & amicus COLOTII, *in Operis de Sermone lib. 2. qui de Hypocritis inscribitur*, verbis hujusmodi: *Jure igitur Umber meus mihique pernecessarius A. Colotius Bassus, vir & doctus pariter & jucundus, usurpare consuevit* &c. Et rursus *lib. 4. ejusd. Operis: Simile est familiaris nostri Colotii Bassi, viri admodum jucundi* &c. Patet id porro ex venusto BAPTISTÆ CASALIS, quo lusit in COLOTIUM, Epigrammate:

Redde Helicona mihi, redde, inquit Apollo, sorores,
Dic ubi sunt, inquam: dicam, ait, ex tripode.
Musa habitat, spretis, Bassi penetralia, Delphis,
Illique æternis fons scatet uber aquis.

Inpri-

Inprimis autem conferri merentur, quæ FEDER. UBALDINUS *in Vita Angeli Colotii*, singulari libello *Romæ anno 1673 in 8v.* edita, & in his terris raro conspicua, *p. 10.* eam in rem profert, ubi plenius edoceri lectores possunt, qualis in nomine mutando ritus, quæque ratio servata fuerit. Quæcunque vero narrata ibi sunt, egregie conveniunt cum iis, quæ DE LA MONNOYE l. c. edisseruit, ut ex ipso hoc fonte suam, quam habuit hac de re, notitiam hausisse videatur. His stabilita testimoniis conjectura non illepida non poterit non Autori suo laudem & eruditorum conciliare suffragia.

(b) Possem quidem in iis, quæ Gallus ille nobiscum communicavit, cum simillima vero sint, acquiescere; at cum ea, quæ certo definiri non possunt, variis ac multiplicis generis suspicionibus locum relinquant, jungam illis dicis causa alia, quæ mihi subnata sunt, in perlustrandis POLITIANI carminibus occupato. In his enim legitur Epigramma concinnum, *Basso* cuidam dicatum, cujus virtutes & ingenii cumprimis felicitas plurimis laudibus extolluntur. Prima illius verba hæc sunt:

Basse, licet veterum monumenta revolvat avorum,
Vix quem fama tibi conferat, inveniet.

Iste vero *Bassus* sive fuerit aliquis ex POLITIANI amicis, sive alius quicunque, certe, si ex Epigrammate illum discas, videtur POLITIANUM nostrum ore habituque toto referre. Videas ibi laudari solertissimum Historicum, assiduum CICERONIS imitatorem, amatorem PINDARI, Poetam jucundum, cujus & molliter fluant Epigrammata, & multum placeant carmina Heroica, Philosophum item subtilem, & cui vix ullus de universa doctrina palmam reddere possit dubiam. En! quam pulchre singula hæc POLITIANUM exprimant! Etenim virtutum istarum decore cumprimis exsplenduisse Italum nostrum, ex iis, quæ postea dicentur, manifesto judicare dabitur. Finge igitur, VOSSIUM ignarum, qua fuerit prognatus gente POLITIANUS, forte fortuna in lectionem hujus Epigrammatis incidisse, cumque omnia in eo rebus POLITIANI convenire intelligeret, nec quicquam cognitum haberet de *Basso* quodam, tantis digno laudibus, non po-

potuisse sibi temperare, quin ab ipso in ipsum compositum judicaret Epigramma, atque inde determinandi nominis gentilitii argumentum caperet. Forsan ita; forsan & aliter. In rebus adeo dubiis eorum, quæ suspicamur, in se fidem recipere, temeritatis est.

(*i*) Antesignanum hujus sententiæ ALEXANDRUM ADIMARIUM *in Observation. ad Pindarum ab ipso translatum p. 734*, dicit CRESCIMBENIUS *in Commentar. Vol. 1. p. 395. sq.* cujus sola hic utendum est autoritate, cum ipsas ADIMARII *Observationes* videre mihi non contigerit. Hujus statim vestigia pressere SPIN. BENCIUS *in Stor. di Montepulc. lib. 4. p. 84*, CAROLUS DATUS *in Vite de Pittori antichi p. 117.* TH. DEMPSTERUS *in Opere posthumo de Etruria Regali T. II. lib. 6. c. 10. p. 405.* FERDINAND. DEL MIGLIORE *in Firenze illustrata* p. 218. de quo vid. CRESCIMBEN. *l. c.* JULIUS item NEGRIUS, *in Istor. degli Scrit. Fiorent. p. 46.* qui hanc de cognomine *Cini* opinionem probabiliorem dicit altera. Fuisse etiam huic sententiæ addictum ANTON. MAGLIABECHIUM, tam patet ex testimonio CRESCIMBENII, qui *l. c.* se ipsum fatetur ex ore MAGLIABECHII, primam hujus sententiæ notitiam accepisse, quam ex ipsis MAGLIABECHII ad EMERICUM BIGOTIUM literis, quarum partem huc spectantem exhibet MENAGIUS *in Orig. della lingua Ital. p. 377. sq.* unde discimus, hausta hæc primum ex scriptis, nescio an editis, SOMMAI, postea prolixioribus Ducis DELLA RENA argumentis confirmata habuisse MAGLIABECHIUM. Ipse hinc MENAGIUS, fide MAGLIABECHII, subscribit huic sententiæ in *Anti-Baillet T. I. c. 14. p. 53. ed. nov.* & inprimis in *Orig. della lingua Ital. p. 377. sq.* cujus & sequitur autoritatem BÆLIUS *in Dict. Hist. T. III. p. 2345*, quin ipse olim DE LA MONNOYE *in Not. sur les Jug. des Sav. par Adr. Baillet T. II. P. I. p. 390. n. 1.* nondum edoctus ea, quæ prolata fuerunt a CRESCIMBENIO; alibi tamen iisdem in *Notis* meliora nos edocet.

(*k*) Fortissimum hæc sententia robur habet ab avthentica (si voci venia) POLITIANI scriptura, conspicua in testamento JOH.

PICI

PICI Mirandulani, cui ipse testis accitus, subscripserat nomen suum *de Cinis*. Hoc scilicet argumento ad instruendum ea de re MAGLIABECHIUM usus fuerat Dux DELLA RENA, cui ipsi testamentum Pici propius inspicere contigerat, uti patet ex literis MAGLIABECHII ad BIGOTIUM, MENAGIO *l. c.* relatis. Eadem, testante CRESCIMBENIO *l. c.* in rem suam affert FERD. DEL MIGLIORE *in Firenz. Illust. p. 218*, ubi & prima illius testimonii verba exhibet. Quod attinet ipsas ultimæ voluntatis literas, asservantur hæ, sicut a testatore atque testibus consignatæ sunt, in tabulario Abbatiæ Florentinæ, ejusdemque capsa signata *OO*; patetque ex earum inspectione, anno C. 1493. die 1. Sept. Indict. XI. fuisse conscriptas. vid. eund. CRESCIMB. *l. c.* Ea, quæ testamento subscripta sunt a PICO testatore, fere singula habentur apud *eund. l. c.* qui & ibidem integra testimonii a Politiano adjecti verba beneficio Abbatis SALVINII in lucem profert. Ista vero cum maxime huc faciant, summumque pondus addere possint sententiæ huic, haud frustra insumturum me puto operam, si ad verbum huc transtulero. Comparent vero inter quatuordecim testium subscriptiones loco statim secundo, sequentem in modum instructa: *Ego Angelus Politianus, filius Domini Benedicti de Cinis, Decretorum Doctor, & Canonicus Florentinus, rogatus & præsens una cum omnibus supra scriptis & infra scriptis testibus paginæ inferiori spatio facta contestata & scripta simul præsentibus & rogatis in ipsa pagina ejus utique Johannis de Picis supra scripti testamenti suo mandato manu mea subscripsi in testimonium: & ea sigillo proprio signavi habente in circulo imaginem Pegasi, id est, equi alati, quod ad unam ex chordulis supra positis ceræ impressi.* Nolim vero cuiquam veniat in mentem, alium forte hic intelligi POLITIANUM, quam de cujus genere & nomine in præsenti disquirimus. Singula, quæ hic tribui POLITIANO cernimus, Italum nostrum egregie produnt. Vix illa tempestate eruditum inter Italos talem invenias, quem non minus prænominis, cognominisque aliunde adsciti, quam munerum dignitatumque & summæ cum PICO familiaritatis, similitudo adeo æqualem

Nostro faciat. Mirum quidem videri potest, POLITIANUM, qui aliquot omnino menses ante PICUM diem obiit, præsentem adstitisse PICO, ultimæ voluntatis consignanti tabulas; nihil tamen id rei officit, cum anno jam 1493, uti supra indicavi, testamentum conditum, utriusque vero Itali obitus non nisi vergente demum anno 1494 subsecutus sit; qua de re pluribus infra. Nec quicquam malæ rei suspicari licet ex impura dictione, qua deformata hæc testimonii verba haud immerito dixeris, quæque longe abest ab elegantia sermonis, POLITIANO ubique propria. Non enim POLITIANI deberi ingenio hanc formulam, sed ex penu Notariorum prodiisse, eandemque esse, quæ multis aliis tabellis testamentariis illius temporis adjecta reperitur, ipse, qui plurimas illarum manibus versavit, & cum nostra diligenter contulit, refert CRESCIMBENIUS, *ibid. p. 406.* ubi & idem de PICI subscriptione testamento addita affirmat.

(*l*) Parum nobis injicit scrupuli dissimilitudo nominum CINI & AMBROGINI. Specie inter se differunt, non re ipsa. Vocis AMBROGINI resectis & decurtatis prioribus syllabis, & mutata litera *g* in *c*, habebis vocem CINI. Audacem me & in voces nimis injuriosum dicet, qui nescit, haud inusitatam fuisse ea ætate illam nominum detruncationem, eandemque, quæ in aliis quibusque vocabulis, in ipsis etiam cognomentis viguisse per compendium scribendi rationem. Nec conversio literæ *g* in *c* abhorret ab indole sermonis Italici. Docet enim *l. c.* CRESCIMBENIUS, patrii sermonis peritissimus, hanc mutilandi nomina gentilitia consuetudinem superiori ætate receptam fuisse Italis, simulque exemplis & fide doctorum virorum evincit, Florentino cumprimis sermone haud raro literam *c* in locum literæ *g* substitui. Producit hanc in rem nomina gentis *Ciampoli*, quæ cum formata sit ex *Giovanni di Paolo*, dici potius debebat *Giampolo*, & gentis *Ciampelli*, quæ composita ex *Giovanni di Pello*, prælata est meliori *Giampello*. Plures superesse antiquas mutationes *Ghini* vel *Gini* in *Cini*, pro certo relatum sibi habet idem CRESCIMB. *l. c.*

(m) Ne-

(*m*) Ne ipſe hac in re dubius hærere videar cum vulgo; ſerio affirmare audeo, habuiſſe POLITIANUM a parentibus genus cognomenque AMBROGINI. Quam dum mihi tuendam ſumo ſententiam, præeuntem ſequor S. R. Abbatem SALVINIUM, adhuc in vivis conſtitutum, qui cum aliquo abhinc tempore animum in enarrandis Canonicorum Florentinæ civitatis vitis occupatum haberet; ſolicite collegit ea, quæ ad illuſtranda POLITIANI fata pertinere videbantur. Quibus in juſtum ordinem redactis, & in lucem prodire juſſis, non dubium eſt, egregia inde percepturam commoda & patriam ipſius, & univerſam eruditorum rempublicam. Specimen laborum dare poteſt nova hæc de cognomine POLITIANI ſententia, quam ante eum ne ſuboluerat quidem eruditorum quiſpiam. Qua in re oppido ejus juvit induſtriam, quod ad intima tabularii Florentini penetralia aditus ei patuit, ubi antiqua ſcrutari monumenta, quæque prodeſſe poſſent eruditis, inde delibare callide noverat. Nondum tamen, quantum ſcio, ipſe hac de re quicquam literis prodidit, ſed percontantem CRESCIMBENIUM jam olim eorum, quæ excuſſerat, ſive coram, ſive per literas, participem fecerat. Is igitur, cum veterem antea cum reliquis ex vulgo cantaſſet lyram, jam meliora edoctus, rem omnium cognitione digniſſimam ſub finem *Vol. 1. Commentar. intorno alla Iſtor. della Volg. Poeſ. p.395. ſqq.* tempeſtive ediſſeruit, quæque a S. R. Abbate acceperat, cum eruditis communicavit, nec autorem, cujus præcipuæ induſtriæ hæc debentur, diſſimulavit. Ex quibus multum me hac in cauſa profeciſſe, non diffiteor. Huic vero num præter Gallum, DE LA MONNOYE, qui MENAGII preſſe olim ſecutus veſtigia *in Not. ſur Bail. Jug. des Sav. T. II. P. I. p.* 390. *n. 1.* poſtea lectis, quæ CRESCIMBENIUS memoriæ prodidit, mutavit ſententiam, hujusque ſe adjunxit partibus *ibid. T. IV. P. I. p.52. n.1*, ullus ſcriptorum huc usque fidem habuerit, ignoro. Quotquot enim ſunt, quos mentionem feciſſe POLITIANI recordor, plurimi *Baſſorum*, pauciores *Cinorum* gente editum dixerunt. Quin ipſe, qui ante decem, & quod excurrit, annos

nos Itali hujus vitam enarravit, Vir Cl. WERNER. JAC. CLAUSIUS nihil ab antiquorum veſtigiis deflexit, meliora forte amplexurus, ſi ejusdem, unde hæc hauſi, ſcriptoris facta ipſi fuiſſet copia. Manifeſtam autem rem omnem faciunt tabulæ diplomatis publici, quo dignitas Doctoris Juris Canonici collata eſt in POLITIANUM, antequam ad ipſum Canonici faſtigium adſcenderat. Quibus cum præmiſſum ſit, ex more ſcriptionum ejusmodi, univerſum nomen genusque POLITIANI; cognomen ibi Itali noſtri habetur tale: *Angelus, filius egregii Doctoris D. Benedicti de Ambroginis de Monte Politiano.* Publica autoritate conſignatum diploma ſervatur, teſte CRESCIMBENIO *l.c*, in tabulario Florentino generali, unde ſcilicet S. R. Abbas SALVINIUS protraxerat. Conditum eſt ſolenni formula a Notario publico Archiepiſcopatus Florentini, die 23. Decembr. anni 1485, dignum, cujus prima, quæ refert CRESCIMBENIUS, lectoribus hic verba communicentur: *Cum igitur doctiſſimus inſignis D. Angelus fil. egregii Doctoris D. Benedicti de Ambroginis de Monte Politiano, Prior ſæcularis, & Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Pauli Florentini, quem ſcientia, moribus, & virtutibus ſpeciali prærogativa ſublimavit Altiſſimus die infra ſcripta 23. Decembris 1485. ind. 4. fuerit præſentatus Reverendiſſimo in Chriſto D. Rainaldo de Urſinis Archi-Epiſcopo Flor.* &c. Hactenus CRESCIMBENIUS; nec opus eſt hanc in rem pluribus. Quis fraudem hic ſuſpicari auſit? Non id patitur fides & integritas SALVINII. Nec alium hic indicari, quam quem ſupra in teſtamento PICI vidimus *de Cinis* dictum, patet ex æquali utriusque prænomine, patria, & dignitate, quin & ex eodem parentis prænomine. Sed quid? Si quæras, unde ſit, quod in teſtamento PICI Canonicus Florentinus dictus ſit POLITIANUS, in his vero literis Prior ſaltem templi S. Pauli? facile hunc evellet ſcrupulum diſtinctio temporum. Ea enim, qua Doctoris honores capeſſivit, ætate nondum ad Canonicorum Florentinorum numerum adſcriptus erat POLITIANUS, ſed factum id eſt anno demum 1492, ſi vera refert STROZZI *in Catalogo MSCto Canonicorum Florent.*

Florent. cujus meminit idem CRESCIMB. *l. c.* Unde patet, Canonicum dici non potuisse in hisce diplomatis publici tabulis, cum ad illam dignitatem nondum evectus esset POLITIANUS. At *Priorem* etiam fuisse olim ANGELUM, etsi nullis scriptorum testimoniis confirmatum sciam; colligere id tamen licet ex quodam POLITIANI Epigrammate, obvio in libello *Epigr. ejus*, quod inscribitur: *Ad Laurentium, pro Sacerdotio accepto in templo D. Pauli, cum adhuc sub judice lis esset.* Quæ verba planum faciunt, sacra obiisse POLITIANUM in templo D. Pauli, cui muneri cum plerumque soleat dignitas quædam ecclesiastica accedere, Prioratus honorem POLITIANO fuisse additum, credibile est. Litem vero in Epigrammate illo memoratam, quæ judicis expectare dicitur sententiam, spectasse forte ad Canonici honores, POLITIANO postea delatos, colligit CRESCIMBENIUS *l. c.* Fallitur vero CLAUSIUS, qui cum ipso statim sacerdotio Canonici dignitatem pervenisse ad POLITIANUM, ex eodem Epigrammate, unde nullum plane huic rei argumentum peti potest, evincere conatur in *Vita Pol. c. 8. p. 22.*

(*n*) Ex centum causis, quæ occasionem dare POLITIANO potuerunt mutandi nominis gentilitii, quis certam ausit eruere, cum nihil plane ea de re memoriæ proditum invenire liceat? M. ANTONIUS MAJORAGIUS quidem, qui, antequam *Politiani* nomen adsciverit Noster, dictum fuisse *Angelum de Montepulciano* putat, ad ipsum hoc abrogandum, & assumendum POLITIANI nomen subinvitatum eum fuisse ait fausto illo omine, quod vel ipse nominis *Politiani* sonus prodit. En verba ejus in *Orat. pro se, de mutatione nominis sui,* quæ est *X. in Vol. Oratt. ejus, p. 216: Quid Politianus, vir ita facundus, & oratione politus, ut non sine causa nomen illud adscivisse videatur, annon Angelus antea de Monte-Pulciano fuit?* Sed vana hæc nimis, & puerili levitati accommodata; inprimis cum in promtu sit fortior hujus rei ratio petita ab ipsa Itali nostri patria, quæ, sicut jam supra dictum est, scriptoribus latine *Politianum* vocatur. Haud igitur plus politi in nomine viri, quam patriæ latere existimo.

At videtur hanc plane ignorasse MAJORAGIUS latinam civitatis illius appellationem. Conf. MENAG. *in Anti-Baillet, T. 1. p. 53. sq.* Videmus autem a NIC. MACHIAVELLO *in Hist. Flor. lib. 8. p. 500* Nostrum dici *Agnolum Montepulcianum* non alia de causa, quam quod patria ejus, a qua nomen sortitus est, italice *Montepulciano* dicitur.

(*o*) A latina nempe patriæ appellatione. Apparet igitur, nihil inter se differre bina hæc nomina nisi forma & mutatione literarum, quæ ex linguæ & sermonis diversitate oritur, atque adeo utrumque eodem tempore Italo nostro solenne fuisse. Quare non assentior dictis MAJORAGII, sub *not. antec.* allegatis, ubi putat, usurpatum ei fuisse antea nomen ANGELI DE MONTEPULCIANO, postea vero cum altero POLITIANI commutatum. Etenim quæ ejusdem sunt naturæ & indolis, inter se commutari non solent.

(*p*) Annum ignoro cum scriptoribus ceteris; at prima id statim ætate factum esse, ex eo colligo, quod scripta ejus singula nomen POLITIANI præ se ferunt, nec in ipsis ejus Epistolis ulla occurrat, quæ nominis gentilitii mentionem injiciat.

(*q*) De SANNAZARII in POLITIANUM odio infra subministrabitur dicendi materia. Ejus documentum esse potest contumeliosa nominis distortio, qua POLITIANO insultavit binis in *Epigr.* quæ sunt *61 & 62. lib. 1. Epigr. ejus*, ubi contemtim satis sed nescio quam acute *Pulicianum* dicit.

(*r*) Pertinet huc POLITIANUS, Episcopus Bovianus, qui anno c. 1215 Bojani, quæ civitas est in ditione Neapolitana sita, Ecclesiam cathedralem dedicavit Episcopus; uti patet ex inscriptione, in illius ara conspicua, quam exhibet FERD. UGHELLUS *in Ital. Sac. T. VIII. p. 243.* Addo huic JOH. ANGELUM POLITIANUM, a patria sic dictum, Professorem Logices Pictavii constitutum sub initium Seculi XVII, de quo supra quædam, & mox plura. Porro huc facit JOH. MARIA POLITIANUS, ex ordine Carmelitarum monachus, clarus inprimis circa annum 1490, qui vitam B. ALBERTI Drepanensis, ejusque miracula scriptis enarravit, ediditque alia, Venetiis excusa.

Conf.

Conf. VOSSIUM *de Hist. Lat. l 3. c. 8. p. 358.* Innotuit etiam inter eruditos ANTON. LAURENTIUS POLITIANUS, Professor Logices Pisanus, ineunte Seculo XVII maxime clarus, qui Dialogum *de Risu*, librosque *de Cælis eorumque motibus*, & *de natura Logicæ* vulgavit. Vid. de eo BÆLIUS *in Dict. T. III. p. 2345.* Meminit & cujusdam HELENI POLITIANI, Scriptoris *Microscopii Statistici*, MOLLERUS *in Diss. de A. Politiano §. 5. p. 4.* ubi & alios profert *a Politio* dictos, *Politios*, & *Politos*, sed horum exigua est cum Itali nostri cognomine affinitas.

(s) Natus est INGOLSTETTERUS iste, sicut habet MOLLERUS *l. c*, Norimbergæ A. C. 1563. In schola Ambergensi, memorante HENR. WITTENIO *in Diario Biographico ad annum* 1619, Prorectoris munere primum functus, postea Medicinæ Doctor & Physicus Ambergæ factus, multis ingenii sui monumentis in lucem editis præclare de arte medica & universa fere doctrina mereri cœpit. Quorum Indicem, si placet, vide apud *eund.* WITTEN. *l. c.* Hunc idem refert scripta Theologica edidisse sub nomine ANGELI POLITIANI. Quæ res memoratur etiam KÖNIGIO *in Bibl. Vet. & nova p.* 428, & qui horum sequitur vestigia, VINC. PLACCIO *in Theat. Anonym. & Pseudon. P. II. p. 515.* quin ipsi ADR. BAILLETO *in Jug. des Sav. T. V. P. II. p. 473. & 558. ed. nov.* Factum hoc illi eam ob causam ait MOLLERUS *l. c. §. VI. p. 5*, quod nomen *Ingolstetteri*, separatim sumtis illius partibus, universum ANGELI POLITIANI nomen forma referat. In tanto igitur scriptorum numero, qui hæc de medico illo secure annotaverant, miror, ne ullum quidem, nec ipsum WITTENIUM, qui cetera ejus scripta diligenter recensuit, in memorando tam fuisse accuratum, ut scriptorum, quæ sub tecto hoc nomine edidisse perhibetur INGOLSTETTERUS, ipsos nobis exhibuerit titulos. Unus MOLLERUS *l. c.* in tantum reliquis est verbosior, ut contra BELLARMINUM inprimis scriptis illis Theologicis tela vibrata esse nos edoceat. Quæ si & ceteris scriptoribus ea de re sedit sententia, ingens mihi de universa relatione subnasci-

tur ſcrupulus. Etenim BÆLIUS *in Dict. T. III. p. 2345* de JOH. ANGELO POLITIANO, cujus ſupra mentionem feci, Profeſſore Logices Pictavienſi, & JOH. DALLÆI præceptore, memorat, ſcripſiſſe eum libros binos contra ROB. BELLARMINUM, patria ſibi æqualem. Tituli vero librorum, ex relatione BÆLII, hi ſunt: *Philoſophia Euchariſtica de Potentia & voluntate Dei ex tertio libro Bellarmini de Euchariſtia, expoſita & refutata, Ambergæ 1604. in* 4, &: *Philoſophiæ ſeu potius Sophiſticæ Euchariſticæ Bellarmini Pars altera refutata, Amberg.* 1606. *in* 4. Habet eosdem librorum titulos, pauciſſimis mutatis verbis, GEORG. DRAUDIUS *in Bibliotb. Claſſica p. 266.* qui tamen & alium addit *p.* 1230 hujus autoris libellum, ſequentis tituli: *Politicæ Chriſtianæ vel potius Sophiſticæ Rob. Bellarmini ad pios & ſapientes, Pars I, de Rerumpubl. formis in genere refutat. a Joh. Angelo Politiano, Amberg. ap. Joh. Schœnfeld. 1614. in* 4. Iſta igitur a BÆLIO adducta, & ad Autorem Italum relata ſcripta cum non ſolum nomine Autoris, & loco, quo formis excuſa ſunt, talia omnino ſint, qualia dicuntur WITTENIO aliisque ſcripta eſſe occultato nomine a JOH. INGOLSTETTERO; dubium id reddere lectorem poteſt, num conclamata adeo ſint, quæ de Medico illo Ambergenſi vulgo tradita leguntur. Mihi ipſi doleo non factam eſſe horum librorum copiam; cum ex illorum inſpectione facile poſſit de autore ferri judicium. Jam vero, cujus me partibus adjungam, hæreo. Nunc ad BÆLIUM, nunc ad hos, qui contra ſentiunt, inclinat animus. In cognitione rerum, quæ ad Germanos ſpectant, Gallis Germanos præferendos eſſe, inquis? At quanta eſt BÆLII inter eruditos autoritas! quanta fides! quam explorata in eruendis vel exterorum rebus ſolertia! Rurſus, hunc ſuſpicaris, ignarum Germani illius, cui nomen *Politiani* adſcitum fuerat, conſpectis forte librorum a JOH. ANG. POLITIANO editorum titulis, libri autorem falſo putaſſe illum, quem ipſe norat, & cujus nomen nihil plane diſcrepabat ab Autoris nomine? At forſan ipſe manibus verſavit libellos iſtos BÆLIUS, forſan legit ipſe, & ex inſpectione cognovit,

Ita-

Italum libellos istos autorem habere. Quid? si & *illi*, ignorantes fortasse Italum POLITIANUM, JOH. ANGELUM, tumque mirati, in media Germania edi libellos autore Italo, jamque aliquam nominis POLITIANI similitudinem animadvertentes in Germanico INGOLSTETTERI nomine, huic statim, merenti an immerenti, docti laboris gloriam tribuerint, atque ita conjecturis potius, quam certis rerum monumentis rem confirmatam habuerint? Adeo necesse est, si certi quid hac de re edoceri velis, ut ipsam libellorum faciem propius intuearis.

§. 2.

Natum esse Politianum anno C. MCCCCLIV, pridie Idus Quinctiles, (*a*) Scriptores omnes inter se conveniunt (*b*). Patria ei contigit, non Florentia, ut frustra perhibent nonnulli, (*c*) forsan male interpretati verba Nicol. Leoniceni (*d*) aut ipsius Politiani, (*e*) sed Politiano, (*f*) aliis mons Politianus dicto, (*g*) oppido, prope Florentiam in acri monte sito, (*h*) cujus sicut ingens semper antiqua origine, (*i*) copia, (*k*) splendore, (*l*) ac virtute civium, (*m*) sacro Episcopi imperio (*n*) ac felicissima ubertate soli (*o*) fuit gloria; ita & hoc inprimis praeclarum habuit ac singulare, quod viros produxerit, tam religiosissima vivendi ratione, (*p*) quam omni honoris genere insignes, ut Episcopos, (*q*) Purpura spectabiles, (*r*) Duces, (*s*) quin etiam aliquos Pontificum. (*t*) Nec pauci fuere, qui eadem, qua Politianus noster, insignioris doctrinae gloria, civitatem hanc

egregie nobilitarunt. (*u*) De tam illuſtri igitur patria Politiani cum nihil ſit inter ſcriptores diſſidii; mirum omnino eſt, de ipſis ejus parentibus, qui, qualesve fuerint, aut quo vitæ genere conſpicui, ſecure taceri ab omnibus. (*x*) Nobis ex documentis publicis fide dignis id ſcire licet, Parente natum fuiſſe *Benedicto de Ambroginis*, viro honeſto nec ignobili. (*y*) Divitiis abundaſſe parentes ejus, vix ſibi perſuadeat, qui de ipſa Politiani adoleſcentis egeſtate compertum habet. (*z*) Non tamen ad ſordes usque pauperes fuiſſe crediderim cum Varillaſio. (*aa*) De cetera Politiani cognatione literis prorſus nihil traditum eſt; niſi, fratrem ei fuiſſe Philippum, pictorem, ex Noſtri quodam Epigrammate colligere velis. (*bb*)

(*a*) Addit, fide HIERON. CARDANI, ABR. BUCHOLZERUS *in Indice Chronol. p. m.* 454, hora I. minutis 28, poſt meridiem dictæ diei lucem POLITIANO conſpectam eſſe. Excerptum dedit lectori locum BUCHOLZERI CLAUSIUS *in vita Polit. c.3. p. 13.* ubi tamen pro menſe Junio legi debet menſis Julius; quem errorem nec emendatum eſſe ab *Autor. Biblioth. miſcell. Sect. 15. p. 265*, ubi CLAUSII commentatio recenſetur, valde miror. Eadem habet, iisdem fere BUCHOLZERI verbis, ANDR. CALAGIUS *in Natal. illuſtr. vir. p. 225*, qui & aliis ſcriptoribus chronologis utitur teſtibus.

(*b*) Neque de anno, neque de die quicquam ab ullo ſcriptorum movetur dubii. Ut potiores ſaltem proferam, docemur id a G. J. VOSSIO *de hiſt. lat. lib. 3. c. 8. p. 628*, BOISSARDO *in Icon. viror. doct. p. 159*, POPE-BLOUNT *in cenſ. celeb. autor.* p. 357,

p. 357, BAELIO *in Dict. H. & Cr. T. III. p. 2340*, EL. REUSNERO *in Diar. hist. ad an. 1454* & innumeris aliis, quorum testimoniis facile carere possumus.

(c) Proditum id est à VARILLASIO *in Anecd. de Flor. L. IV. p. 193*, ubi verba habet: *il etoit de Florence* &c. sed hujus autoris qualis sit in re literaria fides & autoritas, jam inter omnes constat. Hinc non immerito hunc ejus errorem perstringit BAELIUS *in Dict. T. III. p. 2341. not. B.* In eodem errore versatur BULLARTUS *in Acad. des Scienc. L. IV. p. 277.* Istius vero scriptoris exigua habenda est ratio in iis, quæ ab aliis, probatioris fidei scriptoribus, diversa habet; cum in enarrandis eruditorum fatis raro fontem, quo usus fuerat, lectori indicaverit. Simili prorsus ratione GYRALDUS *in Dial. I. de Poetis suor. temp.* quem vide *T. II. Opp. ejus p. 535*, POLITIANUM dicit *Angelum Florentinum.* Jungo his GEORG. HENISCHIUM *in Contin. success. veter. dialect. præmissa ejus Instit. dialect. libris VII*, ubi clara sunt verba: ANG. POLITIANUM *patria Florentia omnium liberalium artium præceptorem habuit;* & DE ROGISSART *in delic. de l'Italie T. I. p. 171.*

(d) LEONICENI *in epist. ad* ANG. POLITIANUM *L. II. epp. Pol. ep. VII.* hæc sunt verba: *Novi ego tuum perspicacissimum ingenium, - - - in quibus omnibus tantum profecisti, ut tua te patria inclyta Florentia omnium liberalium artium utatur præceptore.* Quæ verba videntur in errorem illum induxisse scriptores ante dictos, ut ipsa Florentia natum POLITIANUM crederent. In tanta vero scriptorum quin & documentorum copia, quibus dicta hæc facile infringuntur, accuratius illi dispicere debebant de veritate dictorum, seu de mente LEONICENI, talia de POLITIANI patria commemorantis. Quis enim injuriam fieri LEONICENO existimet, si, de patria POLITIANI male edoctum hæc protulisse dixerimus? Facile id poterat contingere homini ab ANGELI penatibus longius remoto, quique POLITIANUM fere adhuc infantem meminerat Florentiæ egisse, atque ab illo tempore perpetuum illic fixisse domicilium. At si mitius agendum cum LEONICENO putas, per me licet

cum

cum CLAUSIO c. III. p. 13. patriam hic fortunæ non hominis intelligas. Vere enim patriam, dum viveret, in se expertus est NOSTER Florentiam innumeris beneficiis & amplissimis longe muneribus.

(*e*) Sub finem carminis, quod *Nutritia* inscribitur, ita canit POLITIANUS:

Sed tu, (si qua fides) tu nostrum forsitan olim
O mea blanda altrix non aspernabere carmen,
Quamvis magnorum genitrix Florentia vatum.

Ubi tamen vox *altrix* nequaquam, sicut vulgo solet, matrem denotat, sed eam saltem, quæ aluit, nec simul genuit. Atque eandem fuisse POLITIANI mentem, patet ex subjuncta voce *genitrix*, quam ab altera voce ita distinguit, ut utrique genuinam suam ac propriam significationem tribui velit. Dum igitur *altricem suam* dixit Florentiam, salvum remansit veræ ejus patriæ *genitricis* vocabulum.

(*f*) *Politiano*, civitate Ethrusca natales duxisse POLITIANUM, infinita scriptorum, tam eorum, qui res illius civitatis exposuere, quam aliorum, testimonia confirmant; ut LEAND. ALBERTI *in Descript. tot Ital. p. 89.* FRANC. DYNI *in Antiq. Etruriæ p. 60.* FERD. UGHELLI *in Ital. sacr. T. I. p. 1002.* SPINEL. BENCII *in Stor. di Montepulc. L. IV. p. 84.* VOSSII *de hist. lat. Lib. III. c. 8. p. 628.* BOISSARDI *in Icon. vir. doct. p. 159.* BÆLII *in Dict. T. III. p. 2340. sqq. not. B.* JOH. AND. QUENSTEDII *in Dial. de patriis doct. viror. p. 327.* plurimique alii. Nec indigere videbatur tot testibus veritas, quæ manifestissima est ex supra adductis tabulis publicis, quibus Decretorum Doctor POLITIANUS renunciatus est. Hæ enim diserte patriam ejus Montepulcianum loquuntur. At de fide illarum vix quispiam dubitare ausit.

(*g*) Duplici urbs ista a scriptoribus nomine insignita legitur. POLLITIANUM s. frequentius POLITIANUM vocatur BARTH. SCALÆ *in Histor. Flor. L. III. p. 92.* BLONDO FLAVIO *in Ital. illustr. adjecta ejus Romæ triumph. p. 308.* FERD. UGHELLO l. c. FR. DYNO *in Antiqu. Etrur. p. 45.* aliisque. Sed dicitur etiam

etiam *mons Politianus*, Italicæ linguæ uſu *Montepulcianum*, LEAND. ALBERTO *in Deſcript. Ital. p. 89*, ROGISSARTO *in Delic. de l'Italie T. I. p. 196*, BENCIO *in Stor. di Montep. L. I. p. 1*, VOSSIO *l. c*, BOISSARDO *l. c*, BÆLIO *l. c*, QUENSTEDIO *de patr. doct. vir. p. 327*, & aliis. Mirum videri poteſt, eodem, quo ipſe collis, civitatem etiam appellari nomine, urbemque montem dici; ſed commune id fere eſt Italis, qui plurimis oppidis ejusmodi dedere appellationes, ſicut apparet ex *monte Regali*, *monte Calerio*, *monte Alcino*, *monte Flasconis*, *monte S. Angeli*, *monte Peluſio*, *monte Viridi*, & innumeris fere.

(*h*) Univerſam urbis hujus hiſtoriam a primis ejus initiis ad annum *1607*, *libris VI* contextam edidit Italico ſermone SPINEL. BENCIUS *anno 1664*, *in 4*. Eminet urbs Senas verſus in cacumine altiſſimi montis, jucundiſſimis diſtincti vallibus, qui ipſe urbi nomen dedit. Hinc in lacum Peruſinum proſpicias, illinc in Cortonæ Aretiique montes. Suaviſſima ejus eſt planities, quæ ad arcem usque porrigitur, & templo B. Virginis ſplendidiſſimisque palatiis exornata eſt. Cetera urbis pars in declive pendet. Amœnior eſt natura loci, ſpatioſus ambitus, & murorum ad octo millia paſſuum circumſepta corona. Vid. BENCIUM *l. c. p. 1. ſqq*, FR. DYNUM *l. c. p. 45. & 47*, FERD. UGHELLUM *l. c. p.* 1002, & BLONDUM FLAVIUM *in Ital. illuſtr. p. 308*.

(*i*) Antiquam urbis originem loquuntur vetuſtæ murorum ſtructuræ, viæque ſubterraneæ, in ædificiorum profundis latitantes, de quibus vid. FR. DYNUM *in A. E. p. 51*. Conditorem ejus PORSENAM priſcum Ethruſcorum Regem perhibet SPIN. BENCIUS *l. c. p.* 10, & ex eo UGHELLUS *l. c. T. I. p.* 1002, & fuſius cumprimis DYNUS *l. c.* Ipſi nobiliores Politianenſium, delectati illuſtriſſimis his patriæ natalibus, in loco comitiorum publico ſtatuam erexere cum inſcriptione: LAARTI PORSENÆ CIVITATIS POLITIANI FUNDATORI; ſicut refert FRANC. BALDERESCHIUS *in Annot. ad* DYNI *Ant. Etr. his ipſis annexis p. 154*. At huic ſententiæ refragatur LEAND. ALBERTI *in Deſcript. Ital. p. 89*. qui non a

PORSENA, sed a Zenobio, Landervici Romani Senatoris filio anno C.CCCLXX. conditam refert. Conf. VOLATERRANI *Comment. urban. L. V.* quem tamen erudite refutatum vid. apud DYNUM *p.53. sqq.*

(*k*) Accolarum hujus urbis numerum ultra novem millia excedere contendit idem DYNUS *p.45.*

(*l*) Nobilissimæ hic a longo tempore Ricciorum & Taurusiorum gentes, e quibus tot prodiere viri dignitatibus illustres, floruerunt. Quin & universum civium corpus tam nobilitate, quam incomparabili inprimis concordia prædicatur a DYNO *l. c. p. 45. sqq.*

(*m*) Fuit & bello conspicua Politianensium virtus. Testes sunt Orbevetum fortiter defensum, impetiti armis Clusini Turritæque fines, & Fullonicæ vicinæ urbis expugnatio. Sæpius tamen adverso etiam Marte dimicatum ab illis est; nunc fugati a Lucinianensibus, nunc ipsi Orbevetanorum subjecti imperio, nunc Senensibus, nunc Florentinis in prædam cessere. Recuperata libertate, mox sponte in ditionem Florentinorum se receperunt, quibus & hodie parent. Fusius hæc enarrata vid. ap. eund. DYNUM a *p.56--60.* BARTH. SCALAM *in Hist. Flor. L. III. p. 92.* BENCIUM *l. c.* per omnes fere paginas, UGHELLUM *l. c. T. I. p.* 1002.

(*n*) De Episcopatu Politianensi & septem, qui illi ecclesiæ præfuerunt, Episcopis plenius actum est a FERD. UGHELLO in *Ital. S. l. c.* Primus huic urbi Episcopus, eodem teste, ad preces Cosmi I magni Ethruriæ Ducis, anno 1561 a Pio IV. Pont. Max. constitutus est JO. RICCIUS, Cardinalis patria Politianus, qui tamen duos vix menses munere isto functus, sponte illo se abdicavit, & successori SPIN. BENCIO reliquit administrandum.

(*o*) Omnium fere, quæ ad victum pertinent, rerum abundantia, largo inprimis & pinguissimo frumento instructa urbs ista dicitur. Fœcundissimis vitibus mons universus circumseptus est, unde tam dulces uvæ progenerantur, ut vel ab ipsis exteris avide bibantur, quæ a monte Politiano nomen habent, varia

ria lyæi genera. Quorum virtutes de induſtria commemorat DYNUS *l. c. p. 48.*

(*p*) In his præcipui ſunt ANGELINUS DANESIUS, JAC. PAGNINUS, AGNES, ſanctiſſima ex ordine Prædicatorum virgo, de qua vid. UGHELLUM *l. c*, plurimique alii, quos in ordinum eccleſiaſticorum Annalibus reperias, ex parte relati DYNO *p. 62.*

(*q*) Pertinet huc TAURUSIUS, Piſarum ac Sardiniæ Archiepiſcopus, de quo vide DYNUM *p. 60.*

(*r*) Ad iſtam pervenere dignitatem JO. RICCIUS, quem mortuo Pio IV plurimi ominati fuerant ad ſummam eccleſiæ Rom. ſedem adſcenſurum eſſe; FR. MARIA TAURUSIUS, Julii III nepos, de quo dixerat Leo XI, *nulli unquam naturam ſpecioſiora talenta tradidiſſe.* De his vide DYNUM *p.* 61. & UGHELLUM *l. c.*

(*s*) Horum multos exhibet SPIN. BENCIUS *in Stor. di montep.* variis in locis.

(*t*) Politianum patriam habuit MARCELLUS II, ex nobiliſſima Cervinorum gente oriundus, qui primum a Paulo III Purpura donatus & legationibus admotus, poſtea ipſe Pontifex factus eſt. Doctrina etiam inclaruit, ob editas epiſtolas, aliaque. Confer DYN. *p. 61.* UGHEL. *l. c.* LEAND. ALBERTI *in Deſcript. Ital. p. 89.* & ROGISSART. *in delic. de l'Ital. T. I. p. 196.*

(*u*) In his maximam doctrinæ famam conſecutus eſt ROBERTUS BELLARMINUS, Marcelli II Pontificis ex ſorore nepos, qui anno ætatis undevigeſimo ſocietati Jeſu adſcriptus, primum Lovanii, poſtea Romæ Theologiam docuit, tandem vero ob illuſtrem cum Marcello II cognationem a Clemente VIII ad Purpuram & Archiepiſcopatum Capuanum evectus eſt. Hæreticorum vere malleus, acerrimusque Pontificiæ doctrinæ propugnator dicitur a Pontificiis. Quam laudem ſicut omnibus fere ſcriptis ſuis, contentioſiſſimis omnino ac vehementiſſimis, ita cumprimis reſponſione ſua ad Jacobum M. Brittanniæ Regem egregie meruit. Vid. SPIN. BENC. *Stor. di Montep. L. VI. p. 150,* QUENSTED. *de Patr. doct. viror. p. 327,*

ERYTHRÆI *Pinac. p. m. 84*, inprimis autem JAC. FULIGATTUM, qui vitam viri magni ſingulari libello copioſe expoſuit. In literatorum numerum referri etiam debet FR. MAR. TAURUSIUS, idem ille, quem dixi ſub not. (*r*) Purpura exſplenduiſſe. Prima hic Annalium BARONII volumina in Italicum ſermonem transtulit. Plura de eo vid. apud DYNUM *p.* 60 & in OLDOINI *Athenæo Rom.* paſſim. Politianum porro patriam habuit ANGELUS PACIUCCHELLUS, qui inclaruit ſuperiore ſeculo libris hiſtorico-moralibus, lectionibus in Jonam Prophetam, Italice ſcriptis, & latine verſis a CAROLO a MARIMONT, clerico regulari Theatino Lotharingo, editisque Monachii MDCLXXII in fol. tractatu item de *paſſione Chriſti, de patientia* & *de colenda virgine Deipara.* Conf. eundem DYNUM *l. c.* & JOH. HALLERVORDII *Biblioth. curioſ. p.* 12. Nec minus doctrina poſteris ſe commendarunt LÆLIUS MANCINUS, qui Paduæ Piſisque juventutem Jura docuit, editisque *Diſquiſitionibus genialibus* & *de triplicis Juris collatione & conſenſu* opere ſatis innotuit. Confer DYNUM *l. c.* & JO. HALLERVORD. *l. c. p.* 228. Jureconſultum Principem vocat JAC. GADDIUS *de Script. non eccleſiaſt. T. II. p.* 294. Spectat huc quoque JO. ANG. POLITIANUS, de quo actum eſt ſupra *§. 1. not.* (*s*) Alios his addit idem DYNUS *l. c;* ut GRIFOLUM quendam, cujus editum proſtat *Volumen Conſiliorum*, & GRISUM *de monte Politiano*, Patronum cauſarum clariſſimum, neſcio an & ſcriptis inclytum. Plures etiam proferri hinc illinc videas a BENCIO *l. c.*

(*x*) Præcipua hujus ſilentii cauſa inde eſt, quod ipſe ne verbulo quidem POLITIANUS ſive in epiſtolis, ſive in ceteris ſcriptis ſuis parentum ſtirpisve, unde genus duxerat, mentionem fecerit. Id vero ex induſtria ipſi factum, non habeo, cur credam. Forte omnem nobis proſapiam indicaſſet, ſi occaſio tuliſſet.

(*y*) Ignoraret parentem POLITIANI cum ſcriptoribus reliquis poſteritas, niſi aliquam hac in re lucem ei affunderet tabula tam teſtimonii a POLITIANO teſtamento PICI adjecti, quam

quam Diplomatis publici, quo Doctoris jura in ipsum collata sunt. Utriusque enim in literis dictus est Angelus Noster *filius egregii Doctoris Benedicti de Ambroginis.* Ipsum verborum ordinem vid. *supra §. 1. not.(k)* & *(m)* Unde certo nobis tam de nomine, quam de nobilissima vitæ conditione parentis constare potest. Honestissima enim est *egregii Doctoris* appellatio in tabulis illis obvia, quam de dignitate Doctoris malim, quam de munere docendi intelligi. Cujus vero ordinis honores summos ceperit, cum in ipsis tabulis non sit additum, nec ego planum facere ulla ratione ausim. Ceterum ex his patet, non ita stricte explicanda esse verba POLITIANI, quæ habet in epistola ad Matthiam Regem Panoniæ *L. IX. ep. 1*, ubi ita: *Tantum dixero, me Laurentii Medicis, magni sapientisque viri - - - non diligentia minus, quam liberalitate, de obscuro tenuique loco, quo nascentem susceperat, in aliquam certe lucem dignitatemque nullis adeo nisi literarum adminiculis pervenisse.* Etenim bene noverat POLITIANUS, coram Principe tanto non decere natales jactari, quantumvis nobiles illi ac honesti fuerint, sed extenuandum potius esse, quicquid ad ipsum pertinere videretur. Nec in suam ipse fortunam lusisse putandus est POLITIANUS versiculis illis, quos refert NATHAN. CHYTRÆUS *in Deliciis varior. in Europ. itiner. p. 112*, sub aditum montis Fæsulani, quo sæpius divertere solebat Noster beneficio Laur. Medicei, in conclavi quodam manu ejus scriptos reperiri:

Misero quello, chi da persona vile
Nasce di cor magnanimo & gentile.

Injuriam fecisset sorti suæ, si hæc sibi dixisset. Quocunque enim fuerit demum parente genitus, certe tunc temporis, cum data ei esset a Laurentio potestas secedendi in agrum Fæsulanum, non miser ipse, sed felix jam satis erat, splendidisque muneribus & magna apud omnes existimatione inclaruerat. Alia igitur quævis causa scribendis his versiculis materiam dederit POLITIANO, necesse est.

(z) Ipſe non diſſimulavit paupertatem ſuam POLITIANUS, ſed quando tulit occaſio, gemebundus eam profeſſus eſt. Exemplo ſit Epigramma *ad Fontium*, quod anno ætatis 13 compoſuit, in libro carminum ejus obvium, ubi ita canit:

Dulce mihi quondam ſtudium fuit, invida ſed me
Paupertas lacero terruit uncta ſinu.

Et quidni pauperem credas, cum ne veſte quidem ſemper integra inceſſerit juvenis, &, ut novam daret, modeſte a Laurentio petierit. Audiamus pauperculum in Epigrammate *ad Laurentium*:

Quod tegor attrita, ridet plebecula, veſte,
Tegmina quod pedibus ſint recutita meis;
Quod digitos caligæ disrupto carcere nudos
Permittunt cælo liberiore frui;
Intima bombicum vacua eſt quod ſtamine veſtis,
Sectaque de cæſa vincula fallit ove.
- - - - - - - -
Laurenti veſtes jam mihi mitte tuas.

Quas cum mitteret Laurentius auro multo intertextas, ſupplices Epigrammate ſequenti gratias egit.

(aa) Habet & hic ſcriptor ille rerum ſingularium ſubdolus, VARILLASIUS, indictam aliis & proprio forte ingenio effictam fabulam, qua ſordidos nimis humileſque POLITIANI natales comminiſcitur. Satis tamen audacter, & quaſi nullus dubitationi locus relictus eſſet, rem omnem enarrat. Juvat ipſa ejus verba ex *Anecd. de Flor. L. IV. p. 193* adducere: *Il etoit de Florence, & ſes parens vivoient dans une ſi grande pauvreté, qu'il fut contraint de ſe mettre à la ſuite de Julien & Laurent de Medicis, lorsqu' ils alloient au college, & de porter leurs livres, afin d' avoir la commodité de s' en ſervir.* Error hic ex errore natus eſt; cumque vel ſolum POLITIANI natale ignoraret VARILLASIUS, alienæ patriæ neceſſe fuit alienos etiam parentes adderet. Neque hæc in medium proferre auſus fuiſſet, ſi parentem POLITIANI haud ignobilem propius noſſe ei datum fuiſſet. Quis enim credat, Doctoris filium, utut pauperem,

rem, viliori ejusmodi famulatu ſtipendium meriturum? Suſpecta eadem res videtur BAELIO *in Dict. T. III. p. 2341, not. B.*

(*bb*) Sub initium fere libri Epigrammatum POLITIANI, Operibus ejus adjecti, occurrit Epigramma quoddam ſequentis tituli: *In Philippum fratrem pictorem.* Unde locus datur conjecturæ, POLITIANI fratrem his verbis nobis indicari. Is enim quis ſit, cujus hic frater dicitur Philippus, ſi POLITIANUS non eſt, hariolari non poſſum. Ex ipſis Epigrammatis verſiculis certi nihil aſſequi datur. De fratre enim ibi ne verbulum quidem. Solas excellentiſſimi pictoris laudes, & ſplendidiſſimi, quem ſacrum ei eſſe voluit Laurentius Mediceus, tumuli commemorationem complectitur.

§. 3.

Quibus auſpiciis, quove ætatis ſuæ anno ex patria domo Florentiam demigraverit Politianus, certo definire vix licet; dubium tamen non eſt, inde usque a prima pueritia (*a*) translatos in hanc civitatem habuiſſe eum penates. Erat illa ætate ſumma in Florentinorum Republica poteſtas Cosmi, communis fere Principum Mediceorum parentis, cui ſicut commendatiſſima ſemper fuit cauſa eruditorum, (*b*) ita & prima Politianus debuit fortunæ ſuæ initia. Perſpecta enim feliciſſima pueri indole, tantopere eum amare coepit, ut ſuis penatibus receptum, (*c*) ſua etiam impenſa primis literarum elementis erudiendum curaret. (*d*) Qua Coſmi liberalitate etſi diu frui non contigit Noſtro, ob inſecutam brevi tempore Cosmi mortem; contracta

tracta tamen mature cum Laurentio, illius nepote, amicitia & familiaritas jacturam Cosmi fecit ei tolerabilem. Is enim, Politiani fere æqualis, omnem ejus, quantum potuit, ornandam sibi sumsit fortunam, (*e*) &, ut literis ejus bene consuleret, universam bibliothecæ suæ supellectilem cum aliis viris doctis utendam ei concessit. (*f*) Neque dubito, hujus potissimum sumtu Politianum adultiori ætate ab ore doctissimorum illa ætate virorum pependisse. At multum interest scire, per quos inprimis adolescens Politianus profecerit, quosque in omni disciplina magistros ac Præceptores habuerit. Quantum igitur scire nobis datum est, Platonicæ Philosophiæ præcepta a Marsilio Ficino, (*g*) Peripateticæ a Jo. Argyropylo Bizantino, (*h*) Græcarum literarum ab Andronico Thessalonicensi, (*i*) denique latini sermonis a Christophoro Landino, (*k*) non, ut puto, a Domitio Calderino, (*l*) tradita accepit. Erat autem in Politiano puero erecta & præclara ingenii vis & dexteritas, (*m*) quæ multos in admirationem rapuit & auspicatissima omina (*n*) præbebat insecuturæ adolescentibus annis maximæ existimationis doctrinæque consummatissimæ. Cœpit mature nativa virtus doctorum virorum laudes mereri, & masculæ doctrinæ scriptis apud omnes manifestari. Primam

mam, (*o*) quod ſcio, ingenii gloriam comparavit ſibi decantato (*p*) Juliani Medicis in ludis equeſtribus triumpho, ubi tam favente Apolline cecinit, ut communi ſuffragio Lucam Pulcium, (*q*) Poetam haud ignobilem, qui ſimili carminis genere Laurentii in ludis ſolennibus victoriam celebravit, ſuperaſſe dicatur. Partam elegantiſſimo carmine exiſtimationem auctiorem amplioremque feciſſe epithalamium in nuptiis Laurentii Medicei & Clarices, e gente Urſina natæ, a Politiano compoſitum, dubiæ fidei ſcriptor refert Varillaſius. (*r*) Plura in promtu ſunt illuſtris ejus adoleſcentiæ præclara documenta. Homerus latinis verſibus redditus, (*s*) Moſchi itidem de amore fugitivo elegia translata, (*t*) jucundiſſima de violis elegia, (*u*) aliaque cum græca tum latina carmina, (*x*) mira arte compoſita, quanto ardore teneris adhuc annis ad gloriam adſpiraverit Politianus, manifeſte produnt. Addere his cum Bailleto (*y*) conjurationis Pactianæ hiſtoriam, eleganter & ornate, at robuſtiori jam ætate concinnatam, neceſſe non habeo.

(*a*) In hanc ſententiam adducor verbis BOISSARDI atque ipſius POLITIANI. Illius hæc ſunt, *in Icon. viror. doct. p. 159: Angelus Politianus ſumtu & promotione Cosmi Florentinorum Principis, cum Marſilio Ficino bonis literis inſtitutus eſt.* Quæ ſi revera contigit POLITIANO felicitas, ipſi fere adhuc infanti contigerit, neceſſe eſt. Deceſſit enim, uti inter omnes conſtat,

F

ſtat, Cosmus Mediceæ ſtirpis Princeps, anno C. MCCCCLXIV; quo tempore annum ætatis vix decimum POLITIANUS compleverat. At quis dubitet, tunc temporis jam Florentiæ egiſſe POLITIANUM, cum vix adoleſcentulo ſibi ignoto & in aliena urbe degenti Cosmus id beneficii tribuiſſe videatur. Atque hic omnem nobis ſcrupulum evellit POLITIANUS ipſe verbis, quæ habentur *in Epiſt. ad Johannem Regem Portug. L. X. ep. 1: Innutritus pæne a puero ſum caſtiſſimis illis penetralibus magni viri, & in hac ſua florentiſſima Republica Principis Laurentii Medicis.*

(*b*) Quanto amore complexus fuerit viros doctos Cosmus ille, teſtes ſunt JO. ARGYROPYLUS, quem larga mercede conduxerat ad erudiendam græcis literis Florentinam juventutem, & acerrimus ille Platonicæ Philoſophiæ propugnator, MARSILIUS FICINUS, quem ipſe ædibus ſuis recepit, &, ne moleſtiæ urbanæ Muſis ejus remoram facerent, poſtea amœniſſimo rure donavit. De utroque conf. NIC. MACHIAVELLI *Hiſt. Flor. L. VII. p. 394. ſqq.* Prædicat etiam Cosmi liberalitatem BARTH. SCALA *in Epiſt. ad Polit. L. XII. epp. Polit. ep. 17.*

(*c*) Manifeſte id patet ex verbis POLITIANI, ſub *not.* (*a*) hujus §. prolatis, ubi a puero innutritum ſe ait penetralibus Laurentii Medicis, qui cum fuerit Cosmi nepos, iisdem, quibus Cosmus, penatibus uſus eſt. Etſi igitur unius hic Laurentii mentionem faciat, Cosmum tamen ſimul indigitaſſe videtur.

(*d*) Docent id verba BOISSARDI ſub *not.* (*a*) hujus §. relata, quorum quin hac in re fidem ſequamur, nihil nos impedit, quamvis ab errore ſcriptor ille immunis haud ſit, quando una cum MARSILIO FICINO literis inſtitutum POLITIANUM perhibet, merito inde notatus a BÆLIO *in Dict. T. III. p. 2341. not. B.* qua de re prolixius infra. Ipſe quidem POLITIANUS in ſcriptis ſuis nusquam de hiſce Cosmi in ſe meritis mentionem intulit, quin ipſa potius fortunæ ſuæ initia accepta referre videtur Laurentio verbis illis, quæ ſupra §. 2. *not.* (*y*) memoravi; non tamen ideo falli penitus BOISSARDUM exiſtimo. Etenim

nim tam brevi tempore Cosmum ſui ſtudioſum expertus eſt Politianus, ut vix memoratu dignam judicaverit ejus in ſe propenſionem; & ipſa hæc forſan, quæ a Cosmo provenere, non niſi autore Laurentio in eum collocata ſunt beneficia; cujus eſt ſententiæ JUL. NEGRIUS *in Iſtor. degli Scrittori Fior. p. 46.* Ceterum ex his, quæ BOISSARDUS docet, graviſſimum petitur argumentum contra Varillaſii commenta, de quibus ſupra §. 2. *not.* (*aa*) paucis dictum eſt. Non enim habebat, cur tam ſordidis ſervitiis tenera illa ætate literis ſuis proſpiceret Noſter, ſi tantam Cosmus ipſe pueri curam habuit; quam nec extincto Cosmo filius Petrus temere videtur abjeciſſe.

(*e*) Quam ſtudioſus POLITIANI per omnem vitam fuerit Laurentius, Petri filius, Cosmi nepos, ampliſſima dicendi materia ſubminiſtrabitur infra, ubi de publicis Politiani muneribus & maxima apud omnes exiſtimatione fuſius agetur. Gratum POLITIANI animum teſtantur tot Epigrammata, in laudes Laurentii compoſita, totque literæ, tam ad Laurentium, quam ad literatos quosvis ſcriptæ, obſervantiæ & obſequii pleniſſimæ.

(*f*) Ipſe undique locupletavit bibliothecam ſuam Laurentius, ut POLITIANO aliisque ad excolendas literas inſtrumenta præberet, uti egregie teſtatur NIC. LEONICENUS *in Ep. ad Polit. L. II. epp. Polit. ep. 7: Omnia tibi ad ingenue philoſophandum adjumenta ſuppeditat favor ac gratia Laurentii Medicis, maximi hac tempeſtate ſtudiorum patroni, qui miſſis per univerſum terrarum orbem nunciis, in omni diſciplinarum genere libros conquirit, nulli ſumtui parcit, quo tibi ac reliquis præclaris ingeniis, bonarum artium ſtudia æmulantibus, inſtrumenta abundantiſſima paret.* Fatetur id ipſe quoque POLITIANUS *in Ep. ad Laur. Medic.* quæ Præfationis loco præmiſſa eſt ejus interpretationi latinæ Enchiridii EPICTETI: *Cum univerſam tuæ pulcherrimæ bibliothecæ ſupellectilem, quam tute nobis utendam conceſſiſti, nuperrime ſcrutarer* &c. Cujus niſi copiam ei feciſſet Laurentius, neque tot, neque tam exaſciata ejus ſcripta in lu-

cem proditura fuiſſe, quilibet, puto, facile mecum perſpiciet. Adeo de litteris bene merentur, quorum non clauſtris obſerata, ſed honeſtis cupidisque diſcendi omnibus recluſa videas librorum armaria.

(g) Huic data fuerat a Cosmo Medicæo docendæ in Academia Florentina Platonicæ philoſophiæ provincia, quam & ipſe maximo cum applauſu tam ore, quam ſcriptis innumeris ornavit. Vix enim illa ætate quisquam cauſæ Platonis addictior, aut in explicandis ejus doctrinis fuit diligentior. POLITIANUS in illa conſtitutus ætate, ubi prima Philoſophiæ ſolet opera navari, FICINUM, Principem in ſecta principe, qualem eum prædicat in *Ep. ad* FICIN. *L. VI. ep.* 17. præ aliis audiendum ſibi duxit. Compertum id habeo ex ipſius verbis in *Appendice Miſcellaneorum: Etenim ego tenera adhuc ætate, ſub duobus excellentiſſimis hominibus, Marſilio Ficino Florentino, & Argyropylo Bizantio, Peripateticorum ſui temporis longe clariſſimo, dabam quidem Philoſophiæ utrique operam; ſed non admodum aſſiduam, videlicet ad Homeri Poetæ blandimenta natura & ætate proclivior.* Unde manifeſtus eſt error BOISSARDI, qui verbis ſub *not.* (*a*) *hujus* §. allegatis FICINUM ait POLITIANI non Præceptorem, ſed in diſcendo fuiſſe ſocium. Ea enim ætate, qua primum Muſarum officinam ſalutabat POLITIANUS, literis omnibus jamdudum formatus erat MARSILIUS. Poterat id noſſe BOISSARDUS, ſi accuratius in natales annosque FICINI inquiſiviſſet. Conf. BÆLIUM *l. c.* Ex his autem FICINI in Philoſophia præceptis parum profecit Noſter; magis tamen ſua, quam FICINI culpa, uti fatetur verbis modo adductis POLITIANUS. Proclivior enim adoleſcentia ejus fuit ad eas, quæ delectant, quam quæ aſſiduam meditationem poſcunt, literas. Ad Philoſophiam non niſi provectiori ætate ſerias advertit curas, ubi JOH. PICO MIRANDULANO, quo non alium ſibi amiciorem habuit, vere uſus eſt & ſuaſore & præceptore. Id enim ex ſequentibus verborum, quæ paulo ante retuli, apparet. Hinc non cogitate ſatis CASP. SCIOPPIUS *in Epiſt. ad* JUL. CÆSAR. CAPACCIUM, quæ habetur *in ejus paradoxis literariis ſub nomine* PASCASII GROSIPPI *editis,*

p. 34.

p. 34. ſqq. ſub MARSILIO FICINO & JOH. ARGYROPYLO tantos POLITIANUM ſcribit in Philoſophia feciſſe progreſſus, ut ipſe eam publice interpretari ſciverit. Non iſtis certe, ſed JOH. PICO hæc gloria tribuenda erat. At quantulumcunque demum ſit, quod ex FICINI ſcholis lucrifecit Noſter; nequaquam tamen ingratum dixeris diſcipulum. Teſtantur ejus erga FICINUM amorem tot literæ humanitatis & obſequii pleniſſimæ, ubi nunc filium ſe, illum parentem dixit, ut *in Ep. 17. L. VI;* nunc doctrinam ejus & de PLATONE merita ſummis laudibus prædicavit, ut in ſingulis fere, quas ad eum dedit, epiſtolis, paſſimque in ſcriptis aliis; nunc in agrum Fæſulanum, prædium Laurentii amœniſſimum, eum ad capeſſenda ſecum gaudia ſubinvitavit. Conf. *L. X. epp. Polit. ep. 14,* & JOH. GEORG. SCHELHORNII *Amœnit. liter. T. I. c. 2. §. 12. p. 51.* Quanti fecerit ingenium FICINI, documento quoque eſſe poteſt Epigramma in laudes ejus a Noſtro compoſitum, & in libro *Epigram. ejus* obvium:

Mores, ingenium, Muſas, Sophiamque ſupremam,
Vis uno dicam nomine? Marſilius.

(*b*) Fuit is unus ex illis, qui ex Oriente profugi penates literasque exules ſecum in Italiam attulerant. Stetit a partibus ARISTOTELIS, ejusque libros in Academia Florentina publice interpretatus eſt; quamvis græcis etiam literis juventutem inſtituerit. Hanc enim poteſtatem fecerant ei Cosmus, filiusque Petrus, & nepos Laurentius Medicei, apud quos maxima fuit & autoritate & gratia, teſte POLITIANO ſub initium *cap. I. Miſcellan.* Hujus ſcholas philoſophicas frequentaſſe POLITIANUM ætate tenera, non ſolum ex verbis POLITIANI ſub *nota antec.* adductis, ſed ex iis etiam conſtare poteſt, quæ *cap. I. Miſcell.* ab ipſo prolata ſunt: *Agyropylus ille Bizantius, olim præceptor in Philoſophia noſter* &c. Sicut vero eundem ex hujus ſcholis retulit fructum, quem ex MARSILII; ita &, viribus ingenii ad maturitatem perductis, parum dubitavit Philoſophum Peripateticum in ordinem redigere, ubi hallucinari eum, & viris doctis imponere animadverterat. Exemplo

plo ſit idem *cap. I. Miſcell*; ubi contra eum agit pro cauſa Ciceronis, quem ille non Philoſophiæ ſolum, ſed Græcarum etiam literarum (o impudentiam!) imperitum dixerat. Qua de controverſia pluribus forte alio in loco. Non adeo tamen vehemens fuit in refutando Noſter, nec quicquam in ARGYROPYLUM contumelioſe dixit.

(*i*) ANTONIUS THESSALONICENSIS inepte vocatur hic a JUL. NEGRIO *in Stor. degli Scritt. Fior. p. 46.* Docuit is Florentiæ græcas literas, quarum tanta polluit peritia, ut proximus a GAZA fuiſſe hac laude, quin aliorum judicio ſuperaſſe eum dicatur a VOSSIO *de Hiſt. Lat. L. III. p. 623.* Hujus diſcipulum fuiſſe POLITIANUM, etſi vix poſſis ex ipſius ſcriptis cognoſcere, ſicut de reliquis ejus Præceptoribus docemur ex illis; eaque de cauſa *Autor Ephem. Hiſt. Crit. de la Rep. des lettres* fidem negare videatur BÆLIO, qui *in Dict. T. III. p. 2340* ſecure id affirmaverat; non dubito tamen BÆLIO hac in re aſſentiri, cum non ſolum autoritate VOSSII, qui *l. c.* id refert, ſententiam ſuam ſuffultam habeat, ſed fortiſſimum etiam pondus ei accedat teſtimonio RAPH. VOLATERRANI, quem non æqualem ſolum POLITIANI, ſed amicum etiam, adeoque harum rerum non ignarum fuiſſe, ex literis utriusque mutuis ſatis conſtat. Hujus nempe *in Commentar. urban. L. XXI. p. 246* verba hæc ſunt: *Politianus Andronici diſcipulus Florentiæ præcipiebat.* Silentium POLITIANI contra BÆLIUM nihil probat; ſiquidem haud difficile eſt creditu, defuiſſe illi vel voluntatem vel occaſionem ea de re ſcriptis quicquam commemorandi.

(*k*) Diu latinas literas Florentiæ docuit LANDINUS, cum & POLITIANI juvenis Præceptor, & adulti in munere docendi collega fuerit. Merita ejus in literas aliunde diſcas; quod vero attinet ejus de POLITIANO merita, grato ea animo ipſe ſæpius profeſſus eſt ANGELUS, ut *in Epiſt. ad* BARTH. SCALAM *L. V. ep. 3: - - Landinus præceptor olim meus, nunc autem utriusque noſtrum collega, magnæ vir in litteris & auctoritatis & celebritatis* &c. & *in Miſcellan. c. 77: Landinus homo & eloquens*

quens & eruditus, & Florentiæ jam diu doctor bonarum literarum celebratissimus, cui se Præceptori adolescentiæ meæ rudimenta magnopere debent, & qui nunc in professione quasi dixerim collega &c.

(*l*) Forsan id suspicari detur ex verbis POLITIANI sub finem *Prælectionis in Suetonium,* ubi, audisse se adolescentem sæpius, ait, loquentem DOMITIUM de peculiari quodam MARII RUSTICI libro, quem falso jactaverit a se teneri; at re penitius perpensa, malim hanc POLITIANI auditionem interpretari talem, quæ est obvii cujusque, quam quæ est discipuli. Ut enim taceam, a nullo prorsus scriptore Præceptoris hujus mentionem fieri, neque ipsum POLITIANUM *cap. IX. Miscell.* ubi plenissime de CALDERINO agit, hac de re quicquam commemorare; multum ab hac conjectura avocat me locorum distantia, quæ utrosque viros disjunctos tenuit. Romæ enim, ubi latinas literas docuit DOMITIUS, per tantum temporis spatium continuisse se vix videtur POLITIANUS juvenis, quanto ad explenda literarum studia opus est. Neque id ullibi reperio; neque eodem tempore LANDINUM Florentiæ, & Romæ CALDERINUM auscultare potuit; quamvis colloqui cum DOMITIO, &, quorum in *Prælectione in Suetonium* meminit, accipere ex eo potuerit paucorum dierum itinere Romam instituto. Huc accedit, quod per singula fere *Miscellaneorum* capita DOMITIUM hunc non minus latini sermonis, quam famæ doctissimorum virorum causa, quibus ille male insultaverat, depugnandum sibi sumserit, ubi certe, si cum Præceptore rem habuisset, lenius vulnera tetigisset, & excusanti magis, quam increpanti similem se præstitisset. Neque JAC. ANTIQUARIUS, qui hanc in DOMITII manes licentiam acriter ei exprobrat *in Epist.* ad ipsum *L. III. epp. Polit. ep. 18*, a reverentia Præceptori debita argumentum sumit, quod non videtur neglecturus fuisse, si CALDERINI revera discipulus fuisset POLITIANUS. Ceterum quid præstiterit in re literaria DOMITIUS, abunde cognosces tam ex *Miscellaneis* POLITIANI, quam ex iis, quæ fide scriptorum curate collecta habet BAELIUS *in Dict. T. I. p. 719.*

(*m*)

(*m*) POLITIANI ingenium tam incomparabile fuiſſe ait VARILLASIUS, ut poſt OVIDII ætatem ſimile haud prodierit. Vid. ejus *Anecd. de Flor. L. IV. p.* 194. Quæ etſi ex more VARILLASII dicta ſunt, in extollendis hominum laudibus tam vehementis, quam in deprimendis; vel aliunde tamen ſatis conſtat, præſtantiſſimam pueri fuiſſe indolem & mature admodum fructus dediſſe uberrimos. Hinc Epigrammate in POLITIANUM puerum luſit PLATUS PLATINUS, quod vid. in *Carminibus illuſtr. Poet. Ital. T. VII. p.* 277:

Angele, cui puero facundia contigit omnis,
Angele, qui lingua clarus utraque vales, &c.

Atque hujus præclari ingenii ut hic ſpecimen proferam, *ſe* ipſe refert *c.* 19. *Miſcell. pæne adhuc adoleſcentem, coram literatis aliquot de loco quodam Epigrammatis Catulliani de Arrio ad Domitium Calderinum Florentiæ retuliſſe, qui ſic ei ſtatim applauſerit, ut ingenue fateretur, ſe plus eo die ab uno ſcholaſtico didiciſſe, quam multis ante annis a quopiam Profeſſorum.* Quæ etſi ab alio quovis, quam ab ipſo POLITIANO, ſcripta malim, cum ejus parum conveniant modeſtiæ; falſa tamen vix crediderim, cum prævidere ipſe potuerit, fore ſe, ſi hæc ementitus eſſet, literatis omnibus ludibrio, iis inprimis, quos colloquio illi præſentes adſtitiſſe memoraverat.

(*n*) Fauſtiſſima de POLITIANO puero præſagia tulerat ipſe olim Præceptor ejus, MARSILIUS FICINUS, uti ex ejus literis ad POLIT. cognoſcimus *L. VI. epp. Polit. ep.* 14. ubi ita: *Qui mihi puer non parum, qui multum placuit adoleſcens, idem plurimum perplacet adultus. -- atque id quidem ea etiam ratione placet factum, quia ſæpe vaticinatus ſum futurum. Perge igitur, fac, obſecro, ut cœpiſti, te divinum, ut ſimul me facias divinantem.*

(*o*) Ita quidem exiſtimare videtur JOVIUS *in Elogiis viror. doct. p.* 73, & qui ejus veſtigiis inhæret, VARILLASIUS *in Anecd. de Flor. L. IV. p.* 194, atque inde etiam BÆLIUS *in Dict. T. III. p.* 2341, quem eo nomine acriter, at inique admodum pungit *Autor Ephem. Hiſt. Crit. de la Rep. des lettres T. III. p.* 241, qui

qui ſimul eo audaciæ procedit, ut omnem plane carminis hujus fidem in dubium vocare laboret. At argumentis utitur ejusmodi, quæ ſi probe expenderis, inſignis ignorantiæ ſpeciem præ ſe ferunt. Scilicet aut intelligi hic ait Julianum illum, Laurentii Medicei filium natu minorem, qui ſi unquam ludis equeſtribus decertaſſet, per ætatem utique tunc temporis decertaſſet, quando jam plurima POLITIANI ſcripta in publicum edita proſtitiſſent, indeque carmen victoriæ ejus a POLITIANO dicatum, nequaquam tunc potuiſſe dici primum ingenii ejus monumentum; aut intelligi alterum Julianum, fratrem Laurentii, quod ea de cauſa creditu perquam ſit difficile, quoniam in univerſo carminum, quæ POLITIANUM habent autorem, faſciculo nullibi occurrat carmen Juliano victori ſacrum, quod ſi unquam fuiſſet compoſitum, cum tanti artificii plenum dicatur, carminibus ejus primo omnino loco inferendum fuiſſet. JOVIUM vero alioſque ſequendos BÆLIO non fuiſſe, ſed POLITIANO ipſo potius utendum duce, qui cum nihil ejusmodi ſcriptis commemoret, ſilentio ſuo rem omnem facile deſtruat. Sed excutiamus paululum nervum argumentorum. Equidem, quod ad alterum attinet, novi plurimos, qui de ludis Juliani equeſtribus mentionem fecerunt, horum vero nullum recordor in eam incidiſſe cogitationem, ac ſi Julianus hic fuerit Laurentii filius. Quodſi paulo accuratius compilator ille literarius ſcrutatus fuiſſet ſcriptores, quibus ea de re copioſe dictum eſt; vidiſſet omnino, hos Juliani ludos eodem fere, quo ipſius Laurentii ludi, tempore inſtitutos fuiſſe; unde vero ſimilius eſt, cum fratre fratrem, quam cum filio puello patrem ſeniorem ludis equeſtribus operam dediſſe. Alterum prorſus inſcientiæ illum convincit. Ut enim ſilentio prætercam, plurima POLITIANI induſtriæ & ingenio deberi, quæ in abditiſſimis bibliothecarum latebris adhuc abſcondita latent, nec unquam Operum ejus volumini inſerta ſunt, ſicut infra Sect. III. fuſius dicetur; in eo videtur vir bonus errore eſſe, ac ſi latinis verſibus carmen illud POLITIANUS condiderit. Quodſi enim non ignorabat, vernaculo ſer-

mone compositum esse, quid mirum ei esse poterat, non reperiri illud in libello carminum POLITIANI, cum ne ullum quidem Italico sermone scriptum ibi reperias, etsi horum plurima scripserit, quæ aut sigillatim impressa, aut in bibliotheca Ghisiana aliisve obvia sunt; qua de re infra dicemus. JOVIO autem aliisque bonis scriptoribus cur fides neganda sit iis in rebus, ubi nihil cum partium studio, sed simpliciter rem enarrant, cum ipse rationem attulerit nullam, nec ego conjectura assequor. Singula vero, quæ ad vitam, fata, & doctrinam POLITIANI pertinent, ex ipsius scriptis haurire velle, meo quidem judicio valde absonum est & ridiculum, cum plurima gesserit præclare, scripseritque erudite, quorum meminisse aut noluit, aut certe non potuit, oblata commemorandi occasione prorsus nulla. De his adeo amplior notitia petenda est ex illis, qui fata POLITIANI strictim enarranda sibi sumserunt, nec infimæ sunt in literatorum Republica autoritatis. Neque tamen his solis insistere hic cogimur; sed maxime ea res confirmatur verbis JO. PICI MIRANDULANI *in Epist. ad Polit.* quam vide inter ejus *Epp. edit. Cellar. p. 79*, ubi hæc legas: *Præterea Epictetum tuum - - - item quæ de Juliano Medice sermone patrio, & quæcunque alia latino sermone composuisti, ad me missa omnino velim.* Quis non videt, indicari his verbis carmen illud, de quo hactenus sermo fuit? Malo enim hæc verba ita interpretari, ut scriptum hic intelligatur, aliis jam memoratum scriptoribus, quam aliena quævis & quorum nullibi facta est mentio, temere hariolari. Sed quid opus est his omnibus? cum evidentissime patere possit veritas ex ipsa carminis pervestigatione, quæ cuivis diligenter inquirenti concessa est. Vidit enim lucem pariter ac scripta POLITIANI plurima, quamvis sigillatim excusum. Titulum in rubro hunc gerit: *A. Politiano Stanze per la giostra di Giuliano de Medici. Venet. 1544. 8.* Cujus rei notitiam habeo ex *Indice Bibliothecæ* FRANC. BARBERINI *T. II. p. 228*, & aliunde quoque. Cœcum igitur esse oportet, qui carmen dudum in vulgus editum & omnium conspectui expositum neget a POLITIANO unquam fuis-

fuisse decantatum. A Nostro enim non differre illud, quod Venetiis impressum diximus, ex titulo carminis satis evidenter apparet.

(*p*) Instituti fuerant a domo Medicea ludi equestres, quibus cum victor excessisset frater Laurentii Julianus, publicus ei præco quæsitus est, inventusque, qui victoriam carmine celebraret, ANGELUS POLITIANUS, adhuc fere puer. Singulare in carmine illo artificium adhibuit, decerpto ex optimis græcis latinisque autoribus flosculorum & sententiarum ingenti apparatu, adspersaque mira versiculis gratia ac elegantia. JOVII ea de re *in Elog. vir. doct. p. 73*, verba hæc sunt: *Politianus a prima statim juventa admirabilis ingenii nomen adeptus est: cum novo illustrique poemate Juliani Medicis equestres ludos celebrasset, Luca Pulcio nobili poeta omnium confessione superato, qui Laurentii fratris ludicrum equestris pugnæ spectaculum, iisdem modis & numeris decantarat. In id enim e Græcis atque Latinis delectos flores populo stupendos contulisse censebatur.* Idem brevius exponit BOISSARDUS *in Icon. vir. ill. p. 159;* conf. etiam JUL. CÆS. CAPACCII *Elog. vir. doct. p. 352.* At longe verbosius, quin & fabulosius, rem enarrant VARILLASIUS *in Anecd. de Flor. p. 194*, & BAILLETUS *in Enfans devenus celebres par leurs etudes p. 87. sqq. ed. nov.* de quibus plura paulo inferius. GYRALDUS *in Disc. Romanz. p. 48* tantum pretii huic carmini statuit, ut majorem hoc ipso laudem POLITIANO partam existimet, quam singulis ejus, quæ latine ac ingeniose satis scripsit, carminibus. Elegantissime ibi naturam cum arte conjunctam, rerumque gravitatem mira verborum dulcedine temperatam esse, testatur CRESCIMBENIUS *in Commentar. intorno alla Istor. della Volg. Poes. Vol. II. P. 2. L. 3. p. 187;* quamvis in eo simul nimiam prolixitatem & in rerum descriptionibus effrenatam quandam ingenii luxuriem reprehendat. Compertum mihi est per Italos mei studiosissimos atque hujus carminis probe gnaros, duobus illud libris distingui, nec ad finem perductum esse alterum, atque adeo calce plane sua universum carmen destitui, quod ipsum confirmatur etiam a CRESCIMBENIO *l. c.*

(q) Celebravit & ipse Laurentius, frater Juliani natu major, equestres ludos, unde lauream ac triumphum deportavit, nactusque est virtutis suæ præconem LUCAM PULCIUM, Poetam ætate illa satis illustrem, quem & ALOYSIUM prænomine dicit JOVIUS *in vita Leonis X, L. I. p. 3*, fratrem LUDOVICI & BERNARDI, uti docet BÆLIUS *in Dict. T. III. p. 2341. not. C.* At confecta nondum res est, præcesserintne hæc Laurentii spectacula Juliani ludos, an hi illa? VARILLASIUS quidem *l. c.* & BAILLETUS rem ita referunt, ac si Laurentii spectaculis posteriora fuerint Juliani certamina, & PULCII Poetæ laborem secutum sit carmen POLITIANI. Eandem etiam opinionem prodit JOVIUS verbis sub *not. antec.* adductis; idem vero alio in loco in contraria quævis abit, nosque in maximum ea de re scrupulum inducit. Etenim *in vita Leonis X, L. I. p. 4.* de utroque spectaculo fuse copioseque differit, primumque celebratum refert a Juliano Medice, invitatosque nobilissimos ac fortissimos quosque ex universa Italia equites, præsentemque pugnanti filio adstitisse Petrum parentem, & fractas vidisse plurimas in adversis concurrentium equitum pectoribus Juliani hastas, tum plausibus & acclamationibus spectantium exceptum & laurea victrice donatum Julianum audisse carmina POLITIANI honoribus suis sacra; inde Laurentium, fraternæ virtutis æmulum, simile edidisse spectaculi genus, priori tamen multo adhuc periculosius, quo & ipse virtute reliquos omnes longe anteiverit, magnificoque LUCÆ PULCII poemate decantari atque collaudari meruerit. Ita quidem verbosius rem JOVIUS exponit, multum a se ipse dissonus, parumque certus eorum, de quibus lectores instruit. Diversissimarum narrationum eundem habes autorem; harum igitur quam veriorem dices? Scriptorem, qui hunc exsolvat nodum, ego quidem scio nullum; certi adeo hac in re nihil definire audeo. Si tamen dicendum, quo maxime conjectura me ducat; verior mihi videtur illa VARILLASII, atque ipsius JOVII *in Elogiis*, sententia. Ut enim taceam, fratrem natu majorem vix concessurum fuisse, ut minor annis hac ipsum

ipſum victoriæ gloria antecederet, quod & BÆLIUS monet *l. c;* refert MACHIAVELLUS *in Hiſt. Flor. L. VII. p.* 403, & JO. MICH. BRUTUS *in Hiſt. Flor. L. II. p.* 75, anno ab obitu Coſmi exacto, ut a luctu & inteſtinis contentionibus ad gaudia tandem rediret cum domo Medicea Florentina civitas, publica indicta eſſe ſpectacula, & ad ſolenne certamen convocatos undique viros equeſtris ordinis Principes, quorum etſi admodum conſpicua fuerit virtus, præ reliquis tamen uni Laurentio victoriæ laudem relictam fuiſſe. Iſti igitur ludi ſi fuerunt omnino iidem, quibus præco datus eſt poeta LUCAS PULCIUS, dubium non eſt, poſteriora iis fuiſſe Juliani ſpectacula, cum Laurentii equeſtre certamen ex horum ſcriptorum teſtimonio primum fuerit eorum, quæ poſt mortem Coſmi celebrata fuere, vivente vero Coſmo ejusmodi ludis Julianus per ætatem intereſſe non potuerit. Vellem ſcriptoribus iſtis illius etiam ſpectaculi facta fuiſſet mentio, unde victor abiit Julianus, ut de tempore utriusque eo certius conſtare poſſet; at prorſus de eo tacet MACHIAVELLUS, & jejune admodum BRUTUS eodem in loco addit, haud ſatis ſcire ſe, *fuerintne hi Laurentii equeſtres ludi iidem, quibus Juliani virtutem carmine elegantiore,* ut ait, *quam vendibili Politianus proſecutus ſit.* Quis vero dubitet, ludos ſcriptoribus hisce memoratos ab iis neutiquam diſtingui debere, de quibus in præſenti nobis ſermo eſt? Præter iſtos jam prolatos, in allegatis ſcriptoribus invenio nullos, qui a Laurentio celebrati dicantur, neque opus habebat Laurentius, ut *fraternam virtutem,* ſicut refert JOVIUS, *novis ſpectaculis æmularetur;* cum ipſe jam hac gloria fratri præiverit, inſtituto ſtatim poſt mortem Coſmi equeſtri certamine. Cadit ergo nervus eorum, quæ JOVIUS *in vita Leonis X,* quamvis ample ſatis ac circumducte enarraverat. Etenim ut magis hac in re ſequar autoritatem MACHIAVELLI & BRUTI, quam JOVII, ipſe quodammodo facit JOVIUS, qui dum diverſa quævis & maxime contraria eadem de re in medium profert, ſuſpecti judicis maculam hac in cauſa effugere non poteſt. Sed quicquid demum rei ſit, illud ſatis inter omnes convenit, poetica vir-

tute ſuperatum a POLITIANO LUCAM PULCIUM, & majori in pretio habitum ab omnibus carmen POLITIANI, quam quod PULCIUS edidit ſub titulo: *La Gioſtra di Lorenzo de Medici. Florent. 1572.* 4; qui titulus carminis habetur *in bibliotheca Marckiana P. II. p.* 209. Adſunt enim teſtimonia tam VARILLASII *l. c*, & BAILLETI *l. c*, quam BOISSARDI *l. c*, & JOVII in *Elog. p.* 73, quamvis hic de eo prorſus taceat loco altero. Fabulam vero ſapere videntur, quæ addit VARILLASIUS *l. c*, & ex eo BAILLETUS *l. c*; conſpecto nempe POLITIANI carmine in tantum ſtatim pudorem conjectum fuiſſe PULCIUM, ut ſuo ipſe carmini indignatus, amovere illud a conſpectu hominum, penitusque ſupprimere ſecum conſtituerit. Nihil hujus rei memorat JOVIUS, nec autorem, unde hæc accepit, ipſe indicat VARILLASIUS. Neque ea eſt natura hominum, ut ſua virtute ſuperiorem ſtatim agnoſcant, damnentque ea, quibus ipſi haud vulgarem antea gloriam anxie & cum quadam ſolicitudine captaverant. Suſpecta etiam videntur, quæ idem VARILLASIUS *l. c*, & iisdem fere verbis BAILLETUS *l. c*, de modo & artificio refert, quo palmam PULCIO POLITIANUS præripuerit. Vidiſſe enim, dicunt, POLITIANUM carmen PULCII ita inſtructum, ut nova ubique & ingenio autoris primum enata per omnes carminis paginas diſperſa fuerint, quibus factum, ut inæqualis carminis elegantia, ipſumque ſibi per omnia diſſimile comparuerit; inde, ut majorem carmini ſuo gravitatem conciliaret, contrariam plane viam ingreſſum POLITIANUM, præſtantiſſima quæque dicta ac ſententias ex optimis antiquiſſimorum Poetarum ſingulari cum cura decerpſiſſe, & ſuo quæque ordine ac juſto loco carmini ſuo intuliſſe, atque hac ratione facile impetraſſe, ut ab omnibus cum voluptate legeretur, & labore PULCII, quod ex ipſo ſolo natum videbatur, multum præſtare diceretur. Cujus rei non ego ſponſor ero, cum probe ſciam, quam difficile ſit, certum iis rebus aſſenſum præbere, quæ ab uno VARILLASIO, ſuſpectæ admodum fidei autore, ſine ulla ſcriptorum mentione, memorata legimus. Conf. BÆLIUM *l. c. not. C.*

(*r*) So-

(*r*) Solus quidem, quantum ſcio; neque enim MACHIAVELLUS *in Hiſt. Flor. L. VII. p. 418*, neque alii plures, quibus de iſta nuptiarum ſolennitate dictum eſt, ullum hujus Epithalamii mentionem faciunt. Sit igitur fides hujus rei penes autorem. Nos tamen, ne quicquam nobis intactum maneat, ſicut relata ab eo ſunt, huc transferemus. In mediis, refert *in Anecd. de Flor. L. I. p.* 47, civium Florentinorum gentisque Mediceæ turbis, imminente ſummo a Lucæ Pittii, Angeli Acciaioli, aliorumque civium exulum inſidiis periculo, jamque portis inſtante Duce Venetorum Bartholomæo Coglioneo, quem in partes ſuas conjurati traxerant, ut fortiſſimos quosque ex omni Italia firmiſſimo fœdere ſibi jungeret, egiſſe Petrum Mediceorum Principem cum Virginio Urſinæ gentis, cujus magna Romæ poteſtas erat, nobiliſſimo de filia ejus Clarice filio ipſius Laurentio in matrimonium collocanda, additasque ſimul ab eo conditiones, ut ſine dote acciperetur filia, & ipſe graviſſimo ære alieno, ex quo diu laboraverat, gentis Mediceæ ſumtibus liberaretur. Cujus conſilii commoda in domum ſuam redundatura cum facile intelligeret Virginius, dextra ſtatim data iviſſe in fœdus, filiamque ſuam duodecim annorum deſpondiſſe Laurentio, vix decimum quintum ingreſſo. Ita nuptias ſolenni ritu celebratas; parco tamen ſumtu & neglecto omni fere, qui viros decet in Republica conſpicuos, luxu ac ſplendore externo. Auditas vero undique auſpicatas vatum acclamationes, recens nuptis bene precantium, in quibus facile eminuerit ANG. POLITIANUS, ætate Laurentio æqualis, tam pulchro recitato carmine, ut ipſius ævo Auguſti dignum viſum ſit omnibus. Finitis nuptiis exortum ſtatim clamorem de copiis Ducis Coglionei urbi imminentibus; unde ad pugnam vocatum ſe ratus Laurentius, ex amplexibus conjugis direptus, hoſtibus cum ſocero obviam iverit. Ita quidem VARILLASIUS; qui ſi plura de carminis ipſius indole ac dignitate & dictionis genere, vernaculum, an latinum fuerit, attuliſſet, majorem omnino a nobis gratiam iniiſſet. BÆLIUS *in Dict. T. III. p. 2344. not. P.* potiora hujus narrationis momenta

menta in dubium vocat, & nullam fere temporum rationem ab autore habitam conqueritur. Æqualem Laurentii POLITIANUM dici non potuisse, ait, nisi ab eo, qui utriusque viri natales prorsus ignoret. Qua occasione BÆLIUS, quamvis jure reprehendat VARILLASIUM, ipse tamen in errorem quendam incidit, dum Laurentio quatuor annis præstitisse POLITIANUM docet, cum hunc potius sex fere annorum spatio antecessisse Laurentius dicendus sit. Lucem enim, ut notum est, anno MCCCCXLVIII conspexit Laurentius. Porro, eodem judice, de nuptiis Laurentii male edoctum credimus scriptorem nostrum. MACHIAVELLUS enim, cui paulo plus fidei tribuit BÆLIUS, quam VARILLASIO, in *Hist. Flor. L. VII. p. 418*, *Nuptias*, ait, non solum *insigni sumtu & magnificentia peractas, plurimosque dies novis saltationum ac conviviorum generibus insumtos*, ludos quoque fere regios eam in rem fuisse instructos, sed contigisse id, refert etiam, extincta jam face belli, ac impetrata a Venetis pace, suaque civitati restituta tranquillitate. Annum quidem, quo hæc gesta sunt, ipse non addidit, quod exprobrat ei BÆLIUS; patet tamen ex relatione ejus, annum MCCCCLXXII (annum MCCCCLXXI habet BÆLIUS, malim tamen sequentem ea de causa, quod is fuerit Petro Mediceo vitæ ultimus, quo demum, sicut testatur JOVIUS *in Vita Leonis X, L. I. p. 3*, compositi fuere omnes belli tumultus) ei intelligi, quo fuit omnino annis longe provectior Laurentius, quam finxerat eum *l. c.* VARILLASIUS, & quo POLITIANUS noster annum ætatis decimum octavum forte jam impleverat. VARILLASII enim vix venia dignus est error chronologicus, quando plurimas maximeque insignes belli, quod Duce Coglioneo contra Florentinos gerebatur, vicissitudines tam post nuptias Laurentii, quam post ipsius Petri parentis obitum contigisse somniat. Etenim vivente adhuc Petro factam esse cum Venetis pacem, nosse poterat ex JOVIO *l. c*; & ipse scriptorum scio neminem, qui post annum MCCCCLXXII hujus belli molestiis vexatam Florentiam memoret.

(*s*) Ne-

(s) Nescio, an integer; id enim per angustos adolescentiæ limites fieri vix potuit. JOH. TRITHEMIUS, æqualis POLITIANI, ad Iliada laborem ejus restringit, *in Catal. Script r. Eccl. p. 166. not. B*, *Hic ausus est*, inquit, *Iliada Homeri versu latinis legendam exhibere.* Eadem sunt verba CONR. GESNERI *in Bibl. Univ. p.* 44. Quin & PHIL. JAC. BERGOMENSIS *in Suppl. Supplementi Chronic. p. 435*, *Sex saltem*, ait, *Homeri libros ab ipso puero adhuc e græco versos hexametris.* Habes etiam, cur dubites, ex literis JACOBI Cardinalis Papiensis ad *Polit. L. VIII. Epp. Polit. ep.* 7. Is enim, lectis iis, quæ ex Homero translata ipsi miserat POLITIANUS, (*seminuda adhuc atque involucria*, uti dicuntur ab ipso POLITIANO in literis ad JACOBUM *antec.*) perspectaque horum venustate & gratia, ne opus inchoatum desereret, sed, quod superesset, laboris pensum absolveret, impense eum solicitavit. Morem num gesserit tanti viri adhortationi POLITIANUS, dicere non audeo; siquidem nec mihi, nec multis, ut puto, eruditorum visa est unquam hæc Homeri interpretatio, quæ chartis suis involuta, extincto POLITIANO, aut fato quodam periit, aut bibliothecarum latebras æternum habitare jussa est. BERGOMENSIS quidem *l. c. editam* ab ipso refert illam versionis particulam, *deinde vero revocatam*; sed mera forte conjectura fuit scriptoris hujus, quam hausisse videtur ex literis modo allegatis JACOBI Card. Pap. cui miserat quidem POLITIANUS partem interpretationis, illam vero nequaquam editam, sed lima potius & judicio JACOBI expoliendam. Quicquid igitur de labore isto compertum habemus, sicut leve admodum est & exiguum, ita omne ex scriptis POLITIANI, aut eorum, quos æquales habuit, testimoniis capiendum est. MARSIL. FICINUS, dum *Homericam Politiani musam miris in cælum laudibus a se extollendam*, memorat *in Ep. ad Polit. L. VI. Epp. Polit. ep. 12*, non nisi hanc, quam vertendo Homero impenderat Noster, operam indicare videtur. Interpretationis hujus quæ fuerint virtutes & veneres, paucis infra dicetur; nunc vero dicenda sunt ea, unde constare possit, tenera inprimis ætate manum huic operi admotam esse. JACOBUS

Card. Pap. *in literis cit. Laudis hæc esse*, ait, *& admirationis in tam recenti ætate.* Testatur id etiam MARSIL. FICINUS *in Epist. ad Laurentium Medicem*, quam vide in JAC. MIDDENDORPII *Academ. Celebr. T. II. L. IV. p. 23: Nutris domi Homericum illum adolescentem Angelum Politianum, qui Græcam Homeri personam Latinis coloribus exprimat. Exprimit jam, atque id quod mirum est, in tam tenera ætate &c.* At his potiora nobis esse debent, quæ ipse hac de re passim POLITIANUS memoriæ prodidit. In *Append. Miscellan.* verba ejus hæc sunt: *Etenim ego tenera adhuc ætate - - - dabam quidem Philosophiæ utrique operam; sed non admodum assiduam, videlicet ad Homeri Poetæ blandimenta natura & ætate proclivior, quem tum latine quoque miro, ut adolescens, ardore, miro studio versibus interpretabar.* Rursus sub initium *Orationis in expositione Homeri: Nam & ego is sum, qui ab ineunte adolescentia ita hujus eminentissimi Poetæ studio ardoreque flagraverim, ut non modo eum totum legendo olfecerim, peneque contriverim, sed juvenili quodam ac prope temerario ausu, vertere etiam in latinum tentaverim.* BAILLETUM in libro *Des Enfans devenus celebres par leurs ecrits, p. 87. sqq. ed. nov.* ubi haud immerito, judice BÆLIO in *Dict. T. III. p. 2344. not. P.* locum dederat POLITIANO, & copiose admodum de illustri ejus infantia & adolescentia differit, miror nullam prorsus Homericæ hujus interpretationis, sicut nec elegiæ MOSCHI, injecisse mentionem. Scilicet hujus rei nihil memoraverat VARILLASIUS *l. c*, quem unum, ut expeditius procederet scribendi negotium, sequi in hoc argumento ducem BAILLETO constitutum fuerat.

(t) Est hoc primum Idyllion MOSCHI, quod græce inscribitur: Ἔρως δραπέτης, *Amor fugitivus*, & venustissimam Amoris, qui fingitur e matris Veneris gremio fugisse, imaginem continet. Captus igitur suavitate argumenti, quod mollis ac tenera hæc ætas raro fastidire solet, puer POLITIANUS, Græcas MOSCHI veneres latinis versibus imitari tentavit, omnemque huic negotio artem, omnem nativum calorem adhibuit. Carminis genus servavit idem, quo MOSCHUS usus est, heroicum nempe

pe ejusmodi fictionibus & descriptionibus poeticis aptissimum. Græco MOSCHI carmine non nisi tribus hexametris prolixior est latina interpretatio, unde, quam feliciter POLITIANO labor hic successerit, quodammodo judicari potest. Sed ista hujus loci non sunt. Addita reperitur literis POLITIANI ad *Ant. Zenum L. VII. ep. 14*, cui petenti carmen integrum transmisit. Pertinent huc prima literarum verba: *Amorem fugitivum, quem pene puer adhuc e græco in latinum converti, non sententiis modo, sed numeris etiam servatis, ac lineamentis pene omnibus, cupienti flagitantique diu tibi mitto tandem.* Addo ingenuum, quod iisdem literis de labore suo profert, judicium: *Multa longo post intervallo retractanti displicuerunt, quæ tunc fortasse, cum scribebam, visa sunt optima.*

(*u*) Ex titulo Elegiæ: *In violas a Venere mea dono acceptas*, vix colligas, primis adolescentiæ annis a POLITIANO compositum esse. Amat enim pubertatem Venus, nec imberbi adolescentulo nascuntur violæ, in Venerum hortis fœcunde progerminantes. Sed, quæ Poetarum indoles est, ut carminis argumenta, ut quæque sunt obvia, suo plerumque depromant ingenio, & quo animus maxime inclinat, inde modulandi capiant materiam, has etiam puto POLITIANI violas non nisi ipsius labore productas, nec unquam Veneris cujusdam manu tactas fuisse. Scilicet, ut majus violis hisce pretium accederet, a venustissima omnium virgine donatas sibi poetica virtute finxerat. Alioqui, ut mitteret tam promte hanc elegiam ANT. ZENO iisdem literis, quibus miserat MOSCHI *Amorem fugitivum*, vix pudor, credo, & verecundia ipsi permisissent. Nihil enim taciturnitate religiosius est amantibus, & occulte geri solent, quæ ab utraque parte ad alendos amoris igniculos agitantur. Facile igitur fidem habemus verbis POLITIANI, quæ iisdem in literis habentur: *Mitto elegiam quoque de violis, alterum ejus ætatis lusum.* Non aliam vero intelligit, quam qua MOSCHI Idyllion verterat, ætatem; quod ex ipsa literarum inspectione patescit. Ceterum hos de violis elegos ita instruxit, ut, quantum posset, ingeniosissime earum venu-

ſtatem ac ſuavitatem extolleret, tantamque iis diceret ineſſe gratiam, quantam vix reliquis, utut nitidi ſint ac purpurei, floribus tribuenda ſit. Lectu ſane jucundi ſunt, atque ita comparati, ut ſine frequenti Poetarum lectione vix adeo compoſiti prodire potuerint; qua de re alibi.

(x) VARILLASIUS *l. c. p. 194*, & poſt eum BAILLETUS *l. c. p. 88*, POLITIANUM referunt duodecimo jam ætatis anno non græcis minus, quam latinis verſibus tam ſuaviter luſiſſe, ut ad Alexandri & Auguſti ævum proxime accedere viderentur. Quæ laudes ſicut tantæ ſunt, ut majus quid addi iis vix poſſit, ita carminibus paucis & breviuſculis POLITIANI, quantumvis eleganter & venuſte ſcriptis, vix adeo convenire videntur. Quantusquantus fuerit POLITIANUS, multum ei HOMERUM, aut OVIDIUM præferendum cenſeo. Neque ſatis video, unde ſcriptoribus iſtis compertum ſit, græce cantare anno jam duodecimo cœpiſſe POLITIANUM. Equidem de latinis carminibus nullam moveo controverſiam, cum in *libro carminum ejus* occurrat Epigramma *ad Fontium*, cui notulæ inſtar adſcripſit POLITIANUS, ætatis anno decimo tertio compoſitum ipſi fuiſſe; magis vero de græcis dubito, quibus cum ſingulis fere ætatis ſuæ annum, quo ſcripta ſunt, appoſuerit POLITIANUS, nullum tamen in iis occurrit, quod annum decimum ſeptimum præcedat. Si quæ autem fuiſſent revera, quis dubitet, additurum iisdem fuiſſe POLITIANUM eo magis ætatis annum, quo inſignior ex iis, quæ duodecimo, quam quæ decimo ſeptimo ætatis anno ſcripſerat, gloria ſperanda erat. Sed ſatis jam gloriæ Noſtro peperit hæc ætas, qua primum græcis cantare numeris, & æmulari græcos exules, qui ſoli ſibi videbantur græce ſapere, Italus tentavit. Dignum id prorſus laude & admiratione fuit, illa inprimis tempeſtate, qua vix e tenebris ſuis in lucem revocari, & antiquo honori ſuo reſtitui cœperant literæ. Conf. *Hiſt. Crit. de la Rep. des lettres T. IV. p. 281. not. a.* Fuere, qui vitio Politiano verterent, quod græcis carminibus juveniles adjecerit ætatis ſuæ annos. In his præcipui ſunt bini SCALIGERI, pater & filius, diverſiſſimo tamen

men judicio, & contrariis maxime rationibus factum hoc vituperantes. Alterum enim, quod venusta nimis, alterum, quod indigna sint viro docto græca hæc Epigrammata, res ista male habet. En utriusque verba. Ille in *Hypercritici s. Poetices L. VI. p. m. 309*, *Græcis vero*, inquit, *quæ puerum se conscripsisse dicit, ætatem minus prudenter apposuit suam. Tam enim bona sunt, ut ne virum quidem latina æque bene scripsisse putem.* Hic in *Epp. L. I. Ep. 1. ad Jan. Dousam p. 46: Poteramus & edere nostra, appositis ætatis annis, ut fecit Politianus in suis græcis poematiis, quæ præter pauca digna erant, quæ in adolescente potius amaremus, quam quæ a seniore Politiano venditarentur.* Ita quidem pro ingenio quisque suo ea perstringit, quæ facile tolerari poterant in homine, plurimis alioqui de universa doctrina meritis conspicuo. Inprimis autem jejunum mihi & enerve videtur SCALIGERI filii judicium. Unde enim hariolari poterat severus censor, alio animo a seniore POLITIANO venditata hæc esse carmina, quam ut pretium iis ex ætate scribentis, non ex propria virtute & elegantia constitueretur? Quid, si additis ætatis annis, obviam ire voluit sugillationibus eorum, qui gratiam in iis ac venustatem morose desideraturi sint? Forte & altera causa accessit, ut si minus ea displicerent eruditis, ingenii matura vis & præcocitas simul admirationi esset cuilibet, & gloriolam ipse aucupari inde posset. Neque id famæ POLITIANI, sicut vult SCALIGER senior, putarim maculam inurere, quod latina ejus carmina provectiori ætate composita, quibus elegantiæ & gratiæ multum profecto inest judicio doctissimorum virorum, in tanto pretio habenda non sint, quam quæ juvenilibus annis scripserat græca Epigrammata. Nihil sane inde cognosci potest, quam græcis numeris ad stuporem usque molli illa ac tenera ætate cecinisse POLITIANUM. Aliter se res haberet, si prorsus sinistro Apolline rudique ingenio, sine gratia omni ac lepore in lucem prodiissent latina carmina, & a prima virtute sua penitus progrediente ætate descivisset præstantissima ejus indoles. A SCALIGERI judicio haud multum discrepant, quæ JOH. LASCARIS de

græcis hiſce POLITIANI carminibus ſenſerat, niſi quod græcis etiam numeris juvenili ſuavius ætate cantaſſe eum dixerit, quam adulta. At nihil ponderis habet ejus judicium propter inſigne odium, quod in POLITIANUM conceperat, & pertinaciſſimam utriusque æmulationem vertendi e latino in græcum ſermonem antiqui, quod factum a PULICE poeta vetuſtiore dicitur, Epigrammatis *de Hermaphrodito.* Græcis numeris homo græcus bilem virusque ſuum evomuit, qui tales perhibentur:

Παῖς αὐτοσχεδίως, ἑκκαιδεκάτῳ δ' ἐνιαυτῷ,
Ἄγγελε, φὴς, ἐποίουν (θαῦμα) τοιοῦσδ' ἐλέγους.
Θαῦμα γὰρ, ἀλλ' ἀναγνοὺς Ἑλλὰς μόνος ὅσσ' ἐμόγησε
Γράμματα, πάντας ὅμως τ' Αὐσονίων ὀάρους,
Θαῦμ' ἂν, πῶς, παίδων ἑκατὸν σταδίοισιν ἄριστος,
Δάκτυλον οὐ προέβης ἀνδρὸς ἐν ἡλικίῃ.

Quos verſiculos ita gallice reddidit ÆGID. MENAGIUS *in Menagianis T. IV. p. 436. ſqq.* unde ſcilicet græca etiam LASCARIS huc translata ſunt:

A haute voix Sire Angelo publie
Qu'en langue Grecque il a fait a ſeize ans
Vers ſi tres-beaux qu'ils charment l'Italie,
Et de la Grece étonnent les Savans.
Le miracle eſt ſans doute des plus grans,
Moindre pourtant que celui ci, je gage,
C'eſt qu'Angelo qui dès ſeize ans a ſû
Plus mille fois qu'on ne ſait à tel âge,
Ore à quarante après avoir tout lû,
N'a de ſavoir pas un grain davantage.

Non eſt hujus loci inquirere in veritatem eorum, quæ LASCARIS acerbe ſatis POLITIANO exprobrat; ſufficit, vel hujus teſtimonio græcis POLITIANI carminibus, quæ decimo ſexto, (ſeptimum, puto, dicere voluit LASCARIS) jam ætatis anno condiderat, nihil legi poſſe numeroſius, nihil ornatius. Idem dicendum eſt de latinis, quorum etſi pauciſſimis anni ætatis inſcripti ſint, ex eorum tamen argumentis facile cognoſcitur, eſſe

esse in iis plurima, quæ non nisi ad juvenilem ejus aut huic proximam ætatem referri possint. GEORG. FABRICIUS *Chemnit.* græca hæc & latina ejus carmina adeo suspexit, ut mollioribus eum putarit ludere numeris adulta ætate ne potuisse quidem. Legitur ejus de POLITIANO versiculus in GERH. FAUSTI (G. FABR.) *Poetis Germanis & exteris singulis Dystichis descriptis:*

Tam bene græca puer cecinit docteque latina,
Ut credam melius non potuisse virum.

Singulare quid hanc in rem VARILLASIUS *l. c.* profert, & verbosius, uti plerumque solet, BAILLETUS *l. c. p. 88*, quod nescio, num laudi magis cedat POLITIANO, an magis vituperationi. POLITIANUM nempe, referunt, antequam in Laurentii Medicei bibliothecam se conferret, sæpius & græco & latino sermone carmina vel Odas composuisse, quas secum tulerit occulte in abditos bibliothecæ recessus, &, inde reversus, in vetustis ANACREONTIS vel CATULLI fragmentis inventas sibi dictitaverit. Nec infeliciter hunc ei cessisse dolum, sed illos ipsos, quos literatissimos, & in horum poetarum lectione versatissimos noverat, numerorum & dictionis æqualitate deceptos. Lepida hæc, sed quæ fabulam nimis redolent. Vir doctissimus DE LA MONNOYE *in Not. ad Baillet. l. c. not. 2*, non dubitat fabulosa hæc & a VARILLASIO conficta dicere. Certe, qui hæc confirmaverit, præter BAILLETUM, haud scio quenquam. Id quod in malæ causæ suspicionem scriptorem illum facile adducere potest. Sed finge, vera hæc esse; num malitiose facta putabimus, aut dolosus nobis fraudator erit POLITIANUS, sicut a BAILLETO dicitur? Nimis id durum foret, & ab humanitate alienum. Si enim puerilibus id annis fecisse a scriptoribus illis perhibetur, sicut credendum omnino est, (alioqui locum hæc invenire non poterant in dicto BAILLETI libro) quis virga statim minetur optimæ indolis puero, cui ad

ad fallendos viros barbatos ſatis ingenii eſt & calliditatis? Joci hæc res fuit, non malitiæ, ad explorandam doctorum virorum in his rebus peritiam compoſita. Etenim, ſi id ſerio egiſſet, nunquam ipſe artificium hoc manifeſtaſſet, ſed in errore iſto homines illos credulos magis magisque confirmaſſet. Unde quæſo noverant rem omnem ii, qui primi eam in vulgus ſparſerunt, ſi non autore POLITIANO noverant? Quis adfuit agitanti hæc POLITIANO? Quis particeps conſiliorum fuit? Quis, præter ipſum POLITIANUM, potuit hæc primus eruditis prodere? Mitius ergo cum POLITIANO agere fas erat BAILLETO ob rem tam levem & facetam, quæ in pueris laudari magis ſolet, quam vituperari; neque ea de cauſa virtutis ac pietatis expertem dicere puerilem ejus ætatem poterat. Conf. ipſe *l. c. p. 87.*

(*y*) Ineptum eſt & ridiculum, eodem, quo de illuſtri eruditorum infantia agitur, libello exempli loco adduci, quæ quis adulta jam & firmiori ætate concinnaverat. *Hiſtoriam conjurationis Pactianæ* ſi vel altero ſtatim a cæde Juliani anno in lucem protuliſſet POLITIANUS, ante vigeſimum quintum ætatis annum proferre eam non potuit. Iſta enim, ut ſatis conſtat, anno MCCCCLXXVIII edita ſunt a Pactiis funera. Annos igitur non infantiæ ſolum, ſed pueritiæ etiam atque adoleſcentiæ transgreſſus erat, cum laborem hunc ſuſciperet, POLITIANUS; neque hæc argumento eſſe poterant præcocioris & ante annos maturati ingenii. Stupidum potius hunc & obtuſæ indolis hominem dicimus, qui, literis ab ineunte ætate ſolerter imbutus, annis tam vegetis & firmatis paucarum paginarum hiſtoriam, cui ipſe ſpectator adfuit, contexere neſciat.

§. 4.

Egregiam hanc & ad maxima quæque natam indolem progrediente ætate magis magisque confirmavit exornavitque pertinax Politiani induſtria, &

& in excutiendis, quos Græcia Latiumque habuit, priſcis literarum magiſtris labor fere continuus. (*a*) Cujus difficultatem ut ſine omni intermiſſione ac tædio fortiter ſuſtineret Politianus, effecit conſtans ac perpetuus favor Laurentii, qui & aſſiduum ſtudiorum ejus ſe præbuit ſocium, (*b*) & in agrum Fæſulanum, (*c*) jucundiſſimum Medicææ gentis prædium, otii & quietis, interdum & ſtudiorum cauſa, ſecedendi pleniſſimam ei fecerat copiam. Acceſſit huc inſitus & innatus Politiano ardor, ad maxima quæque annitendi, & ex meritis ſuis haud vulgarem captandi gloriam. (*d*) Itaque omnibus ingenuarum artium ornamentis inſtructus egregie atque perpolitus, brevi tempore ad eam doctrinæ maturitatem pervenit, ut aliis in hoc literarum ſtadio currentibus facem præferre poſſet, dignusque judicaretur, cui ampliſſima laboris & induſtriæ præmia decernerentur. Nec denegata hæc ſunt virtuti Politiani, in optimo vitæ ingeniique flore conſtituti. Vix annum ætatis nonum & vigeſimum (*e*) ingreſſus erat, cum, univerſæ civitatis Florentinæ, in qua principatum tenebat Laurentius Medicæus, communi ſuffragio, & maxima inprimis Laurentii (*f*) auctoritate, Græcas Latinasque (*g*) literas docendi in Academia Florentina ipſi traderetur provincia. Cujus ſicut auſpicatiſſimum, annuente civium ordine, fecit initium, eloquentiſſi-

mus ipſe, & ad docendum a natura mirabiliter formatus; ita continuo unius & decem (*b*) annorum curſu ad mortem usque glorioſiſſime (*i*) eam maximaque cum exiſtimatione ſua adminiſtravit. Etenim, quod ad Græcas literas attinet, tanto eas publice applauſu docuit, ut, Demetrio Chalcondyla, homine Græco, ipſi cedere juſſo, (*k*) ſolus circumfuſam nobiliſſimorum juvenum coronam haberet. Eadem dexteritate & facundia Romanæ eloquentiæ præcepta Florentinæ juventuti prælegit. (*l*) Nec ſubſtitit in iis, quæ muneris ratio ab eo exigebat; verum in latiorem diſciplinarum campum exſpatiatus, Philoſophiæ etiam, inprimis Dialecticæ, fundamenta in frequentiſſima auditorum concione expoſuit. (*m*) Ceterum, ut tanta alacritate tantoque ardore muneri ſuo præeſſet, multum contuliſſe puto benevolos eorum, qui ipſi in docendi munere collegæ contigerant, (*n*) fere omnium animos, & honeſtiſſimam cum iis omnisque invidiæ expertem æmulationem.

(*a*) Quam inexhauſta ejus fuerit legendi ſcriptores veteres cupiditas, quantumque ex eorum lectione doctrinam ſuam locupletaverit, vel ſola loquuntur ejus *Miſcellanea*, immenſæ eruditionis opus, quod ſi diligentius pervolutaveris, latiſſimum tibi univerſæ fere doctrinæ elegantioris campum recluſum dices. Adeo nihil in illo deprehendas, unde non veterum ſcriptorum dicta obſcuriora feliciter enodari, & de inſigni ſimul, quam habuit po-

POLITIANUS, Latinorum Græcorumque Poëtarum & Oratorum notitia judicari possit; cujus rei luculentiora suo loco dabimus specimina.

(*b*) In tanto honoris ac dignitatis fastigio constitutos Principes æmulari, multum ad excitandam industriam ponderis & momenti habet. Quanto ardore & studio in artibus ingenuis versatus sit Laurentius, tam scriptorum omnium testimonia, quam POLITIANI inprimis ad LUDOVICUM ODAXIUM, quas habes *L. III. Epp. Polit. n. 6*, literæ testantur. Plenissimæ hæ sunt laudum Laurentii, &, ad prædicandam præcipue ingenii ejus & doctrinæ præstantiam omnem eloquentiæ verborumque exquisitissimorum apparatum attulisse POLITIANUM, legenti cuivis facile cognoscitur. Non possum non eorum, quæ maxime huc faciunt, pauca inde delibare: *Cave putes, quenquam esse ex nostro (ut sic dixerim) seminio, hoc est, ex iis, qui omnem ætatem in literis consumpserunt, cui cedat hic, vel acumine in disputando, vel prudentia in judicando, vel in explicando, quæ sentiat, facilitate, copia, varietate, gratia. Acer illi sermo, & gravis, Exempla & historiam veterem sic habet ad manum, ut eis perinde uti semper atque suis stipatoribus videatur: sic ut ingenium habere in numerato, & esse quasi promum condum (ut Plautino utar verbo) totius antiquitatis facile credas.* Reliqua, non minus concinne, nec minori cum gravitate dicta, legisse in literis hisce, vix, credo, pœnitebit quenquam. Specimen felicioris ingenii, quo excelluit Laurentius, desideranti satisfacere quodammodo potest ejus ad POLITIANUM Epistola, *Lib. X. Epp. Polit.* obvia, quæ tam rerum, quam dictionis, suavitate apprime commendari meretur. Tanti viri æquare doctrinam, rem & gloriæ plenam putabat Noster, & industriæ. Atque præstantissimum hoc præclaræ indolis & virtutis exemplar quotidie intuendi, & præ aliis ad satietatem usque admirandi facta fuerat Italo nostro copia plenissima, qui, cum esset Laurentii alumnus, quod ipse profitetur in literis ad JACOBUM SALVIATUM, *Lib. X. Epp. Polit. n. 10*, atque iisdem a puero penetralibus innutritus, uti constat ex ejus verbis supra *§. III. not. (a)* adductis, & prandenti haud raro socium se daret,

 teste

teste ejus ad HERM. BARBARUM Epistola, *Lib. I. Ep. 13*, quin & sermonum suorum non diebus modo, sed horis etiam pene singulis testem & auditorem haberet, quod patet ex *Epist. ejus ad Herm. Barb. Lib. I. Ep. 11*, sæpiusque in ejus cubiculo de Philosophia & literis cum eo sermones conferret, sicut refert in *Epist. ad Jac. Antiquarium, Lib. IV. Ep. 2*, id suarum esse partium existimabat, ut tam illustris viri consuetudine dignum se præstaret tam morum suavitate, quam doctrinæ elegantioris exquisito apparatu. Cognoscas hoc ex *literis ejus ad Antiquarium modo cit.* ubi Laurentium *unicum* dicit *eruditi laboris sui auctorem*, quo mortuo *ardor* etiam *scribendi* ipsi *extinctus sit, omnisque prope veterum studiorum alacritas elanguerit*; nec minus ex *Epist. ad ipsum Laurentium*, præmissa ejus *Miscel.* ubi, *omnem*, ait, *ei deberi studiorum suorum summam.*

(*e*) Fæsulanus ager, haud procul Florentia in ditione gentis Medicææ situs, amoenissimus fuit, & omni genere suavitatum ornatissimus, domusque Medicææ alumnis multum otii & oblectamenti dedit. Puto, nihil differre ab antiquis Fæsulis, LIVIO *Lib. XXII. C. 3*, & SILIO *VIII. 478* memoratis, in quarum agro castra posuit Catilina, sicut discimus ex SALLUSTII *Catil. C. XXIV. §. 2, & C. XXVII. §. 1*, itemque ex CICERONIS *Orat. II. in Catil. C. 6.* Forsan vetustate deformata hæc civitas, ut plerumque solet, non nisi villulæ suburbanæ speciem reliquit. Huc facilis aditus patuit POLITIANO, indulgente hoc otium Laurentio, prædii domino. Comitem interdum se Nostro dedit JO. PICUS, familiaris & amicus ejus, & MATTHAEUS BOSSUS, homo doctus, & Abbatiæ Canonicorum regularium Congregationis olim S. FRIDIANI Lucensis, nunc Lateranensis, a Cosmo, avo Laurentii, instauratæ, illo tempore constitutus Abbas. Congressi hic, mutuis sermonibus amicitiam confirmarunt, nec otiose, sed ut literati solent, suum consumsere otium. Prædicat hujus consuetudinis jucunditatem POLITIANUS in literis *ad Laurentium Medicem*, non obviis quidem in *Vol. Epp. ejus*, at præmissis MATTHAEI BOSSI *de veris ac salutaribus animi gaudiis* libello, atque inde a MABILLONIO translatis in *Musei Ital.*

Ital. T. I. p. 157, dignisque adeo, quarum partem hic legendam demus: *Sed ego quoque tuum imitatus exemplum, per istos extremæ quadragesimæ dies, ceu fugitivus urbis, assiduus in Fæsulano fui, cum Pico Mirandula meo, cœnobiumque illud ambo regularium Canonicorum frequentavimus, avi tui sumtibus exstructum. Quin Abbas in eo, Matth. Bossus, Veronensis, homo sanctis moribus integerrimaque vita, sed & literis politioribus mire cultus, ita nos humanitate sua quadam tenuit, & suavitate sermonis, ut ab eo digressi, mox ego & Picus soli propemodum relicti (quod antea fere non accidebat,) nec esse alter alteri jam satis videremur.* Tantum vero abest, ut a literis hic feriatus sit, ut liberiore & a strepitu urbano curisque omnibus remoto animo bonarum artium hic studia sectatus sit. Nec poterat aliter, cum frequentissimum itineris comitem haberet Laurentium, qui omne fere tempus suum collocare in literis solebat. Inde tot POLITIANI ex agro Fæsulano ad amicos scriptæ epistolæ habentur in ejus Volumine *Epp.*; inde tot prodiere docti labores alii, in quibus eminet *Sylva* ejus venustissima, *Rusticus*, quæ etsi ab ipso jam Professore recitata sit publice in Poetæ HESIODI & VIRGILII Georgicorum enarratione, uti patet ex ejus inscriptione, composita tamen longe ante est in agro Fæsulano, cum docentium nondum occupata ipsi essent subsellia. Id enim docent, si recte interpretor, verba carminis ultima:

Talia Fæsuleo lentus meditabar in antro,
Rure suburbano Medicum, qua mons sacer urbem
Mæoniam, longique volumina despicit Arni,
Qua bonus hospitium felix, placidamque quietem
Indulget Laurens;
Qui si certa magis permiserit otia nobis,
Afflabor majore Deo, nec jam ardua tantum
Sylva meas voces, montanaque saxa loquentur,
Sed tu, (si qua fides,) tu nostrum forsitan olim
O mea blanda altrix non aspernabere carmen,
Quamvis magnorum genitrix Florentia vatum.

Videtur etiam PLUTARCHI *Narrationes Amatorias* in agro Fæſulano latine reddidiſſe; certe abſolutas inde miſit PANDULFO COLLENUTIO anno 1478, uti patet ex ANGELI ad eum literis, huic libello Dedicationis inſtar præmiſſis. Quæſiverat tunc temporis ſalutis ſuæ aliquod in agro Fæſulano perfugium, ne graviore peſtilentia, quæ per urbem Florentiam inciderat, conficeretur ipſe. Vid. *eand. Ep.* Nec, impetrato poſtea Profeſſoris munere, prædiolum hoc amare deſiit, ſed tum quoque animi reficiendi cauſa interdum huc conceſſit, & dulciſſima, remotis arbitris, carmina cantavit. Exemplo ſit elegantiſſima *Sylva, Nutricia*, anno 1486 in agro Fæſulano condita.

(*d*) Ardentisſimum illud gloriæ ſtudium, quod facile cognoſcitur ex innumera Operum tam editorum, quam quæ animo meditatus fuerat, multitudine, ipſe nunquam disſimulavit POLITIANUS; ſed eodem quaſi blandiri ſibi multumque placere viſus eſt. Documento ſunt, quæ ſcripſit in literis ad JAC. ANTIQUARIUM *L. III. Ep. ult: Ego certe (neſcio autem, vitione mentis captus, an conſilio magis adductus) magnum quiddam omnino molior, facturusque operæ pretium videor; modo vires animum ſubſequantur.* Nec minus perſpicue hanc ejus indolem produnt verba in *Ep. ad Jo. Picum Mirand. L. XII. Ep. 5: Arſi pene ſemper (nimis improbe forſitan,) ſed arſi tamen ſemper ſtudio famæ perpetuæ, ſic ut pro nihilo divitias, dignitatem, potentiam, voluptates habuerim, ſi cum ſuperſtite gloria conferantur.* Tantum vero famæ perennis ſtudium ſitne magis laudandum in POLITIANO, an vituperandum magis, hujus loci non eſt diſputare.

(*e*) Ita dicendum eſt, ſi, quod plurimi ſcriptorum referunt, muneri iſti unum & decem annos præfuit POLITIANUS. Abiiſſe vero Noſter docendi provincia ante finem vitæ nusquam legitur.

(*f*) Id haud obſcure indicant, quæ in literis *ad Pannoniæ Regem Matthiam, L. IX. Ep. 1*, ipſe ſcribit POLITIANUS: *Tantum dixero, me Laurenti Medicis, magni ſapientisque viri, tuarum virtutum ſtudioſiſſimi, non diligentia minus, quam liberalitate de obſcuro tenuique loco, quo naſcentem ſuſceperat, in aliquam certe*

certe lucem dignitatemque nullis adeo, nisi literarum, adminiculis pervenisse, profiteri jam multos annos latinas Florentiæ literas etc. Huc etiam spectare videntur verba DES. ERASMI *in Ep. ad Annam Bersalam, Principem Verianam*, quam vid. *p. 84. Collect. Epp. ejus Lugd: Nuper etiam Politianum, seculi nostri delicias, Laurentius Medices tanquam gremio suo educatum extulit.*

(*g*) Græcarum Latinarumque literarum utique in Academia Florentina Professorem constitutum fuisse POLITIANUM, scriptorum, qui de variis ejus honoribus commemorarunt, fere singuli nos edocent, ut G. J. VOSSIUS *de Hist. Lat. Lib. III. C. 8. p. 628*, BÆLIUS in *Dict. Hist. T. III. p. 234*, NEGRIUS *in Ist. degli Scrit. Fior. p. 46*, aliique permulti. Videntur horum testimoniis adstipulari verba POLITIANI in literis illis grandiloquis *ad Matthiam Regem Lib. IX. Ep. 1: Tantum dixero, me - - - profiteri jam multos annos Latinas Florentiæ literas magna (quod omnibus notum est) celebritate; sed & Græcas ex pari cum Græcis etc.* Cum vero Noster, id quod infra plenius dicetur, Philosophos etiam veteres tam publice, quam privatim, interpretatus sit, suspicari quis possit, datum forte Philosophiæ etiam publice docendæ POLITIANO munus esse. At, qui hujus rei mentionem faciat, scriptorum haud scio quenquam. Unde magis in eam propendeo sententiam, in prisci ævi Philosophos arrogasse sibi POLITIANUM jus aliquod, non tanquam in Philosophos, sed tanquam in scriptores optimo usos dicendi genere, ex quibus Græci Latinique sermonis optime vim liceat & copiam cognoscere.

(*h*) Docemur id a VOSSIO, cujus *l. c.* verba hæc sunt: *Latinas Græcasque literas annis XI Florentiæ docuit.* Idem confirmat JAC. PHIL. BERGOMENSIS *in Suppl. Supplem. Chronic. p. 435. A: Florentiæ uno & decem annis publico munere cum maximo suo prædicamento (ob discipulorum frequentiam) Latinas Græcasque literas docuit.* Hi num recte annos computaverint, difficilioris videtur disquisitionis esse. Tantum affirmare ausim, arctius annorum spatium definiendum non esse, cum ex Epistola POLITIANI *ad Matthiam*, ejusdemque

verbis

verbis ſub *not.* (*g*) adductis, manifeſtum ſit, multos jam tum annos Græcas Latinasque literas publice ab eo traditas fuiſſe. Multum igitur fallitur JAC. GADDIUS, qui in *Script. non Eccleſ. T. II. p. 139* in ea videtur eſſe ſententia, anno demum 1488 ſuſceptam hanc POLITIANO provinciam. Ita enim illic: *Politianus publice profitebatur in ſtudio Florentino anno 1488.* Quæ verba ſi noluit de prima muneris hujus ætate intellecta, cur annum 1488 præ reliquis adduxerit, prorſus ignoro. Quaſi vero uno hoc anno literas ex cathedra prælegerit POLITIANUS.

(*i*) Pertinent huc ea, quæ, indicta aliis, neſcio qua fide, VARILLASIUS de ſummo, quo dicta POLITIANI excepta ſunt ab audientibus, plauſu & ſuffragio refert in *Anecd. de Flor. Lib. IV. p. 195.* Plus quam quingentos, refert, lectiſſimorum ex omni Europa juvenum quotidie ad eum confluxiſſe, ut euntem in veſtibulum, ubi publice docere conſueverat, ingenti numero comitarentur, rurſusque cathedra deſcendentem, in cubiculum, unde egreſſus fuerat, honoris ergo ſecutos eſſe, ut certiſſimum præberent documentum obſervantiæ & amoris, quem mellea oratione ſua & admirabili eloquentia ſibi apud omnes conciliaverat. De cujus rei veritate meum non eſt curatius disquirere. In definiendo tamen auditorum numero, utut amplus ſit & immenſus, fidem ſcriptor non videtur transgredi. In tanta enim multitudine eorum, qui literis in illuſtrisſima ſchola Florentina operam dabant, facillimum eſt creditu, auditorum numerum ita inter ſe partitos eſſe Profeſſores, qui docebant Florentiæ, paucisſimos, ut uni POLITIANO, viro eloquentisſimo, & qui nominis fama reliquos fere omnes ſuperabat, juvenum quingenti cederent. Vix mirum hoc eſſe poteſt in illis, quibus Italia effulget, ſcholis publicis, ubi infantiam vix egreſſos cum adoleſcentulis, hosque cum adultioribus ab ore conſtat & diſciplina Profeſſorum pendere. Sexcentos Bononiæ auditores habuit PHIL. BEROALDUS, cui neutiquam ceſſit exiſtimatione POLITIANUS; ſexcentos, inquam, ut ipſe teſtatur in literis ad Noſtrum, *Lib. VI. Epp. Pol. n. 2;* quingentos igitur POLITIANUM habuiſſe, quidni credibile ſit? Satis tamen ad gloriam vel iſte habuit

buit discipulorum numerus; præsertim cum illos etiam non raro in audientium subselliis conspexerit, quibus ipse olim usus fuerat præceptoribus. Qua de re ipsum testem audiamus in *Ep. ad* FR. PUCCIUM, *Lib. VI. Ep. 5*: -- *Nam & qui me docuerunt, ipsi deinde aliquoties in nostra schola cum ceteris discentibus desederunt.*

(*k*) Diversa hac de re scriptores diversi referunt, prout quemque POLITIANI partibus addictum cernimus; his doctrinæ & eloquentiæ, illis asperitati malisque POLITIANI artibus fugam DEMETRII imputantibus. Primus huc prodeat JOVIUS, binis in locis hac de re commemorans, quæ si inter se comparaveris, JOVIUM dices sui ipsius dissimilem. In iis, quæ in POLITIANI Elogio profert, credas ab hujus eum stare partibus. Verba enim in *Elog. Cap. 38. p. 88* hæc sunt: *Tantos de se excitavit clamores, favente juventute, ut Demetrius Chalcondyles, vir Græcus præstantique doctrina, uti aridus atque jejunus desereretur.* En rursus, quam acerbe in POLITIANUM insurgat, Elogium DEMETRII *l. c. Cap. 29. p. 69* concinnaturus: *Demetrius Chalcondyles - - scholam Florentiæ instauravit, desertam ab Argyropylo, & a Politiano, deficientibus Græcis, occupatam; sed ambitioso peracrique æmulo, multis bonis malisque artibus suggestus locum & nomen defendenti, Demetrius cessit; Latina præsertim facundia inferior, & ob id rarescente auditorio a juventute destitutus, quandoquidem vel apprime doctus, facile jejunus & hebes lascivis & delicatis auribus videri poterat, quibus Politiani decantantis, & varios spargentis flores, jucunda argutaque vox & salsa comitas mira dulcedine placuisset. Sed mansit Demetrio honestus gratiæ locus apud Laurentium, vel infesto, & oblique semper incessente Politiano, qui cum neminem e Latinis sibi parem pateretur, Græcis ipsis eruditior existimari volebat. Divisit idcirco munera Laurentius, ut æmulationis lites dirimeret, & filii præceptorum contentione ad discendum accenderentur.* Non eadem ratione scriptores ceteri rem referunt. Docendi Græcas literas provinciam, quam ARGYROPYLUS Byzantinus dereliquerat, occupatam jam tum tenuisse POLITIANUM, cum ad instaurandam eam DEMETRIUS Florentiam veniret, quamvis ipse BOISSARDUS in *Iconibus p. 159*, & VARILLASIUS in *Anecd. de Flor. Lib. IV. p. 180*, qui

K hac

hac in re ipsum sequitur JOVIUM, perhibere videantur; discrepat tamen ab iis ISAAC. BULLARTUS in *Acad. des Scienc. T. I. p. 287*, qui, statim post ARGYROPYLI ex urbe excessum id muneris datum, refert, DEMETRIO, scholæque, ab ARGYROPYLO desertæ, hunc a Laurentio constitutum fuisse Professorem. Nec dissimulare possum, hanc ipsam BULLARTI, etsi non probatissimæ semper fidei scriptoris, relationem, si conjecturis rem definire liceat, multo mihi verisimiliorem videri altera. Quis enim crederet, tantæ audaciæ fuisse POLITIANUM, ut, invito ac renitente Laurentio, a cujus beneficio hæc dignitas pendebat, ferociter ad se raperet, quæ aliis destinata noverat? Perversis his artibus ad aucupandam gloriam opus ei profecto non erat, cum sciret Laurentium sui studiosissimum, & largissima ab eo expectare posset laborum præmia. Dicis, Laurentio id indulgente factum? Cur igitur alius accitus est, qui scholæ huic præficeretur? Cur spartam, jam occupatam, deseruit, cur homini peregrino reliquit POLITIANUS? Id sane nec Laurentii honestissimam indolem, nec fervidum POLITIANI ingenium permissurum fuisse, opinor. Quæ BOISSARDUS ea de re profert *l. c.*, non satis sibi constant, nec secum ipsa consentiunt. Is, non Laurentii modo, sed patris etiam Petri, ait, quin & avi Cosmi (de quo pæne dubito) præfectum fuisse institutioni DEMETRIUM; simul vero eodem in loco, venisse DEMETRIUM, refert, Florentiam, cum maximo jam auditorum confluxu literas Græcas doceret in schola illa POLITIANUS. Alterum si verum, non æque verum esse alterum potest. Principum gentis Medicææ, dicis, in urbe Florentina præceptorem fuisse DEMETRIUM? Qua igitur fronte, procul fuisse ab urbe Florentia & arcessitum aliunde, perhibes, eo tempore, quo docendi provinciam destituerat ARGYROPYLUS? Suspectam hic fidem habes, & proferre falsa videris. Quodsi igitur DEMETRIO re vera id muneris destinaverat Laurentius, id quod facile crediderim BULLARTO *l. c.* & VARILLASIO *l. c. p. 180*, (hunc enim valde amabat Laurentius, & literas Græcas putabat optime doceri posse ab homine Græco,) nihil erat, quod moram Laurentio interponeret, quin eum quamprimum in locum ARGYROPYLI substitueret, omnemque ita reliquis involandi in munus illud occasionem præcideret?

Multas

Multas hic ambages nectit VARILLASIUS *l. c. p. 180*, qui non solum huic JOVII narrationi tuto inhæret, sed illud etiam addit ei pro ingenio suo, occupato hoc docendi munere, petulantius POLITIANUM Græcis omnibus, qui tunc temporis Florentiæ egerunt, insultasse, eorumque scholas callide perditum ivisse; inde DEMETRIUM, frigidioris alioquin ingenii & parum elati animi hominem, indignatum contumeliæ civibus suis factæ, ut pristinam iis gloriam restitueret, & obviam iret POLITIANI machinis, a Laurentio illud obtinuisse precibus suis, ut liceret ipsi eodem tempore Græcas cum POLITIANO literas profiteri publice, quo posset uterque, judice Laurentio, de auditorum plausu & doctrinæ palma contendere. Sed hæc vaga nimis sunt, &, ut fides iis habeatur, fortiore teste indigent; unde ipsi in dubium vocantur BÆLIO in *Dict. Hist. T. III. p. 2341. n. D.* Itaque, post aditam demum a DEMETRIO dignitatem istam, aut tum certe, cum eam adiret, quæ VARILLASII, parum memoris alio in loco a se dictorum, est *Lib. IV. p. 194* sententia, ut æmularetur DEMETRIUM, credibile est, ad docendas Græcas literas animum applicasse POLITIANUM. Neque adeo frivolam perversamque dixerim hanc æmulationem, ut merito in eam debacchari, & ambitionem POLITIANI vehementissimosque conatus perstringere videatur JOVIUS. Homini Græco in cognitione Græcarum literarum palmam præripi ab Italo, sicut res magni fuit conatus, ita & maximæ cessit gloriæ non POLITIANO minus, quam universæ omnino Italiæ, quæ tunc temporis barbariem suam vix exuisse putabatur. Id si non contumeliose aut cum injuria DEMETRII fecit, laudem magis promeruit POLITIANUS, quam vituperationem. Profero hanc in rem ipsius verba POLITIANI, quæ habet sub finem *Prælectionis* suæ *in Homerum*, unde, quantum curæ susceperit pro patriæ honore, perspicue cognoscimus: *Quin agite mecum alacres, Musis bene juvantibus, regemque disciplinarum omnium, virtutumque parentem - - attollite certatim ab humo, atque erigite, ut hoc tam magno quasi duce recepto, & conservato, periclitanti jam pridem pulcherrimæ Græcorum linguæ signum ad bene sperandum aliquod, quasique vexillum ostendamus, ut, quæ in patrio solo deplorata penitus, atque exstincta jacet, apud Italos*

 certe,

certe, atque adeo in hac pulcherrima civitate veſtra Fl. viri opera reviviſcat. At malis utique artibus, inquit JOVIUS, ad ſtabiliendum hunc principatum uſus eſt POLITIANUS. Quæ vero ſunt iſtæ? Quæ illarum improbitas? Quidni adductæ a JOVIO? Peſſimus ille profecto accuſator eſt, qui, cauſa in judicium deducta, criminum ne dicere quidem ſcit nomina. Si noverat artes illas JOVIUS, cur hic receſſit a more, ipſi uſitatiſſimo, peſſima quæque de viris doctis, vel fando ipſi audita, in unum coacervandi cumulum? ſin ignorabat, quidni ea de re tacere prorſus, & parcere famæ POLITIANI maluit, quam, incertos ſequendo rumores, exiſtimationem ejus in diſcrimen adducere? Non hac in cauſa arbiter conſtituendus eſt BULLARTUS, cujus ſi legas, quibus utitur *l. c.* in POLITIANUM, acerbas ſatis exprobrationes, videbis, ne transverſum quidem unguem diſcedere a dictis JOVII. BAILLETUS, ut plus dixiſſe videretur, quam JOVIUS, in *Jug. des Sav. T. II. P. 3. p. 140*, laceſſitum improbe a POLITIANO, probrisque multis atque maledictis miſere vexatum DEMETRIUM, comminiſcitur. De qua, ſicut de alia quavis, inhoneſta æmulandi ratione, tacent ſcriptores reliqui. In eo autem omnes conveniunt, ſiccam & jejunam DEMETRII in docendo gravitatem, abſonam Græcorum vocabulorum pronuntiationem, modicamque illam Latini ſermonis peritiam, POLITIANI contra inſignem erga diſcipulos humanitatem, miram eloquentiam, in pronuntiando ſuavitatem, & opportunam in narrandis rebus jucundiſſimis gratiam ac dulcedinem, haud difficulter effeciſſe, ut, relicta deſtitutaque DEMETRII ſchola, effuſo agmine immenſa juvenum turba in caſtra POLITIANI transſcenderet. Vid. BOISSARDUS *l. c. p. 159*, VARILLASIUS *l. c. p. 180*, BÆLIUS in *Dict. Hiſt. T. III. p. 234*, aliique complures. An vero tantam in ipſis vocum ſonis elegantiam affectarit POLITIANUS, ut *legendo fere cantarit*, ſicut refert JUL. CÆS. CAPACIUS in *Elog. Illuſt. Vir. p. 352*, aut facetias lepidasque ſententiolas dictis ſuis immiſcuerit, quod tradit VARILLASIUS *l. c. p. 194*, in dubio jam relinquo. Fecerit tamen ita; is valde moroſus ſit, neceſſe eſt, qui hæc malis artibus annumeret. Commune hoc eſt Italorum ingenium, ut animos auditorum tam vocis jucunda quadam compoſitione, quam ludicris interdum narratiun-

tiunculis quaſi demulcere, & ad audienda ſeveriora ſoleant efficere alacriores. JAC. GADDIUS, integræ ſcriptor fideiſ, *diſerto, arguto, vividoque modo* uſum fuiſſe POLITIANUM *Græcas Latinasque literas ex cathedra docendi*, dicit in *Scriptor. non Eccl. P. II. p. 135*, cujus judicium, utpote ad omnem æquitatem compoſitum, nobis hic adeo temere negligendum non eſt. Tantas igitur POLITIANI patet præ DEMETRIO in docendo prærogativas fuiſſe, ut nullis præterea artibus, nullis cuniculis opus ei fuerit ad infringendam DEMETRII apud auditores exiſtimationem. Exploratis cognitisque utriusque in docendo virtutibus, ſponte ſua ad POLITIANUM, longe illo ſuperiorem, confluxit juventus Florentina, & auditoribus deſtitutus DEMETRIUS, neceſſe fuit, abdicaret ſe, cui præeſſe non poterat, munere. VARILLASIO *l. c. p. 180*, neſcio, unde compertum fuerit, cauſam DEMETRII adeo curæ cordique fuiſſe Laurentio, ut de auditoribus ipſe ei diligentiſſime proſpexerit, & POLITIANO, ne pergeret hoſtiliter adeo inſectari DEMETRIUM, ſevera lege interdixerit. Conf. BÆLIUS *l. c. T. III. p. 2341. n D.* Quaſi vero hoſtiliter unquam DEMETRIUM inſectatus ſit POLITIANUS, ut hac lege opus fuerit. Tentatam etiam ſæpius, idem ſcriptor *ibid.* refert, a Laurentio utriusque conciliationem, ſed fruſtra plane; & edoctum ſuo exemplo Laurentium, facilius pacem dari Italiæ, quam binis ex literatorum turba acerrimis hoſtibus. Neque id profecto mirum videri poteſt, ob acerbiſſimum DEMETRII dolorem, quem attulerat ei juvenum contemtus & auditorum paucitas, qui ſicut ſponte ſua & volentes ejus ſubtraxerant ſe inſtitutioni, ita nec inviti huic, ipſo quantumvis ſuffragante POLITIANO, reddi poſſe videbantur. Diviſit igitur, ut æmulandi materiam tolleret, munera Laurentius, ſicut ait JOVIUS *l. c.* Sed quomodo diviſit? Quid muneris cuique contigit? De eo tacet JOVIUS, minus in eo accurate Hiſtorici perfunctus partibus. Idem ex JOVIO repetit BULLARTUS *l. c.*; nec meliora inde diſcimus. POLITIANO, dubium non eſt, ceſſiſſe provinciam, de qua diſceptatum fuerat; niſi dicere malis, ceſſiſſe provinciæ hujus partem ſaltim, alteramque hoſti DEMETRIO. Fuiſſe enim hunc anno adhuc 1491 in ſchola Florentina

Professorem, ex binis ejus ad JOANNEM REUCHLINUM, Germanum, Epistolis cognovi, eodem anno scriptis Florentia, quæ, adjectæ *Illustrium Virorum ad Joannem Reuchlinum Epistolis*, a THOMA ANSHELMO, Badensi Typographo, editis, argumenti sunt ejusmodi, ex quo constare facile possit, ipsi tunc temporis inter doctores Florentinos locum fuisse DEMETRIO. Possis & in eam adduci conjecturam, DEMETRIO, in compensationem amissi muneris, forte filios suos Græcis literis erudiendos dedisse Laurentium. In hac video sententia versari VARILLASIUM *l.c.* & ipsa id indicare videntur verba JOVII postrema, quæ obscuriora videntur BÆLIO *l. c.* eam ob causam, quod, litibus DEMETRII & POLITIANI jam diremtis, utriusque contentione ad discendum filios suos incitasse dicatur Laurentius. Aut enim compositæ nunquam fuerunt lites illæ, aut certe, compositis his, vanum fuit Laurentii, quod cepisse dicitur, consilium. Etsi vero hac ratione sopitæ paululum fuerint hæ simultates opera Laurentii, cujus gratia ne excideret, uterque solicite cavebat; non tamen suppressæ penitus sunt, sed, extincto demum Laurentio, apertius & majori cum animorum acerbitate geri cœperunt. Inde DEMETRIUS, præsidio Laurentii, quod unicum habebat, destitutus, ut æmuli sui conspectum fugeret, Mediolanum concessit, ubi honorifice exceptus a Ludovico Sfortia, Duce, juventutem omni disciplina, Græcis inprimis literis, instituit. Vid. JOVIUS *l. c. & seqq.* VARILLASIUS *l. c. p. 180*, CAPACIUS in *Elog. p. 352*, BOISSARDUS *l. c. p. 159*, & BAILLETUS *l. c. p. 140.* Ceterum, ut de summo, quo literas Græcas docuit POLITIANUS, plausu constare nobis ex ipsius verbis possit, proferam huc, quæ scribit in *Epist. ad Matthiam Regem*, *Lib. IX. Ep. 1*: *Tantum dixero, me - - profiteri multos annos Latinas Florentiæ literas magna, quod omnibus notum est, celebritate. Sed & Græcas ex pari cum Græcis, quod nescio an alteri Latinorum (dicam enim audacter) mille circiter annos ante contigerit.* Audacter hæc omnino, quin & jactanter dicta, sed, ut puto, vere tamen. Ementitam enim coram Rege gloriam ostentare, res erat & periculi plena, & ignominiæ. Autores vero, quos publice prælegeret juventuti, elegit sibi optimos gravissimosque; HESIODUM nempe, uti patet ex inscriptione Sylvæ *Rustici*, quam sub au-

auſpicia prælectionum in HESIODUM recitavit, & HOMERUM inprimis, quem interpretatus eſt ſæpiſſime, ſicut apparet ex *Oratione* ejus *in expoſitione Homeri*, & Sylva *Ambra*, eadem occaſione pronuntiata. Iſto enim Poeta Græco mirifice delectatus eſt Noſter, & ex eo tam Græci ſermonis, quam omnis præſertim doctrinæ moralis cognitionem hauriri putavit poſſe optime. Vid. *ejus Orat. in Homer.* Addo his Philoſophorum veterum principem ARISTOTELEM, cujus cum dubium non ſit a POLITIANO publice prælectos eſſe libros varios, in explicandis illis non Philoſophum modo, ſed & Græcæ orationis egiſſe videtur interpretem.

(*l*) In Latinis tam proſæ quam vorſæ orationis autoribus POLITIANUS, quamdiu muneri docendi præfuit, verſatus eſt diligentiſſime. Tradita ab eo QUINTILIANI præcepta eloquentiæ Romanæ, quæ CICERONIS præceptis pleniora judicabat, enarratas item SUETONII hiſtorias, VIRGILII Bucolica & Georgica, OVIDII Faſtos, HORATII Epiſtolas & Satyras, PERSII Satyras, Sylvasque STATII, teſtantur tam Orationes ſolennes, ſub auſpicia Prælectionum iſtarum coram auditoribus a POLITIANO recitatæ, & Operibus ejus poſtea inſertæ, quam ipſa POLITIANI, quæ paſſim legimus in *Miſcellancis*, luculentisſima teſtimonia. Enarravit etiam Florentinæ juventuti Sylvam *Ruſticum*, ab ipſo compoſitam, ubi cum videret enucleanda ſibi nonnulla, quæ ad Aſtrologiam ſpectarent, cum amico ſuo JO. PICO rationes de iis contulit in *Ep. ad Picum Lib. XII. Ep. 8.* Eadem hæc, credo, fuit, quam dicit *Cap. 80. Miſcell. magno olim conventu, publice multis excipientibus, interpretatum ſe eſſe.* Quanto vero iſtæ in autores Latinos prælectiones exceptæ fuerint plauſu ab ejus diſcipulis, jam ſupra *n.* (*g*) *hujus* §. ipſius POLITIANI verbis dictum eſt.

(*m*) Philoſophiam utique Florentiæ ex ſuggeſtu docuit POLITIANUS, teſte JAC. PHILIPPO BERGOMENSI in *Suppl. Supplem. Chronic. p. 435. A*, & quidem tam publice, (vid. quæ diximus *not.* (*g*) *huj.* §.) quam privatim, quod ſcimus ex ipſius verbis in *Prælect. de Dialectica: Nos & in palæſtra quandoque diſputationis non ſine laude deſcendimus, & philoſophiæ libros nonnullos, vel publice vobis, (quod ſcitis,) vel privatim ſtudioſis aliquot hominibus enarravimus.* Unde facile colligo, haud exiguam diei par-

partem docendi negotio insumtam POLITIANO, nec fidem temere negandam HENR. BRENCMANNO, qui in *Historia Pandect. Lib. IV. C. 1. p. 310*, *tria*, ait, *simul collegia a Politiano habita*. Eo enim tempore, quo privatim Philosophiam docuit, vix intermissum a POLITIANO illud videtur, quod muneris publice in eum collati ratio postulabat. Fuit autem in scholis suis Philosophicis constantissimus, ut tunc tempora ferebant, ARISTOTELIS sectator, cujus libros Philosophicos pæne universos legendo & interpretando absolvit. Plurimum inprimis temporis studiique posuit in illustranda Dialectica, quam ipse etiam tentavit omnem ex libris ARISTOTELIS redigere quasi in nucem, ejusque laboris specimen edidit sub *Dialecticæ* titulo, indutum habitu *Prælectionis in Aristotelis de Cavillatorum præstigiis libros posteriores*. Hanc ipsam quoque publice interpretatus videtur lustranti *Prælectionem* ejus *de Dialectica*, *Dialecticæ* statim subjectam in *Operibus* POLITIANI, ubi non solum de ARISTOTELE tacet prorsus, sed ultimis etiam verbis, cuncta ex propria quasi penu depromturum se, pollicetur. Sunt vero hæc: *Quare ades auribus atque animis, Florentina juventus, ac veræ philosophiæ primordia, non jam de lutosis Barbarorum lacubus, sed de Græcorum Latinorumque nitidis fontibus hauri mecum. Curæ autem nobis erit, ne quid huc afferatur, quod non vel ratione tueri, vel auctoritate possimus.* Ceterum ARISTOTELIS, quos habemus, libros Philosophicos fere omnes, decem nempe summa rerum genera seu Prædicamenta, cum sex illis GILBERTI PORRETANI Principiis, porro libellum, qui dicitur περὶ ἑρμηνείας, seu de Elocutione, priores duos, qui vocantur Resolutorii, libros tres Sophisticorum Elenchorum, seu de Cavillatorum Præstigiis, *intactum*, ut ait, *ab aliis opus & pene inenodabile*, de argumentorum sedibus libros octo, & PORPHYRII quinque voces communes, sigillatim a se prælectas, ipse docet in *Prælectione*, cui titulus *Lamiæ*, & altera, *Panepistemon* dicta; libros item ARISTOTELIS morales sub auspicium fere scholæ suæ interpretatus est, uti patet ex eadem *Prælect. Lamia*, & *Ep.* JO. PICI *ad* POLITIANUM, *Lib. XII. Epp. Pol. n. 4.* Ex his apparet, satis omnino temporis & operæ insumtum POLITIANO in explicanda

canda Philosophia universa partibusque ejus singulis, quarum cognitionem non tam doctoribus illis, tenera ætate sibi auscultatis, quorum alii, ignari omnis Græcæ Latinæque literaturæ, in ARISTOTELIS interpretatione risum ipsi moverant & stomachum, alii trita maxime & diu ante dicta recitaverant e pulpito, quam priscis illis Philosophiæ Peripateticæ explanatoribus, THEOPHRASTO, ALEXANDRO Aphrodisiensi, THEMISTIO, HAMMONIO, SIMPLICIO, PHILOPONO, aliisque, ex quibus solis præceptores suos sapere animadverterat, retulit acceptam. Vid. *Prælect.* ejus *in Dialecticam.* Qua de re plura dicentur infra. Neque tamen ideo magnificum Philosophi nomen affectavit, sed Philosophorum saltem interpres dici voluit, & idem sibi juris in Philosophos datum existimavit, quod Grammaticis in scriptores quoscunque. Qua de re satis constare nobis potest ex verbis ejus in *Prælect. Lamia: Ego me Aristotelis profiteor interpretem, quam idoneum, non attinet dicere, sed certe interpretem profiteor, Philosophum non profiteor. Nec enim, si Regis quoque essem interpres, Regem me esse ob id putarem, - - Non scilicet Philosophi nomen aucupo, ut caducum, non arrogo, ut alienum, propterea quod Philosophos enarro*, &c. Qua modestia usus est POLITIANUS, ut inficetis illis lamiis os obturaret, quæ ægrius ferebant, hominem, nullius Philosophi scholæ innutritum, & sero admodum ad Philosophiæ sacra admissum, inter Philosophos subito extulisse caput, principemque Philosophorum ARISTOTELEM sumsisse sibi interpretandum.

(*n*) JAC. GADDIUS in *Scriptor. non Eccles. T. II. p. 140* ex libello quodam, album Doctorum Scholæ Florentinæ continente, quatuor POLITIANI Collegas, quos habuit circa annum 1488, in medium profert; DEMETRIUM nempe Atheniensem, POLITIANI æmulum, de quo supra in *n.* (*k*) *huj.* §. mentionem fecimus, CHRISTOPHORUM LANDINUM, POLITIANI olim præceptorem, (vid. quæ diximus §. *III. n.* (*k*)) BARTHOLOMAEUM FONTIUM, cujus ad ROBERTUM SALVIATUM exstat Epistola in *Epp.* JO. PICI MIRANDULANI *Lib. II. n.* 17, Florentia oriundum, & in eadem urbe Rhetorices (si quid conjicere licet ex binis VERINI, nescio an UGOLINI, an MICHAELIS, versibus, BAELIO adductis in *Dict. Hist. & Crit. T. II. p.* 1193:

Fontius est Rhetor, pubis moderator Hetruscæ,
Judicio & nulli morum pietate secundus.)

Professorem, Matthiæ etiam Corvino, Regi Hungariæ, in deliciis habitum, & Bibliothecæ Budensi præfectum, editis Orationibus pulcherrimis, quas magni facit *Autor Dialogi de Latinæ linguæ reparat. p. 412*, Commentario item in *Persium*, scriptisque aliis limatissimis, suo tempore clarissimum, de quo legi omnino merentur, quæ profert MASSA in *Vita, origine, e patria d'Aulo Persio p. 17;* denique NALDUM de NALDIS, venustissimum Poetam, cujus carmina exquisitis laudibus celebrat ANDR. DACTIUS, Florentinus, in *Epigrammate ad Naldum*, quod legitur in *Carm. Ill. Poet. Ital. T. IV. p. 11:*

Nalde, decus nostri venerandaque gloria secli,
Ingenium si quid doctaque corda valent;
Accipe prima meæ cupido libamina mentis
Scandentis Cyrrhæ culmina ad alta gradu,
Quæ rudis ignota primævo flore juventæ
Lima Castalius trivit ab arte calor,
Quis ego sollicita & multa vigilata lucerna
Ingenii stimulum carmina sacra peto,
Carmina, Gorgonei pleno quæ fluminis haustu
Dant tibi Thespiades Thespiadumque parens,
Ut duce te Aonii summa ad fastigia montis
Tollar, & e gemina laude superbus eas.

Ipsius etiam POLITIANI in promtu est *in Libellum Elegiarum Naldi* Epigramma, quod habetur in *Carminum* ejus libro:

Dum celebrat Medicem Naldus, dum laudat amicam,
Et pariter gemino raptus amore canit.
Tam lepidum unanimes illi ornavere libellum,
Phœbus, Amor, Pallas, Gratia, Musa, Fides.

Carmina hujus NALDI bene multa leguntur in *Carm. Ill. Poet. Ital. T. VI. a p. 412 ad 465.* Addo his POLITIANI Collegis, a GADDIO memoratis, MARSILIUM FICINUM, quo & ipse usus olim fuerat præceptore, longo annorum cursu Professoris munere perfunctum, & FRANCISCUM PUCCIUM, Florentinum, de quo suppetit nobis testimonium ipsius POLITIANI in *Epist. ad* PHIL. BEROALDUM, *Lib. VI. Ep. 1: Nactus autem fuerat, quæ Franciscus Puccius, Florentinus, collegisset, auditor ille qui-*

quidem noſter olim, dein vero in eadem ſchola etiam Profeſſor, qui Neapoli nunc agitat magna cum laude, &c. Horum igitur cum pleroſque POLITIANUS aut præceptores habuerit, aut diſcipulos; quiſque facile judicare poteſt, quanta fuerit inter eos animorum conjunctio, quantaque omnium ad promovenda Florentinæ juventutis commoda conſpiratio.

§. 5.

Quæ maxima ſolet eſſe eorum, qui teneræ juventuti omnibus doctrinis expoliendæ laborem & operam ſuam conferunt, felicitas, ut ſuam in diſcipulis conſpiciant imaginem, taleſque induſtria & arte ſua efficiant, qui gloriam præceptorum ad omnem transmittere poſteritatem poſſint, eandem Politiano noſtro, tot lectiſſimorum juvenum præfecto inſtitutioni, præ aliis contigiſſe animadvertimus. Etenim ex ſchola ejus haud pauci prodierunt, qui ad tantum doctrinæ pervenerunt faſtigium, ut, ſi non ſuperaſſe famam Politiani aut adæquaſſe, ad eam tamen proxime putentur acceſſiſſe. Singulorum conquirere ſtudioſe, ſtrictimque hic recenſere nomina, operoſi non minus, quam ſupervacanei laboris res foret; facturus tamen rem gratam videor Lectoribus, ſi illorum hic vel nobiliſſimos commemoravero. Digni inprimis noſtro præconio videntur Bernardus Riccius, (*a*) Jacobus Modeſtus Pratenſis, (*b*) Franciſcus Puccius, (*c*) Scipio Carteromachus, (*d*) Guilielmus Grocinus, (*e*) Thomas Linacer, (*f*) Jo. Baptiſta Egnatius, (*g*) Varinus Phavorinus Camertes, (*h*)

Raphael Volaterranus, (*i*) Petrus Crinitus, (*k*) Dionysius Capnio, (*l*) Carolus Antenoreus, (*m*) & Pactolus quidam, (*n*) quorum plerisque hæc tribuenda laus est, quod scholam Politiani fama immortali & præclaris de omni literarum genere meritis insigniter nobilitarint. Addo his, si non doctrinæ, saltem eminentioris dignitatis causa, magnæ indolis juvenes, Joannis Teixiræ, summi apud Regem Lusitaniæ Joannem libellorum magistri, filios dignissimos. (*o*) In discipulis Politiani an locum etiam mereatur Baccius Ugolinus, (*p*) sicut contendit Clausius, mihi quidem adhuc videtur dubium. Joannem Picum Mirandulanum certe, multum falleretur, qui in Politiani diceret fuisse disciplina, etsi auditoribus ejus interdum socium se comitemque dederit. (*q*)

(*a*) Testantur de eo literæ JAC. ANTIQUARII ad POLITIANUM, quas habes *Lib. III. Epp. Pol. n. 23*, ubi hæc: *Epistolam mihi legendam nuper tradidit Bernardus noster*, (RICCIUS cognomine; id enim patet ex literis POLITIANI ad ANTIQUARIUM, quæ subsequuntur illas,) *adolescens in tua schola tornatim expolitus*; nec non aliæ ejusdem ANTIQUARII ad POLITIANUM, *Lib. XI. Epp. Pol. n. 3*, in quarum initio: *Bernardus Riccius, inter disciplinas & alumnationes tuas sane juvenis non pœnitendus*, &c. Patriam huic RICCIO fuisse Mediolanum, verba ANTIQUARII in Epistola, quam primo loco nominavi, indicare videntur; qua vero gente editus, quibus fuerit moribus conspicuus, & an ejus præcipua quædam adultiori ætate fuerint de literis merita, nusquam memoriæ proditum inveni. Publico munere functus, idque non diligenter minus, quam prudenter & laudabiliter administrasse, versiculos etiam scripsisse amatorios, ingeniosos, elegantes, venustos, faciles, & affectibus plenos, POLITIANO dicitur in literis ad BERNARDUM hunc, *Lib. IX. n. 2.* Idem in literis ad JAC. ANTIQUA-

QUARIUM, *Lib. III. n. 24*, BERNARDUM *optimum juvenem* vocat, *& sui nimium amantem. Secretarius Florentinus & vir literatissimus* JO. FRANCISCO BENEDICTO in *Ep. ad* POLITIANUM *Lib. VI. Epp. Pol. n. 8*, quin & *juvenis ingeniosus* JO. PICO appellatur in *Ep. ad* JAC. ANTIQUARIUM, *Lib. IX. Epp. Pol. n. 8.* Frequentissimum ei nobilissimumque cum POLITIANO præceptore intercessisse literarum commercium, docet Epistola JAC. ANTIQUARII *ad* RICCIUM, *Lib. IX. Epp. Pol. n. 6*, & ipsæ POLITIANI ad eum literæ, *Lib. XI. n. 18.* De RICCIO isto & ejusdem nominis aliis multa memorat JAN. BROUKHUSIUS in *Notis ad Sannazarii Carmina, nuper Amstelod. excusa, p. 237.*

(*b*) Ad JACOBUM MODESTUM PRATENSEM scriptæ exstant POLITIANI literæ de priscis Jureconsultis, quorum nomina & leges Digestis continentur, *Lib. V. n. 9*, in quibus cum verba legantur: *Nam cum tu nostris laribus a puero fueris innutritus, probaverimque semper ingenium, mores, animum, fidelitatemque tuam, nihil mihi abs te pene sejunctum puto*, &c.; non dubito, ipsam ejus educationem institutionemque commendatam POLITIANO fuisse. Neque tunc quidem annis fuisse juvenilibus egressum, cum has ad eum literas daret POLITIANUS, ex earum inspectione facile cuilibet constare potest. Fuit tamen satis jam ætate illa excultus bonis literis, & doctrina expolitus elegantiori. Non enim, nisi ad explorati hominem ingenii, & omni formatum disciplina, ea, quæ omnino videbantur alicujus esse momenti, & doctrinam redolebant exquisitiorem, tam compositis POLITIANUS perscripturus videbatur literis. Nescio tamen, an scriptis editis ad singularem unquam famam pervenerit; nec de patria ejus & parentibus certi quicquam ex scriptorum monumentis definire licet. Honorifica satis de eo sunt verba POLITIANI in *Miscellan. Cap. 77:* - - *Id identidem nunc Jacobo Modesto Pratensi, familiari nostro, & studiorum adjutori, nunc aliis item nostris auditoribus, utcunque aut res ferat, aut exigatur, ostendimus.* Ex quibus ipsis, modo verborum ordinem accurate inspicias, intelligi quodammodo potest, esse hunc MODESTUM in discipulis POLITIANI numerandum omnino.

(*c*) FRANCISCUS PUCCIUS etsi nullo, quantum ego scio teste CONR. GESNERO in *Biblioth. Univ. p. 257. B*, ingenii monumento posteritati nomen suum commendaverit; patet tamen

 non

non minus ex literis ejus ad POLITIANUM, *Lib. VI. Epp. Pol. n. 4*, politissimis omnino, & multo sale consperfis, quam ex mutuis POLITIANI, in laudando eo liberalioribus, magnam ejus, dum viveret, fuisse & nominis & doctrinæ existimationem. Ad PHILIP. BEROALDUM de eo scribit POLITIANUS *Lib. VI. Ep. 1*, *doctum esse utraque lingua juvenem, nec absurdo ingenio, sive tu prosam condere, sive carmen jubeas.* Florentiæ per aliquod tempus Professoris munere functus, Neapolim ire jussus est, ubi maxima cum laude promovendis literarum incrementis animum intendit. Docemur id ex verbis POLITIANI, supra §. *IV. n.* (*n*) allatis, & ex Elegia HIERON. CARBONIS ad AUGUSTIN. NIPHUM, quam excerptam ex CAROLI BORELLI *Vindice Neapolitanæ nobilitatis, seu Animadversione in Franc. Ælii Marchesii librum de Neapolitanis familiis*, PETR. VLAMINGIUS transtulit in Notas ad JAC. SANNAZARII *Carmina p. 599*, ubi hæc legas:

Quin etiam nostras visit pater Ælius ædes,
Quem sequitur sacri candida turba chori;
Et, qui Sebethum patrio modo prætulit Arno,
Puccius, Etrusci fama decusque soli.
Quem, culti eloquii tanta est facundia, credas
Posse movere homines, posse movere Deos.

Nollem, scriptores in enarrandis viri hujus literatissimi fatis tam fuisse negligentes. Factum id præter ejus meritum, etsi suæ majora, quam posteræ ætati, commoda præstiterit. Ex POLITIANI tamen ad eum literis, *Lib. VII. n. 29*, tantum scire licet, patrem ei fuisse militem, & in bello contra Ligures periisse, avum hominem prudentem, cum Cosmo olim a factiosis civibus Florentia ejectum, sed postea cum eodem revocatum, fratrem porro fuisse Jannoctium, suavissimum juvenem, affinem denique Alexandrum Farnesium, Cardinalem, qui Romæ in maxima autoritate vivebat & gratia. Legatum etiam Romam missum fuisse PUCCIUM ad Pontificem nomine civitatis Florentinæ, eædem docent literæ, ita inscriptæ: *A. Politianus Puccio Florentino Jurisconsulto, & ad summum Pontificem legato.* Differt longe iste PUCCIUS ab alio, ejusdem plane nominis,

sed

ſed recentioris ætatis, Italo, qui, literarum & ſublimioris doctrinæ expers, vulgo in Fanaticorum numero haberi ſolet, & libello, Goudæ in Hollandia A. 1592 edito, & Clementi VIII Pontifici inſcripto, perverſamque *de univerſali reſtitutione, & fide naturali in Deum, ad ſalvandos omnes homines idonea*, doctrinam complexo, juſtam Theologorum, recte ſentientium, animadverſionem incurrit, & fata ſibi contraxit acerbiſſima. Legi de eo meretur, præter alios, PETRUS BÆLIUS in *Dict. Hiſt. & Crit. T. III p. 2395. ſeqq.* POLITIANI uſum ſe fuiſſe diſciplina, ipſe ſæpius fatetur PUCCIUS in *Ep. modo cit.* ubi *præceptorem & magiſtrum ſuum* diſertis verbis dicit POLITIANUM. Maxime huc pertinent verba: *Quicquid ipſi ſumus, ſi quid ſane ſumus, id totum beneficio tuo ſumus.* Quin ipſe POLITIANUS in *Ep. ad* PUCCIUM, *Lib. VI. n. 5, incredibili,* ait, *me voluptate tuæ literæ affecerunt, non tam - - - quam quod apud me, qui tibi olim præceptor obtigerim, ſingularem quandam vel eruditionem, vel eloquentiam tuam profitentur. Auditorem* etiam *ſuum* vocat in literis ad PHIL. BEROALDUM, quarum verba Lectoribus memini me dediſſe ſupra *§. IV. n. (n)*.

(d) Græcarum Latinarumque literarum peritiſſimus fuit CARTEROMACHUS, Piſtojenſis; id quod ſatis teſtatur ejus *de Laudibus Græcarum literarum* Oratio, habita primum *Venetiis A. 1504*, poſtea *A. 1517 Baſileæ apud Jo. Frobenium* excuſa, denique Baruthi A. 1690 recuſa, quin & ab HENR. STEPHANO *Theſauro Græcæ linguæ* præmiſſa. Præter hanc pauca ejus ſcripta innotuerunt mihi, nec niſi Græca quædam Epigrammata, inprimis in libros opera ALDI MANUTII Venetiis excuſos, compoſita, ARISTIDIS Smyrnæi Orationem de Laudibus urbis Romæ Latine redditam, & Epiſtolam Græcam, VARINI PHAVORINI CAMERTIS *Theſauro, ſeu Cornucopiæ Græcæ linguæ* præmiſſam, in lucem, quantum ſcio, protulit. CLAUDII PTOLEMÆI *de Geographia libri VIII* ejus, quamvis non unius, cura elegantiores emendatioresque prodierunt. Multa ab eo edita tradit quidem JO PIER. VALERIANUS in libro *de Infelic. literat. Lib. II. p. 72*; ſed eorum nihil commemorat. Primis literarum tirocinius Romæ ac Florentiæ poſitis, Patavii, Venetiis, Raven-

vennæ, & Romæ ingenuas artes publice professus est. CARTEROMACHUM *reconditæ & absolutæ eruditionis hominem* ERASMUS in *Epist. 5. Lib. XXIII*, & *virum citra ostentationem in utraque literatura doctum* idem vocat in *Ciceroniano*. Præclare de eo PETR. ALCYONIUS in *Medice Legato posteriore fol. 9: Ei, tametsi Latinus est, attamen vel Græci ipsi, in suæ linguæ cognitione & subtilitate primas deferunt;* & ibidem: *Videas illum, quanquam Latinum, Græce sic loqui & scribere, ut solus post veterum Græcorum, Platonis, Socratis, Demosthenis, & Strabonis, interitum orbæ eloquentiæ tutor relictus videatur.* Laudibus effertur etiam ab incomparabilis eruditionis viro, JO. ALBERTO FABRICIO, in *Bibl. Græc. T. I. Lib. II. C. 21. p. 631. n.**. Breviter expositam ejus vitam dedit BÆLIUS in *Dict. Hist. T. I. p. 776*, & copiosius Autores Diarii *Giornale de' letterati d'Italia T. XX. a p. 279 ad 295*, ubi præclara admodum facta ejus est mentio. Exstat ejus ad POLITIANUM Epistola *Lib. XII. Epp. Pol. n. 25*, unde discimus, maximam doctrinæ suæ partem POLITIANO nostro CARTEROMACHUM retulisse acceptam. Statim enim sub initium Epistolæ se *discipulum* ejus, POLITIANUM *præceptorem* suum, *a quo tantum se amari sciat, quantum possit a præceptore discipulus*, gratus profitetur. Jungenda his, quæ ipse in *Orat. de Laudibus Græc. lit. p. 31. edit. Baruth.* scribit: *Nostra quoque tempestate non defuere, qui Græce scriberent: ut præceptor noster Politianus*, &c. Amorem ejus erga POLITIANUM loquuntur tam literæ ad eum, jam memoratæ, quam additum literis Græcum Latinumque carmen, laudibus POLITIANI sacrum. Acuta satis verba carminis ultima:

De patria magni certatum est semper Homeri,
Vindicet ut tantum hunc urbs sibi quæque virum.
Tu majoris eris certaminis, Angele, causa,
Terra etenim ac cælum te volet esse suum.

(*e*) GUILIELMUS GROCINUS, gente Britannus, multiplici doctrina, Græca maxime & Latina literatura, quam publice Oxonii professus est, admodum illustris fuit, Poeta quoque haud invenustus, & omni genere elegantiorum literarum ornatissimus. Epistolæ ejus ad eruditos, ERASMUM inprimis, aliaque ingenii monumenta præstantissima, laude mea haud indigent. Primis in Britannia Græcæ Latinæque linguæ institutus elementis,

tis, iter suscepit in Italiam, & Florentiæ maxime, amplissima Musarum artiumque omnium officina, studiorum causa consedit. Docuit illa ætate literas Florentiæ POLITIANUS noster, cujus commendatus institutioni, duos annos continuos utriusque linguæ præcepta imbibit avidissime. Cujus quidem rei non memini in ipsis POLITIANI scriptis animadvertisse me vestigium. Maximum tamen testimonii robur habent verba GUIL. LATIMERI in *Ep. ad* DES. ERASMUM, obvia in *Epp. Erasmi edit. Lugd. p. 294*: *Nam & Grocinum memini, virum, ut scis, multifaria doctrina, magno quoque & exercitato ingenio, his ipsis literis* (Græcis) *duos continuos annos, etiam post prima illa rudimenta, solidam operam dedisse; idque sub summis doctoribus, Demetrio Chalcondyla, & Angelo Politiano.* Idem confirmat ANT. WOODIUS in *Athen. Oxon. T. I. p. 13*, qui multa de GROCINO memorat, & SAM. KNIGHT in *the Life of John Colet, p. 24. n.* (t). Conf. etiam G. LILII *Elogia quorundam Anglorum p. 91.*

(f) Gente item Britannus fuit THOMAS LINACER, Cantuariæ natus, GROCINI æqualis, quem non immerito *virum undiquaque doctissimum* ERASMUS in *Ciceroniano p. 83*, & *optimum Grammaticum, elegantem Poetam, Rhetorem disertum, Medicorum plane Phœnicem*, appellat JO. PITSEUS in *Relat. Historic. de Rebus Anglic. seu de Illustribus Angl. scriptoribus.* Nam, quos scripsit *de Structura Latini sermonis, Libri VI*, Grammatices Anglicæ rudimenta, Epistolarum ad eruditos Carminumque libri, GALENUS integer & *Sphæra* PROCLI Latine reddita, quam præclare de literis fuerit promeritus, perspicue luculenterque testantur Fuit inprimis in interpretando felicissimus, ut, quæ PET. DAN. HUETII *de Claris Interpret.* sententia est, *nemo illo majorem orationis nitorem, castitatem & condecentiam ad interpretationes contulerit.* In Italiam, cum ipso forte GROCINO, ut Græcis literis melius imbueretur, facto itinere, duos omnino annos Florentiæ doctissimorum hominum, DEMETRII CHALCONDYLÆ & POLITIANI scholas frequentavit. Docemur id ex eadem, cujus modo facta est mentio, LATIMERI ad ERASMUM Epistola: *Nam & Grocinum memini, - - - Linacrum item, acri ingenio virum, totidem* (binos) *aut etiam plures annos sub iisdem*

præceptoribus (DEMETRIO & POLITIANO) *impendisse.* Testes quoque id referunt PAUL. JOVIUS in *Elog. doct. vir. Cap. 63. p. 108*, ubi & laudes LINACRI fusius commemorat, ANT. WOODIUS *l. c. p. 17*, SAM. KNIGHT *l. c. n. (u)*, G. LILIUS *l. c. p. 93*, P. BÆLIUS in *Dict. Hist. T. II. p. 1718.* De LINACRO, legi etiam merentur, quæ scribunt JAC. GADDIUS *de Script. non Eccl. T. I. p. 278*, JO. BALÆUS in *Catalogo Scriptorum illust. majoris Britanniæ*, LUD. VIVES *de Trad. Discipl. Lib. III*, DES. ERASMUS *Lib. VIII. Ep. 39, Llb. X. Ep. 27, Lib. XIV. Ep. 3, Lib. XV. Ep. 17, & Lib. XXVI. Ep. 14, &* in *Apophtheg. Lib. VI. p. 524*, JO. CHEKUS *de Pronuntiatione Græca*, THOM. FULLERUS in *the Worthies of England*, & ADR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T. IV. p. 84 seqq. & p. 371.*

(g) JO. BAPT. EGNATIUS, Venetus, vir summus, & ad incrementa elegantiorum literarum vere natus, cujus doctissimæ exstant in Autores Latinos, CICERONEM inprimis, SUETONIUM, & OVIDIUM, Animadversiones, & similis argumenti *Racemationes*, Operaque *de Romanis principibus*, *de Origine Turcarum*, & *de Exemplis illustrium virorum Venetæ civitatis atque aliarum gentium*, politissima, discipulus fuisse POLITIANI dicitur ANTON. TEISSIERIO in *Eloges des Hommes Sav. T. I. p. 165 & 166.* Rem eandem testantur Autores Diarii *Essais de Litterature T. I à l'annèe 1702. mens. Nov. p. 292*, qui, multos eum annos POLITIANI usum institutione, & proxime ad præceptoris sui famam & existimationem accessisse, perhibent. His etsi ex ipsis POLITIANI scriptis nihil hujus rei constare possit; secuti tamen in eo sunt scriptorem fide dignissimum, JAC. AUG. THUANUM, cujus hæc sunt verba *Lib. XII. Historiar. ad ann. 1553. p. m. 253: Hic & annus* (scil. 1553,) *abstulit Jo. Baptistam Egnatium, familia honesta, sed in tenui re, Venetiis natum, Angeli Politiani, qui bonas literas in Italia intermortuas excitavit, discipulum, quique eas non mediocri studio illustravit & scriptis & publica XL annorum professione cum summa totius Italiæ admiratione.* Quæ verba ita vertit interpres THUANI, PETR. RYERUS, ut in eum adduci errorem possis, ipsum POLITIANUM per quadraginta annos elegantiores literas docuisse in urbe Veneta. Verba ejus hæc sunt: *J. B. Egnatius - - fut disciple d'Angelo Politio, qui retablit en Italie les bonnes lettres presque mortes, &*

qui

qui ayant enſeigné quarante ans durant avec admiration de toute l'Italie, reçût cette grace du Senat, &c. Primus id obſervavit ANT. TEISSIERIUS in *Elog. des homm. Sav. T. I. p. 167*, poſtea etiam P. BÆLIUS in *Dict. Hiſt. T. II. p. 1056. n.* (G); qui ipſe tamen ejus rei culpam in THUANUM potius, perplexioribus utentem verbis, quam in RYERUM, conjicit.

(*b*) A patria dictus *Camertes*, poſtea a Leone X, quem literis inſtituiſſe dicitur, Epiſcopatu Nucerino donatus, cujus quanta fuerit Græcarum literarum peritia, ex ſingulis fere, quæ in lucem dedit, ejus ſcriptis abunde conſtat. Ad conſummatiſſimam hanc ejus doctrinam, quis dubitet, allatum aliquid ab ANGELO noſtro, quo duce inde a prima pueritia in ampliſſimis Græciæ Latiique campis excurrerat. Tam carus fuit præceptori ſuo, ut is omnium, quæ in literarum negotio habebat arcana, fecerit participem. Utriusque in promtu ſunt hac de re teſtimonia; POLITIANI in Epiſtola ad VARINUM, Præfationis loco præmiſſa VARINI *Theſauro Cornucopiæ & Hortis Adonidis*, ab ALDO MANUTIO Venetiis A. 1496 editis, nec, quantum ſcio, in ipſo Epiſtolarum ejus volumine obvia, ſubi hæc: *Mihi certe (quid enim diſſimulem?) gratiſſimum facies; nam cum te ſemper habuerim quaſi eximium inter diſcipulos utriusque linguæ, meaque tibi in literis etiam arcana retexerim, quod tu homo gratiſſimus libenter & profiteris & prædicas; nimirum ſcilicet ad me quoque portio aliqua tuæ tantæ laudis redundabit.* Excerpta hæc vide in MICH. MAITTAIRE *Annalibus Typographicis T. I. p. 246. n. (a)*. Addo his, quæ ſcribit in *Ep. ad* MACARIUM MUTIUM, *Lib. VII. Ep. 2: Varinus, civis tuus, auditor meus, ad ſummum linguæ utriusque faſtigium pleno gradu contendit, ſic ut inter doctos jam conſpicuus digito monſtretur.* Nec minus huc ſpectant ipſius VARINI verba in *Epiſtola Græca ad Petrum Medicæum*, eidem *Theſauro Cornucopiæ* præmiſſa, cujus partem idem profert MAITTAIRE *ibid. n. (c)*: Ἄγγελος γὰρ ὁ πωλιτιανὸς, ὃς ἐμὲ λατινιστὶ καὶ ἑλληνιστὶ μονονουχὶ ἐκ τῶν ἁπαλῶν ὀνύχων ἐπαίδευσε, σὸς γέγονε διδάσκαλος. Luſit in eum brevi, ſed venuſto, Epigrammate POLITIANUS, quod legitur in *Epigrammatum* ejus Volumine, præmiſſumque eſt *Dictionario Græco* PHAVORINI, quin & ipſi hujus tumulo cum aliis aliorum carminibus inſculptum.

 Vid.

Vid. *Giorn. de' Letterati d'Italia T. XIX. p. 98*, & viri egregii, JO. ALBERTI FABRICII, *Bibliothec. Græc. Vol. X.* Honorifice ſatis de eo judicat JOACH. CAMERARIUS in *Præf. ad Varini Dict. Græc.: Hunc Politianus, vir* (*ut eſt notum*) *doctiſſimus, ornavit ſummæ laudis ſplendidiſſimo teſtimonio, cum eum quodam in Epigrammate pereleganti Latinum hominem Græcitatem ipſam ſuſtinere, atque alere dixit*; & G. J. VOSSIUS *de Philologia Cap. 5. §. 15. p. 37: Ang. Politianus Græco quodam Epigrammate ſic laudat eum, ut, hominem Latinum,* (*Camerinum enim ei patria, ut ajebam,*) *dicat,* ἀντιπελασγοῦτα *nunc ipſam ſuſtinere atque alere Græciam.* De vita & Epiſcopali PHAVORINI dignitate varia commemorat FERD. UGHELLUS in *Italia ſacra T. I. p. 1072.* Confer etiam, quæ multo cum ſtudio collecta leguntur in *Giorn. de' Letter. d'Ital. T. XIX. a p. 90 ad 129.*

(*i*) RAPHAELEM VOLATERRANUM, a patria ſic dictum, inſignis doctrinæ virum, quem literarum in Italia reductoribus merito annumeres, & de cujus *Commentariis Urbanis*, immenſi laboris Opere, paſſim injeci mentionem, ſi non aliis, certe ſermonis Græci ſtudiis a POLITIANO inſtitutum, ipſa hujus docent verba in Græca ad VOLATERRANUM Epiſtola, *Lib. XII. Ep. 21*: δοκῶ μοι γέλωτα ὀφισκάνων ὁ τέως κεκλημένος διδάσκαλος, καὶ τῶν καθ' ἡμᾶς ἑλλήνων τοῖς δοκιμωτάτοις ἀντιτεταγμένος; quæ ita vertit JACOBUS TUSANUS: *Videor mihi ridiculus fore, antea & præceptor vocitatus, & Græcorum eminentiſſimo cuique ſeculi noſtri collatus.*

(*k*) Non ignotum CRINITI hujus nomen eſt, qui artibus ingenuis & elegantiori doctrina tam fuit egregie imbutus, ut ſummam præceptoris ſui in dicendo ſuavitatem æmulatus ſit feliciſſime. Documento ſunt *de Honeſta diſciplina*, & *de Poetis Latinis*, libri compoſitiſſimi. Unde, communi omnium judicio, in diſcipulis POLITIANI diſertiſſimis habitum, ait JOVIUS in *Elog. p. 108*, &, in mortui POLITIANI locum, refert, in ſchola Florentina ſubſtitutum, nec minori multo, quam ille olim, plauſu publice interpretatum ſcriptores veteres. Memoriam præceptoris ſui quanto honore proſecutus ſit CRINITUS, teſtes ſunt tam Epigramma ejus, manibus POLITIANI conſecratum, quod alio in

in loco legendum dabimus, quam binæ ad ALEXANDRUM SARTIUM Epiſtolæ, *Lib. XII. Epp. Pol.* obviæ, amoris erga POLITIANUM, jam tum defunctum, tenerrimi ardentiſſimique diſſimulantes nihil.

(*l*) Fuit hic DIONYSIUS natione Germanus, patria Phorcenſis, JOANNIS REUCHLINI, olim CAPNIONIS, frater, Tubingæ primum ſummis Philoſophiæ honoribus ornatus, poſtea ſacrorum adminiſtrandorum muneri admotus, & cum frare JOANNE ac ſorore ELIZABETHA in ſacrum Eremitarum S. AUGUSTINI Ordinem receptus eſt a F. ÆGIDIO, Ordinis Priore, ut vocant, generali, cujus ea de re literæ *ad Nobilem & egregium virum, Dn. Joannem Reuchlinum, LL. Doctorem eruditisſimum, Dn. Dionyſium, Presbyterum, Fratrem ejus germanum, atque Elizabet, Sororem ejus*, exſtant ſub finem *Lib. II. Epiſtolarum illuſtrium virorum ad Joannem Reuchlinum, Phorcenſem*, a THOMA ANSHELMO, Badenſi Typographo, editarum. Commemorant de eo, qui vitam & hiſtoriam JOANNIS REUCHLINI, maximi olim Hebraicarum Græcarumque literarum in Germania doctoris, ex inſtituto perſecuti ſunt, ſcriptores bene multi; in quibus præcipui ſunt PHIL. MELANCHTHON in *Orat. de Vita Capnionis*, MARTIN. SIMON in *Orat. de Joanne Capnione Phorcenſi p. 59*, MARTIN. CRUSIUS in *Annalium Suevicorum Dodec. III. Lib. IX. Cap 5. p. 499*, &, qui verſatus eſt in enarrandis REUCHLINI rebus memorabilibus præ ceteris diligentiſſime, JO. HENR. MAJUS in *Vita Jo. Reuchlini, Durlaci anno 1687* edita, *p. 6 ſeq. & p. 140 ſeq.* quibus addo *Programma Academiæ Tubingenſis, ſcriptum in funere Chriſtoph. Reuchlini, Theol. Prof. Tubing.* qui atavum habuit hunc ipſum DIONYSIUM. Ei libros binos, quorum alter *Rudimenta linguæ Hebraicæ*, alter *Lexicon Pforzhemii*, inſcriptus eſt, pietatis & amoris ergo ſacros eſſe juſſit frater JOANNES. Doctrina longe inferior, quam frater, fuit, nec, quantum ſcio, quicquam ſcriptorum ejus prodiit, unde de doctrina ejus exiſtimari poſſet. JOANNIS erga ſe animum vere fraternum expertus eſt, habuitque eum, utpote ætate multo ſe provectiorem, ſtudiorum ſuorum moderatorem ſtudioſiſſimum. Is autor ei fuit juveni admodum, ut excolendæ

doctrinæ causa in Italiam se conferret, deditque ei itineris comitem JOANNEM STRELERUM, J. U. D. probatissimæ fidei hominem, cujus curæ tuto commendari posse noverat Musas & institutionem DIONYSII. Itaque Florentiam abiere illi, & biennium continuum usi hic hospitio GEORGII VESPUCII, præceptores, quorum scholas frequentarent, cooptarunt sibi MARSILIUM FICINUM, DEMETRIUM CHALCONDYLAM, atque ANGELUM POLITIANUM. Testatur hæc ipse verbis suis JOANNES REUCHLINUS sub finem *Lib. I. Rudiment. Hebraic.* &, qui profert illa, JO. HENR. MAJUS *l. c. p. 141.* His ducibus, quantam potuit, DIONYSIUS operam navavit literis, & laudatissimos in studiis progressus fecit. *Valemus omnes recte*, inquit JO. STRELERUS in *Epistola ad* JO. REUCHLINUM, quæ legitur *Lib. I. Epist. Illust. Vir. ad Jo. Reuchlinum*, *Dionysius profecto bene studet; te non pœnitebit impendiorum, certo scio; nullis eget calcaribus, tamen Italiam amare non vult, semper autem plus cuperet vivere in Germania.* POLITIANI tamen non ita assiduus, sicut reliquorum, fuisse auditor videtur. Cum enim VESPUCII, CHRISTOPH. LANDINI, & *Lippi* cujusdam *cæci*, (quem fateor ignotum mihi,) præceptorum DIONYSII, honorifica admodum facta sit mentio a JO. STRELERO in *Epist. ad* JO. REUCHLINUM, *Lib. I. Epist. Illust. Vir. ad Jo. Reuchlinum*, & DEMETRII CHALCONDYLÆ binæ ad JO. REUCHLINUM Epistolæ, Græca altera, altera Latina, in quibus laudat ingenium DIONYSII, literasque ejus sibi fore commendatissimas promittit, exstent *Lib. I. & II. earundem Epp. ad Reuchlinum;* non adeo luculentum de POLITIANO nobis testimonium suppetit, nisi quod JO. STRELERUS, quasi dubius adhuc animo, num POLITIANO utendum doctore sit, scribat ad REUCHLINUM in *Ep. cit.*: *Scripsi etiam tuæ humanitati de Angelo Politiano, doctissimo utriusque linguæ viro, quid agendum sit. Nam is continuo est apud divinum illum virum Comitem de Mirandula, apud quem etiam ego ipse his diebus fui.* Neque tamen ideo dubitandum plane, quin præceptor ei obtigerit POLITIANUS, cum firmissimi testimonii loco habenda nobis sint, quæ profert ea de re *l. c.* frater ejus JOANNES, quæque commemorat PHILIPPUS MELANCHTHON,

THON, REUCHLINIS conjunctissimus, cujus verba paulo post subjungam, nec probabile sit, neglectas ejus viri scholas a DIONYSIO, cujus erat ætate illa per omnem Italiam, maxime vero in Gymnasio Florentino, singularis nominis celebritas, & in publica luce versabantur de literis elegantioribus merita præclarissima. Sed melius forte dignitati & existimationi POLITIANI consultum, & de probitate ac religione ejus dubitare ad hunc diem ausus nemo fuisset, si caruisset ipse hoc discipulo, nec verborum suorum hunc nactus fuisset interpretem tam sinistrum & malevolum. Est enim ex eorum discipulorum numero hic DIONYSIUS, qui labores præceptorum honestissimos studiumque erga se eximium remunerari calumniis solent & obtrectationibus impudentissimis; indignus adeo, quem tanti viri alumnum dicamus, & reliquis jungamus melioris profecto & antiquioris integritatis discipulis. Manifesta est hominis nequitia. Reversus enim, elapso biennio, in Germaniam, ut institutionis fidelissimæ gratiam haberet præceptori pristino, de petulantioribus POLITIANI, non nisi ab homine profligatissimo expectandis, sermonibus, & improba sacrarum literarum contemtione, sparsit in vulgus fabulam. De qua cum certior factus esset PHILIPPUS MELANCHTHON, homo ad superstitionem usque credulus; ille, quantumvis alioqui a vituperandi studio remotus, vel audito perperam, vel sinistre nimis explicato rumore, tantum abest, ut fraudes senserit pessimi opprobriorum architecti, DIONYSII, ut latius disseminandas has calumnias, & ad omnem transmittendas duxerit posteritatem. Primus igitur fuit, qui penes credulos quosque de vulgo in maximum famæ & existimationis discrimen & in horrendi (Atheismum vocant) criminis suspicionem, vix unquam abolendam, adduxit bonum hominem, nihil minus merentem, POLITIANUM. Atque hinc nata est, quæ nec nostris temporibus ore hominum jactari desiit, lepida de Atheismo POLITIANI historiola, quam satis, ut speramus, denudabimus infra *Sect. II.* Eorum, quæ hac de re scriptis consignavit MELANCHTHON, sedes habetur præcipua in *Epistola* ejus ad ADAMUM CRATONEM, præmissa

Exegesi

Exegesi NICOLAI ASCLEPII BARBATI *de Antiquo & profundo consilio Dei*, ex qua ipsa nempe cognitum nobis est, testem auritum venditasse se CAPNIONEM execrandæ impietatis, cujus accusare POLITIANUM non dubitaverat coram illis, quibus jucunda erant auditu omnia, in optimorum opprobrium virorum excogitata turpissime. Audiamus verborum MELANCHTHONIS, quæ huc pertinent, partem aliquam. *Dionysius*, inquit, *Capnio*, *qui adolescens audivit Angelum Politianum*, *narrabat*, *eum interrogatum aliquando*, *quid de Psalmis Davidicis sentiret*, *& ad quid prodesse eorum lectionem judicaret*, *respondisse*, *sibi vero placere illa antiqua carmina*, - - - *Sed addidit Politianus hanc collationem*, *res easdem dulcius & splendidius narrari in Odis Pindaricis*, - - - *Hæc Politiani oratio etsi speciosa est*, *tamen est hominis ignorantis discrimen inter genera doctrinarum, inter legem & evangelium.* Omisi hic quædam de industria, cum sit verborum catena longiuscula. Proferentur tamen hæc ipsa alio in loco. Eadem a CASP. PEUCERO memorata sunt in *Epistola* ad CHRISTOPH. CARLOWITZIUM, unde excerpta nobis exhibet SALDENUS *de Libris p. 434*.

(m) Ingenii præstantissimi adolescens fuit CAROLUS ANTENOREUS, qui Græcarum literarum studium cum Philosophia habuit conjunctissimum. PHAVORINO CAMERTI, amico suo, in consarcinando *Thesauro Cornucopiæ* haud parum operæ præstitit, eoque nomine in eruditorum poni meretur numero. Non obscure id docet ALDUS MANUTIUS in Præfatione huic *Thesauro* præmissa, hisce quidem verbis: *Primus labor in eo* (libro) *fuit Guarini Camertis*, *& Caroli Antenorei*, *Florentini*, *hominum multi studii*, *ac in Græcarum literarum lectione frequentium.* Eadem cum maxima laudum ANTENOREI commemoratione prolata sunt a POLITIANO in *Ep. ad* VARINUM CAM. eidem *Thesauro* præfixa, quam vide integram in *Giorn. de'Letter. d'Ital. T. XIX. p. 106.* POLITIANI discipulus fuisse dicitur ANTENOREUS Autoribus dicti modo *Diarii l. c. p. 103*, qui cum accuratissime versari soleant in enarrandis eruditorum suæ gentis fatis, id ipsum absque idoneo autore memorasse non videntur. Forsan ex ALDI verbis id collegerunt, in *Præf. cit.* prolatis: *Hi* (VARINUS

&

& ANTENOREUS) *ſimul ex Euſtachio, Etymologico, & aliis dignis Grammaticis, accepere hæc canoniſmata, digeſſereque per ordinem literarum, nec ſine adjumento & conſilio Angeli Politiani, viri ſummo ingenio, ac impenſe docti*, &c. quaſi ſcilicet adoleſcentibus, juvenili ardore in honeſtisſimum laborem prolapſis, præceptor POLITIANUS curam, conſilium, & inſtrumenta miniſtraverit. Addimus his, ut majus conjecturæ pondus accedat, ipſa POLITIANI, quæ ſunt in *Ep. cit.* verba, haud fruſtra huc trahenda: *Hoc idem puto, & Carolus ipſe tuus Antenoreus, honeſtus adoleſcens, exoptat, ejusdem tecum laboris particeps. Quid autem diximus: ac non potius noſter: quando utrique pariter operam dedit?*

(*n*) PACTOLUS hic quis fuerit, cujusve generis, patriæ, aut ingenii, dictu vix adeo ſit proclive. Plura enim de eo cognita nobis non ſunt, quam quæ JO. FRANC. PICUS in literis ad HERCULEM STROZZAM, *Lib. III. Epp. Pic. n.* 7, de diſciplina ejus literisque politioribus in tranſitu quaſi commemorat: *Reliquum eſt*, inquit, *Pactolum tuum meo nomine ſalvere jubeas; cum per occupationem, tum per valetudinem reſcribere non potuimus; certiorem illum reddas, numiſma illud ſuum, de quo meminit, in illa ipſa arcula perpetuo cuſtodiendum. Legi ejus epiſtolam, nec invitus ſemel & pluries, (forte tum aderat Paulus, patruelis ille ſuus, virtute conſpicuus,) doctrinam præ ſe fert & gratiam, multo candore renidet; redolet (ut dicam brevius,) Politiani officinam, a qua nihil in literis non eruditum prodiit; magnam in eo jacturam fecit Latina lingua.* Secutus igitur verba PICI, PACTOLUM quendam dixi POLITIANI diſcipulum. Si quis tamen nomen PACTOLI dicere prænomen viri malit, quam nomen gentilitium, virumque ex ipſa Strozzarum gente duxiſſe genus ſuſpicetur, non illi ea de re controverſiam movere animum induximus. Neque tamen ſpeciem veri prorſus nullam habet, ſcriptum in Epiſtola PICI nomen PACTOLI tanquam diminutivum nominis PACTI, quod eſſe omnino gentilitium, nec in Italia inauditum, docemur ex Epigrammate quodam M. ANT. FLAMINII *ad* JACOBUM PACTUM, cujus copiam habemus *Lib. VI. Carminum ejus p.* 181. *edit. Patav.* 1727.

 (*o*) Ma-

(o) Maximæ omnino gloriæ cessit ANGELO, juvenes ultimis Lusitaniæ finibus excitos, nobiles admodum, & natalium splendore maxime insignes, venisse in Italiam, ut optimas artes quasque, Latinam præsertim eloquentiam, præeunte POLITIANO, addiscerent. Etenim Joannis Teixiræ, summi in aula Regis Lusitaniæ libellorum magistri, filios, numero plures, *adolescentes*, ut ipse ait POLITIANUS in *Ep. ad Joannem Reg. Port. Lib. X. Ep. 1*, *ingenio moribusque præstantes*, curæ ejus & institutioni concreditos fuisse, tam patet ex *Epist. modo cit.* qua horum se ipse *præceptorem* dicit, quam ex literis ad ipsum juvenum patrem, *Lib. X. Ep. 3*, ubi illos *discipulos* appellat suos, & eximias eorum virtutes ac in literarum studiis ardorem, quibus potest, laudibus extollit. Quin ipse Joannes, Rex Portugalliæ, in literis, quas dedit ad POLITIANUM, *Lib. X. Epp. Pol. n. 2*, felices judicat adolescentes istos, quod *in id ætatis & temporis inciderint, quo ab ejus literarum fonte aliquid doctrinæ possent feliciter haurire.*

(p) Doctissimus CLAUSIUS in *Differt. de Ang. Politiano Cap. IX. p. 22* discipulum POLITIANI dicit BACCIUM, & testimonii loco affert *Epistolam* POLITIANI *ad* FR. PUCCIUM, *Lib. VI. Ep. 5*, in qua tamen, si accurate inspicias, nulla prorsus hujus rei animadvertas vestigia. Quamvis enim maximam illius partem sibi vindicent laudes UGOLINI, & nihil fere tam pulchrum sit, tamque egregium, quod non de homine isto prædicetur, tantus etiam inde POLITIANI erga illum amor cognosci possit, quantus vix esse præceptoris erga discipulum potest (sæpius enim *suum* dicit, *sua seria*, *suas delicias*,); de ipsa tamen ejus institutione & studiorum cura nec hoc in loco, nec in *Miscellaneis*, ubi sæpius ejus mentionem injicit perquam honorificam, quicquam dictum deprehendas. Tenerrimus vero affectus ille, verborumque blandimenta, quæ a parente magis, quam a præceptore profecta crederes, nullum, cur id suspiceris, argumentum suppeditant. Alioqui, plurimas, quas ad omnis generis eruditos, magnam partem nec visos sibi unquam, nec nisi per literas cognitos, scripsit POLITIANUS, ad discipulos ejus scriptas fuisse epistolas, dicendum foret. Certiora igitur in medium

dium proferenda ſunt teſtimonia, ſi, ſcholis POLITIANI interfuiſſe UGOLINUM, ſerio contendis. Subveniri forte poſſet ſententiæ CLAUSII verbis FRANC. PUCCII, quæ habet in *Epiſtola ad* POLITIANUM, illam POLITIANI antecedente, ubi numero plurali uſus, *juvat illa recognoſcere*, inquit, *quæ pridem, cum iſtic eramus, te prælegente didicimus &c.* Dixerat nempe paulo ante de BACCIO, hoc ſe uſum fuiſſe in perluſtrandis POLITIANI *Miſcellaneis* ſocio. Si igitur numero plurali hæc dicas ea de cauſa a PUCCIO prolata, ut conſtare poſſet, utrumque olim POLITIANI fuiſſe diſcipulum, habet omnino, quod in cauſæ ſuæ præſidium capiat, CLAUSIUS. Multum autem vereor, ne alia plane mens ſcribentis fuerit; cum in ſequentibus, eadem uſus ſcribendi ratione, talia omnino memoret, quæ non niſi ad ipſum ſolum pertinere videntur.

(q) Sedit & JO. PICUS aliquando inter auditores POLITIANI; at non diſcipuli tunc, ſed judicis quaſi, perſonam ſuſtinuit. Id enim non niſi honoris cauſa ab eo factum, ipſe agnoſcit POLITIANUS in literis ad PICUM, breviuſculis quidem, ſed venuſtis admodum, & ſale quodam conditis, *Lib. XII. Ep. 3.* En integræ: *Quod honoris mei cauſa tu quoque ſederis inter auditores meos, non habeo gratiam. Nam ſi placui, jam retuli, ſi non placui, non debeo. Vale.*

§. 6.

Quem primum fortunæ ſuæ autorem & conciliatorem, eundem nullo non tempore Politianus dignitatis ſuæ amplificatorem habuit ſtudioſiſſimum, Laurentium. Hic, creſcente in dies & fama Politiani & doctrinæ copia, cum juvenes ex ejus ſchola prodire cerneret omni liberali diſciplina egregie imbutos ac perpolitos, facile intellexit, filiorum ſuorum curam & educationem nemini majori cum

fiducia committi, quam Politiano, poſſe. Additus igitur viro præſtantiſſimo novus eſt honor, & cum publica Florentinæ juventutis privatam Principum Medicæorum (*a*) inſtitutionem conjunctam habuit. Et Petrus quidem, illorum natu maximus, Politiani non inſtitutione tantum, verum & convictu uſus eſt, &, quantus vix eſſe parentis erga filium poteſt, tantum ejus erga ſe amorem fidemque cognovit. (*b*) Alterum filiorum, Joannem, qui, poſtea ad ſacri imperii faſtigium evectus, Leonis X nomen adſcivit, quamvis ſint, qui numero diſcipulorum Politiani exemtum velint; fruſtra tamen hi operam inſumunt, & firmiſſimis ſcriptorum teſtimoniis doceri meliora poſſunt. (*c*) Nec dubito, eundem, qui ceteris, fratrum natu minimo, Juliano, præceptorem ſtudiorumque formatorem contigiſſe. (*d*) Venit etiam in diſciplinæ & inſtitutionis hujus ſocietatem Laurentius Tornabonus, (*e*) illis tam ſanguinis, quam amicitiæ & familiaritatis, vinculo junctus arctiſſime. His generis nobilitate atque avorum gloria illuſtriſſimis adoleſcentibus & morum & ſtudiorum magiſter datus Politianus, munus hoc, ſi non ad ſuam, certe ad Laurentii mortem usque, maxima obiit cum fide ſua & induſtria. (*f*) Neque hic quicquam ab eo moroſe factum, nec acerbe quicquam & cum imperio, ſed ingenue & liberaliter educatam juventutem Medicæam, dubium eſſe nemini poteſt,

qui

qui non ignorat, quam remotum ab omni ſeveritate, quamque compoſitum ad mollem comitatem Politiani fuerit omni tempore ingenium.

(*a*) Principum dico; qua in re ſtandum nobis eſt a partibus BÆLII in *Dict. Hiſt. & Crit. T. III. p. 2342*, objurgati eo nomine *Autoribus Diarii Hiſt. Crit. de la Rep. des lettr. T. III. p. 249*, qui, præter Petrum, natu maximum, filiorum Laurentii negant ullum POLITIANI uſum inſtitutione. In eam ſcilicet ſententiam adduci ſe paſſi ſunt ſolo POLITIANI ſilentio, qui, cum ſæpius in libris ſuis, præſertim in *Epiſtola ad Jac. Antiquarium, Lib. IV. Ep. 2*, (quartam illi per errorem dicunt,) mentionem Petri fecerit, huncque dixerit *diſcipulum ſuum*, de reliquis filiorum Laurentii ne verbum quidem usquam protulit. Parum tamen hæc nervi, parum roboris habent. Quaſi vero ex ſcriptis POLITIANI indubitatum eorum, quæ geſſerit unquam, aut non geſſerit, capere argumentum liceat. Quis credat, eorum, quæ hinc & illinc de rebus ſuis affert in Epiſtolis, eo animo injectam a POLITIANO mentionem eſſe, ut haberent, de quo vitam ipſius contexere poſſent, poſteri? Hoc ſi conſilio ad ſcribendas epiſtolas acceſſiſſe POLITIANUM contendis, ſilentio POLITIANI feliciter, fateor, uti poteris in rem tuam. At vulgo cognita, ut puto, res eſt, Epiſtolarum ſcriptores eorum magis, quæ ante oculos ipſis poſita, quam quæ futura in poſterum ſunt, rationem habere. Forte, ſi tuliſſet occaſio, de Joanne etiam & Juliano, filiis Laurentii, commemoraſſet POLITIANUS. Fati hoc fuit, quod præ aliis in Petri mentionem incidit, qui, cum eſſet natu maximus, jamque omnium in ſe converteret oculos ob ſpem conſequendi olim imperii, uberiorem, quam fratres ejus, POLITIANO ſcribendi materiam præbebat. Tantum ergo abeſt, ut nulla huic rei, ipſius teſtimonio POLITIANI deſtitutæ, habenda ſit fides, ut ſequendam nobis cum PÆLIO communem putemus Hiſtoricorum legem, qua ſcriptores perquirere & explorare æquævos jubemur, tacente eo, ad quem proxime res quæque pertinere videtur. VOLATERRANI quidni veneremur autoritatem, qui, ipſe POLITIANI olim in eliman-

elimando se fidem studiumque expertus, de ceteris ejus discipulis, si quisquam alius, nos edocere potuit certissime. At testem hunc affert BÆLIUS, testem, non vagos sequentem rumusculos, sed qui præsens rebus istis interfuit, & eorum, quæ gesta sunt illo tempore in Italia, nihil non cognitum exploratumque habuit. Clara ejus sunt verba *Lib. XXI. Commentar. Urban. p. m. 246 : A. Politianus Medices juvenes erudiit.* Taceo jam argumenta alia, infra memoranda, quæ luculenter admodum commonstrant, alterum natorum, Joannem, a numero discipulorum POLITIANI excludendum non esse. Itaque nec BÆLIUS, nec, qui nobiscum sentiunt, G. J. VOSSIUS *de Hist. Lat. Cap. 8. p. 628*, LUD. MORERIUS in *Dict. Hist. T. I. p. 367*, JUL. NEGRIUS in *Histor. degli Scrit. Fior. p. 46*, cum multis aliis, justam hac in re animadversionem incurrunt. Aliam autem MORERIO actionem intendimus. In numero Principum Medicæorum nobiscum ille convenit; at de patre eorum aliena plane & manifesto falsa profert. Inverso naturali ordine, filios Cosmi a Laurentio, qui Cosmi nepos fuit, POLITIANI, perhibet, custodiæ ac disciplinæ fuisse concreditos. Quod sane dici non potuit nisi ab homine, aut illustris propaginis Medicææ prorsus ignaro, aut qui rudem admodum ad historiæ cognitionem attulit judicandi facultatem. Id sane omni tempore inauditum fuit, avi liberos a nepote educandos alteri instituendosque dari. Vix ita a lege sua degenerare unquam naturam videas. Patet vero, ex eo natum errorem MORERII, quod omne illud cognationis vinculum, quo juncti inter se Cosmus & Laurentius fuere, quin ipsam principum juvenum stirpem & necessitudines ignoravit prorsus. Re ipsa enim non alios indicari ei juvenes, quam ipsos Laurentii filios, de quibus jam diximus, ex eo apparet, quod mentionem faciat Joannis, postea Leonis X, qui patrem habuit Laurentium, & Cosmi filius inepte dicitur MORERIO. Merito igitur hunc ei errorem exprobrat BÆLIUS *l. c. p. 2344. n. Q*, nec, quo diluere culpam hanc possit, quicquam video, nisi quod præeunte erraverit VOSSIO, magni nominis utique viro, sed cujus tanta haudquaquam est autoritas, ut ab ejus commentis scriptori cauto ac diligenti transversum unguem fas non sit discedere. Verba VOSSII in libro *de Hist. Lat. Cap. 8. p. 628* hæc

sunt:

ſunt: *Inſtituit liberos Coſmi Medicis, eosque inter Joannis Medicis, qui Pontificatum adeptus vocabatur Leo X.* Quæ ſi cum verbis MORERII conferas, nullam in iis diverſitatem animadvertes, niſi quod, novo errore, ipſius Joannis, poſtea Pontificis Maximi, quosdam liberos perhibere videtur POLITIANI diſcipulos. In eo tamen tolerabiliorem dixerim MORERIO, quod de Laurentio nihil prorſus addidit, quo ipſo maximopere errorem hunc deformavit ridendumque nobis propinavit MORERIUS. Miror, de VOSSIO, qui primus errandi anſam dedit MORERIO, & penes quem eo major eſt culpa, quo propius vixit ætati illi, nihil plane dictum BÆLIO *l. c.*

(*b*) De maximo natu fratrum Medicæorum, Petro, POLITIANI diſcipulo, certiſſima in promptu ſunt teſtimonia non JOVII ſolum in *Elog. P.I.p.188*, ſed ipſius etiam POLITIANI paſſim in Epiſtolis. Nunc enim *adoleſcentem ſuum* dicit, ut in *Ep. ad Laurentium, de Ira optimæ ſæpe indolis in pueris argumento*, nunc *diſcipulum ſuum*, ut in eadem *Ep.* & in alia *ad Jo. Picum, Lib. XII. Ep. 7.* Vide etiam LUD. ODAXII *ad* POLITIANUM literas, *Lib. III. Epp. Pol. n.3*, ubi ſimiliter POLITIANI vocatur *diſcipulus.* Nec diſciplina tantum, ſed convictu etiam POLITIANI uſum, diſerte loquitur eadem, quam dixi modo, POLITIANI *ad* JO. PICUM Epiſtola, ubi hæc: *Vicerunt, quos optabam, Petrus Medices, ac Laurentius Tornabonus, noſter uterque non diſcipulus modo, ſed & alumnus.* Aliis etiam in locis blando *alumni ſui* nomine Petrum compellat, ut in *Ep. ad* PUCCIUM, *Jureconſultum, Lib. VII. Ep. 31*, & in alia *ad* FRANCIOTTUM URSINUM, *Lib. X. Ep. 13.* ubi *alumnum & Patronum* ſimul vocat. Conf. *Menagiana T. III. p. m. 560.* Nec minus huc ſpectant ultima POLITIANI verba in Sylva, *Nutricia*, ex quibus ſimul intelligas, quantum gloriatus tam nobili alumno & quam impenſe ſit delectatus:

Quod ni blanda meum lactant præſagia ſenſum,
Ni pietas, ni longus amor, ni vana magiſtro
Aura ſuo nimios jubet indulgere favores,

— — — — — —

Me ſuperet majore gradu longeque relinquat
Protinus, & dulci potius plaudatur alumno,
Bisque mei victore illo celebrentur honores.

Quin

Quin ipſe Laurentius filium Petrum appellaſſe *alumnum* POLITIANI dicitur in Epiſtola hujus *ad Jac. Antiquarium, Lib. IV. Ep. 2.* Nec defuiſſe hic credo officio ſuo POLITIANUM. Certe, quod maxima dignum laude eſt, amore hunc alumnum ſuum vere paterno complexus eſt. Sæpius in ſcriptis ſuis varias ac illuſtres Petri virtutes commemorat, nec ullam ejus facit mentionem, niſi perquam honorificam. Documento eſſe velim vel unam ejus *ad Jac. Antiquarium* Epiſtolam, adductam modo, in qua præſtantiſſimum Petri ingenium copioſiſſimis exornatur laudibus. Rurſus in alia ad JO. PICUM, *Lib. XII. n. 6*, de Petro perquam magnifice POLITIANUS: *Scis autem, quam gratus multitudini ſit, & civibus, Petrus noſter, non minus jam ſua, quam familiæ gloria, ſcilicet in quo patris ingenium, patrui virtus, patrui magni humanitas, avi probitas, proavi prudentia, pietas abavi, reviviſcit, omnium vero majorum ſuorum liberalitas, omniumque animus.* Videas eum cauſam Petri interdum coram Laurentio ingenioſe perorantem, &, quæ culpari in illo poterant, virtutis quodam pallio obtegentem artificioſe. Tale quid præſtitit in *Ep. ad Laurentium, de Ira, optimæ ſæpe indolis in pueris argumento*, libelli inſtar conſcripta. In hac unum id agere videtur, ut iram patris a filio avertat, in quo minus ille probaverat efferveſcentis interdum ſanguinis furorem, & ad iracundiam proclive nimis ingenium. Defendit igitur vitium, ut hominem defenderet, quem gerere in oculis & amare ſolebat impenſiſſime. Neque tamen putandum, eo factum id conſilio a POLITIANO, ut in animo diſcipuli confirmaret feroculam hanc indolem. Etenim, ur ſaniorem Petro mentem inſtillaret, nihil intentatum reliquit, nec in emendando eo quicquam a ſe ſtudii & ſolertiæ deſiderari paſſus eſt. Explorato nempe hominis ingenio, cujus vehementiſſimos impetus tam facile mitigari poſſe Muſarum intellexerat delinimentis, quam excitari hauſto intemperantius Lyæo, ut occulta quadam vi a ferocia ad mollitiem revocaret illud, *domi*, ut refert JOVIUS *l. c. certamen Etruſcorum Poetarum inſtituit, quo non obſcura laus ſumma jucunditate quærebatur, quando alternis dicerent, & ad pares numeros reſponderent, qui extemporaneæ facultatis plauſum a circumfuſa audientium corona petebant.* Quibus cum plerumque audito-

auditorem se daret Petrus, & molli eorum decertatione delectaretur admodum; id tandem futurum POLITIANUS sperabat, ut, omni deposita feritate, mitiorem Petrus leniorémque indolem reciperet.

(c) Hi scilicet illi sunt Diariographi, memorati nobis paullo ante *not.* *(a) huj. §.* qui, nec Joanni, nec Juliano, sed uni Petro, fratrum natu maximo, præceptorem contigisse POLITIANUM, contendunt. Quorum commenta, etsi satis a nobis enervata eodem loco sunt verbis VOLATERRANI, jam tamen, quantum ad alterum fratrum, Joannem, refutare fortius conabimur. Equidem POLITIANI hanc in rem clara adeo verba non habeo, quibus vel ipse Joannis se *præceptorem*, vel hunc *discipulum* suum dixerit; aliqua tamen ex parte facere huc videntur ejus *ad Innocentium VIII, Pontificem maximum*, literæ, *Lib. VIII. n. 5*, quibus gratias privato nomine agit Pontifici pro concessa Joanni suo, admodum juveni, sacra & augusta purpura. Quarum cum omnis ratio ita sit comparata, ut nihil non in iis tenere, nihil non amanter & cum propensissima voluntate scriptum videatur; verbis etiam hinc atque illinc POLITIANUS utitur ejusmodi, quæ ubi recte perpenderis, perquam accommodata dices ad firmandam nostram sententiam. A præceptore, facile credas, provenisse vocem: -- -- *In tanto vel privato meo, vel publico totius civitatis nostræ gaudio, facere non possum, quin tester apud te subitum hoc animi gaudium, profitear lætitiam, gratias agam privato quoque nomine tuæ sanctitati, quod adolescentem nostrum Joannem, Laurentii filium, Florentinæ Reipublicæ delicias, tuorum numero fratrum, summique senatus collegio adoptaveris.* Leguntur hic & alia, unde non obscure cognoscere rem eandem possis. Sed largiamur, nihil nobis testimonii a POLITIANO suppeditari; alios in ejus locum testes substituam, POLITIANI æquales, & rerum Leonis X non omnino ignaros; ERASMUM nempe & JOANNEM REUCHLINUM, quorum uterque tam certo id persuasum sibi habuit, ut coram Leone ipso ejus rei non dubitaverit facere mentionem. Alter in *Ep. ad Leonem X*, quam legas in *Collect. Opp. ejus Lugd. p. 149*, prolixe ad eum: *Nimirum ad optimam indolem optima accessit institutio: & felicissimo ingenii tui solo longe felicissimus obtigit cultor, politissimus ille Politianus: cujus opera non spinosis istis ac rixosis literis, sed veris illis, nec sine*

O *causa*

causa bonis appellatis, & mansuetioribus, ut vocant, Musis es initiatus, quæ ferum etiam ingenium mite placidumque solent efficere. Alter *Libro I. de Arte Cabalistica* Leonem his compellat verbis: -- -- *Hos in heroas, Beatissime Leo, tuus natalis virgula (ut ajunt) divina feliciter cecidit, Diis gratia: certe ut non restaret ullum elegantioro doctrinæ genus, in quo non evaseris peritior, adeo quidem puer amplexus politissimi suavitatem Politiani.* Excerpta hæc ex libro REUCHLINI vid. in JAC. MIDDENDORPII *Lib. IV. Academiarum celebr. T. II. p. 28.* Horum igitur, qui partim ætate proxime POLITIANUM attigerunt, partim, facto in Italiam itinere, facile ad hujus rei pervenire cognitionem potuerunt, testimonia, quis est, qui non existimet, ad confirmanda ea, de quibus sermo nobis est, robur aliquod & momentum habere? Neque adeo erroris arguendos puto, qui discipulum POLITIANI dixerunt Leonem X, EDMUNDUM CAMPIANUM in *Tract. de Imitatione Rhet. p. m. 318. seq.* ubi verba profert: *Secuti sunt Hadrianus Cardinalis -- -- & Leo decimus, Angeli Politiani discipulus, elegantiorum literarum amantissimus, ipse quoque eleganter doctus;* porro GEORG. JOSEPH. EGGS in *Pontificio docto p. 701*, LAURENT. BEYERLINCKIUM in *Theatro vitæ hum. Lib. III. fol. 171*, ONUPHRIUM PANVINIUM in *Vita Leonis X*, ANTON. TEISSIERIUM in *Elog. des hom. sav. T. I. p. 166*, *Autores Diar. Essais de Litter. A. 1702, mens. Nov. p. 292*, PETR. DE S. ROMUALD in *Abregé du III Tome du Tresor Chronol. & Hist. p. 262*, & JO. LOMEIERUM *de Bibliothecis*, quem vid. in *Access. altera Collect. Mader. de Biblioth. p. 152.* Neque tamen solus fuit, cui educationem filii Joannis commendaverat Laurentius, ANGELUS POLITIANUS, sed socium ei in hoc negotio dedisse se, præter alios, (DEMETRIUM CHALCONDYLAM, & PETRUM ÆGINETAM,) BERNARDUM MICHELOTIUM, hominem in literis non leviter versatum, testis est ONUPHRIUS *l. c.*

(*d*) De Juliano, parum miror, scriptis commemoratum nihil POLITIANO, cum minimus natu esset filiorum Laurentii, ac ne tum quidem, cum diem obiret Laurentius, pubertate egressus; uti constat ex literis POLITIANI *ad* JAC. ANTIQUARIUM, *Lib. IV. n. 2*, in quibus cum illud inprimis agat, ut fratrum singulorum virtutes extollat, in Juliano

Juliano adolescentulo, præter pudorem ætatis, formam corporis, erectumque ingenium, nihil habet, quod maximopere commendet. Cave autem, huc trahas verba Laurentii Medicæi quæ legis in *Ep.* ejus *ad* POLITIANUM, *Lib. X. Epp. Pol. n. 5: Gaudeo mirum in modum, Julianum nostrum se totum literis tradidisse, illi gratulor, tibique gratias ago, quod eum ad hæc prosequenda studia excitaveris. Tu vero fac, ut hominem ad literas inflammasti, ita sedulo cures, stimulosque adjicias, ut perseveret.* Hæc enim non de Juliano filio, sed de Juliano fratre, dicta esse Laurentio, patet ex mutuis POLITIANI *ad Laurentium* literis, *Lib. X. n. 6.* Neque, hunc ipsum Julianum POLITIANI fuisse in disciplina, impetrare a me possum, ut credam, cum annis POLITIANUM antecesserit omnino. Rara vero res est, ætate præstare præceptoribus discipulos. Malim credere, POLITIANI, non ut præceptoris, sed ut æmuli & contubernalis, amicis factum adhortationibus, ut majori contentione Julianus literarum studia sectari cœperit. Nec abhorrent ab hac sententia, quæ scripsit POLITIANUS sub finem ejusdem Epistolæ: *Julianus tuus, vere frater, hoc est, ut docti putant, fere alter, ipse sibi in studiis est non modo jam mirificus hortator, sed & præceptor.* De Juliano isto pulchre canit FRANCISCUS OCTAVIUS in *Libello de Cœtu Poetarum, ad Petrum Medicem*, qui legitur in *Carmin. Illust. Poet. Ital. T. VII. p. 12:*

Tu quoque sacrarum studioso pectore, Juliane, Camœnarum numen & antra colis,
Priscorumque legis generosa volumina vatum,
Et quicquid pulchri Musa Latina tulit:
Mitis in omne genus, sociosque æqualis in omnes,
Officio patrium qui bene tendis iter.

Nostrum vero, non dubito, eadem, qua fratres reliqui, sorte usum Julianum, &, quantum per molliculam ætatem licuit, ab ore & disciplina POLITIANI pependisse. Quod si enim iis in rebus, quarum certa definiri ratio non potest ex scriptoribus aliisve historiarum monumentis, nemo est, qui nos prohibeat ingenio & conjecturis indulgere; dissimulare non possum, parum mihi videri verisimile, tertium filiorum a domesticis, quibus fratrum

uterque intererat, scholis exclusum, & præceptores auscultare jussum alienos quoscunque.

(e) Laurentius iste, cognomine Tornabonus, non sanguine tantum conjunctus fratribus Medicæis, sed & Petri inprimis æqualis fuit, amicus item & studiorum comes fidissimus, in quo, si quid valet judicium præceptoris POLITIANI in *Ep. ad* JO. PICUM, *Lib. XII. n.6*, tam insignem humanitatem, morumque suavitatem, quam linguæ Græcæ ac Latinæ Poetarumque veterum cognitionem, Musices peritiam, & equestrem corporis exercitationem admirari fas fuit. Ipsa POLITIANI, quæ maxime huc spectant, verba profero, tanquam Laurentio isti honorificentissima: *Est Laurentius quoque doctus admodum lingua utraque, poetarumque, vel ex tempore. Dat & Musicis operam, vires etiam corporis exercet, omniaque feliciter, uni Petro longe concedens, id quoque feliciter, ut qui plus ei favet etiam, quam sibi. Denique cum recesseris a Petro, nihil apud nos invenies Laurentio placidius, mansuetius, dulcius, nihil etiam blandius, humanius, benignius, postremo nihil modestius, candidius, amabilius.* Quo factum est, ut non ad togam magis, quam ad militarem disciplinam, paratum pectus gereret. Refert iisdem in literis POLITIANUS, in solenni equitum, hastis decertantium, spectaculo utrumque juvenum, Petrum & Laurentium, palmam reliquis præripuisse. Ex qua discipulorum victoria tantum POLITIANUS gaudii & oblectamenti cepit, ut quasi jactabundus ad PICUM scripserit: *Tu tamen a me solos fieri Poetas aut Oratores putas; at ego non minus facio bellatores.* Quasi vero ipse inexpertus miles de arte pugnandi domi sciverit præcepta dare discipulis. Ceterum hic idem est Laurentius, cui amoris & officii ergo POLITIANUS Sylvam suam, cui nomen est *Ambræ*, esse sacram jussit. Nescio, an & idem fuerit, cui Sylvam *Manto* inscriptam videmus. Extat etiam ad eum in *Carminibus* POLITIANI *Elegia*, hunc in fronte titulum gerens: *Ad Laurentium Medicem juniorem Epistola pæne extemporanea;* cujus quanta sit in collaudando Laurentii ingenio vis & verborum exquisitiorum abundantia, testantur illa maxime:

Te tamen absentem mea mens oculique requirunt,
Et desiderio torqueor usque tui.
Nam puerum juvenis (potes hoc meminisse) colebam,

Qui

Qui nunc te juvenem vir quoque factus amo.
Indolis istius jam tum præsagia vidi,
Scilicet & vatem vera monebat avis. &c.
Nam tibi nec gravitas, nec amicæ gratia frontis,
Nec deest proceri verticis altus bonor:
Ingeniumque capax, & par civilibus actis,
Quæque animi largas lingua ministret opes.
Judice cum facias & Apolline carmina primus,
Prima favore tamen nostra Thalia tuo est. &c.

POLITIANI vero discipulum omnino fuisse hunc Laurentium, luculenter apparet tam ex illis ad PICUM, quam ex aliis ad ipsum Laurentium Dedicationis instar datis POLITIANI literis, *Lib. X. n. 11*, in quibus modo *discipulum* ipsius, modo *consectaneum* dici videas Laurentium.

(*f*) Ad mortem usque Laurentii, quæ in annum 1492 incidit, hoc præceptoris munere functum POLITIANUM, certo satis ex eo constat, quod ipse Laurentius moriens filium natu primum, Petrum, *alumnum* ejus nominat, h. e. discipulum; id quod docent POLITIANI *ad* JAC. ANTIQUARIUM literæ, *Lib. IV. n. 2.* At cum, extincto patre, in imperium Petrus successerit, summamque rerum administrandam susceperit; veri admodum simile videtur, POLITIANI tunc exiisse eum disciplina, & suo vivere cœpisse arbitrio. Num vero idem factum sit a fratrum reliquis, Joanne & Juliano, (si hujus quidem unquam præceptor fuit POLITIANUS,) an scholas POLITIANI porro frequentaverint discipuli, ne conjectura quidem assequor. Certe, non diu adeo hoc licuisse ipsis magistro uti, ex eo apparet, quod binos vix annos Laurentio suo superstes POLITIANUS fuit.

§. 7.

His Medicææ domus beneficiis alia eodem tempore accesserunt munera, splendida satis, & ad virtutem Politiani egregie accommodata. Ut taceam enim, id quod horum forte levissimum videri potest, a Florentina republica peregrinum ipsum in civitatem humanissime receptum, & omnibus illius juri-

bus donatum liberalissime (*a*); maxime inprimis fortunam & dignitatem ejus illud extulit, quod rerum sacrarum in æde, D. Paulo dedicata, concreditam sibi curam habuit, (*b*) & gravissima primum Prioris, ut vocant, secularis, (*c*) postea Canonici (*d*) ibidem munia obiit. Ante vero, quam Canonicorum adjungeretur Collegio, de impetrandis, ne quid externi splendoris deesset sibi, receptæve inter sacri ordinis viros consuetudinis videretur negligentior, Doctoris Decretorum honoribus juribusque laboravit. (*e*) Tam prospera & auspicata omnia primo fere annorum flore expertus, ad altiora forte adscendisset Noster, si longioris vitæ usum indulsissent fata homini in medio gloriæ & fortunæ cursu constituto. Et sane adspirasse ipse ad eminentiorem, si non Purpurati aut Episcopi, certe ad aliam quamcunque dignitatem, videtur, (*f*) fretus gratia & voluntate summi Pontificis, Innocentii VIII, cui, tam proprio merito, quam efficaci aliorum suffragio, mirum in modum res suas commendatas intellexerat. (*g*)

(*a*) Jus Civitatis Florentinæ etsi parum ad splendorem & dignitatem POLITIANI conferre potuit, propterea quod majoris commodi res sit, quam honoris; tanti tamen POLITIANO id fuit æstimatum, ut, civitati aliquid redditurus munusculi, antiquæ urbis Florentiæ origines & autores, illustriores longe, quam a scriptoribus Florentinis proditi fuerant antehac, ex antiquitatis eruerit monumentis, resque ejus vetustissimas doctis *ad Petrum Medicem*, suum olim discipulum, tum vero Florentinæ reipu-

reipublicæ moderatorem, literis complexus ſit, *Lib. I. n. 2.* Teſtimonium nobis vel ultima illarum verba præbeant : *Ego certe nihil hoc majus homo, ſtudiis deditus literarum, præſtare vobis potui, qui me in civitatem adſciveritis, quam ut labore induſtriaque mea parentes aliquando veſtros, tam multis adhuc ſeculis ignoratos, celebres illuſtresque viros agnoſceretis.* Nolim autem, ex verbis iſtis ſuſpicetur quisquam, a Petro demum id datum beneficii POLITIANO. Nec enim id verba indicant; nec Laurentium putarim id, quod primum fere ac leviſſimum videri poterat, negaturum fuiſſe POLITIANO, quem aliis jam, iisque ſplendidioribus longe, muneribus ornaverat. Neque tamen aſſenſum meretur, qui ad Petrum illum, Laurentii patrem, id refert, JULIUS NEGRIUS in *Iſtor. degli Scrit. Fior. p. 46.* Fallitur in eo, quod literas illas, quæ ſcriptæ ſunt ad Petrum, Laurentii filium, datas ad ejus potius avum exiſtimet, nomine eodem præditum, quemque poſt Coſmum patrem conſtat principem in urbe locum tenuiſſe. Vix enim id ſibi perſuadeat, quisquis vel fugitivo oculo prima Epiſtolæ verba inſpexerit.

(*b*) Mirari poſſis, hominem, ab ineunte ætate elegantiorum literarum unice innutritum deliciis, & in ſacrarum literarum cognitione nihil aut parum certe, quantum conſtat, verſatum, ingenioque magis ad rem publicam, quam ad eccleſiam, compoſitum, ad ſacra tam ſubito negotia animum appuliſſe, & rerum divinarum curam ſuſcepiſſe. Sed factum id utique, & Sacerdotis in æde, quæ D. Paulo ſacra habetur Florentiæ, officio functum POLITIANUM, vix eſt ſcriptorum ullus, qui non referat. Ex innumeris potiſſimi ſunt G. J. VOSSIUS *de Hiſt. Lat. Lib. III. p. 628*, & *de Poet. Lat. Lib. III. Cap. 7. p. 80*, THOM. DEMPSTERUS *de Etrur. Reg. T. II. Lib. VI. Cap. 10. p. 405*, PETR. BÆLIUS in *Dict. Hiſt. & Crit. T. III. p. 2342*, & JUL. NEGRIUS *l. c. p. 46.* Nec deneganda illis fides eſt, cum egregie res iſta confirmetur Epigrammate quodam POLITIANI, quod, ſicut ex inſcriptione patet, dicatum fuit *Laurentio pro Sacerdotio accepto in templo D. Pauli, cum adhuc ſub judice lis eſſet.* Lis illa, de qua mentionem hic facit, num ad ipſam Sacerdotis, an ad Prioris, vel Canonici, dignitatem ſpectet, non eſt ingenii mei certo definire. Ad Sacerdotium tamen ſi referas, adverſari videntur

dentur prima, quæ carmini inſcripta ſunt, verba, ex quibus cum perſpicue cognoſci poſſit, ſusceptum jam tum POLITIANO fuiſſe Sacerdotium, non eſt, cur, litem amplius de eo motam POLITIANO, exiſtimes. At ex iis, quæ ſub finem canit Epigrammatis,

Gratamur, Paulum quod habes, vox omnibus hæc eſt,
Non habeo Paulum, dico, quid ergo? nihil.

haud obſcure colligo, exile admodum & lauti parum proventus fuiſſe Sacerdotium illud; ut facile credi poſſit, de pinguiori, aut Prioris, aut Canonici, munere impetrando jam tum ſolicite laboraſſe POLITIANUM. Quod, cum ipſi Sacerdotio non fuerit adjunctum ſtatim, POLITIANO dicitur a judicis pendere arbitrio. Neſcio autem, quid STEPHANUM DE LA MONNOYE in *Notis ad Ægid. Menagii Anti-Baillet P. III. p. 167. n. 2*, induxerit, ut MENAGIUM, qui Sacerdotem dixerat POLITIANUM cum ceteris ſcriptoribus, eo nomine reprehenderet. Etſi enim, quæ teſtimonii loco protulit MENAGIUS, ad Canonici potius, quam Sacerdotis, officium ſpectare videntur; res ipſa tamen, quæ aliunde firmum ſatis veritatis robur habet, ideo in dubium vocanda non erat. Jure vero in MENAGIO illud carpit, quod, vocabulum Sacerdotis Gallice redditurus, minus concinna voce *Eccleſiaſte* uſus ſit. Merito enim, ſi hunc voci ſignificatum vindices, ad Barbaros te condemnabunt linguæ Gallicæ peritiores. Natum vero id monſtrum vocis, ut putat DE LA MONNOYE, MENAGIO ex eo eſt, quod ad marginem Epiſtolæ POLITIANI *ad* JO. GOTTIUM, *Lib. IV. n. 10. Edit. Gryphianæ*, (ejus nempe, quæ prodiit anno 1539; in illa enim, quæ vulgata eſt anno 1528, fruſtra id quæras,) notulæ inſtar adſcriptum ſit: *Politianus Eccleſiaſtes;* quæ ipſa Latina vox Sacerdotis officio non magis convenit, quam Gallica *Eccleſiaſte.* Elegantius autem a LUD. MORERIO in *Grand Diction. T. I. p. 367* vocem *Eccleſiaſtique* uſurpatam videas. Ceterum id ægre fero, parum accurate ſcriptorum quamplurimis id Sacerdotii munus ab ipſa Canonici dignitate diſtingui. Ita verſari in argumenti hujus commemoratione plerosque cognovi, ut munus utrumque, & Sacerdotii, & Canonicatus, ipſis ſit unum idemque prorſus. Documento eſſe poſſunt, quæ dicta ſunt ea de re *Autoribus Diar.*

Hiſt.

Hist. Crit. de la Rep. des let. T. III. p. 250, & ÆGID. MENAGIO *l. c.* qui, ut probaret, Sacerdotio functum POLITIANUM, argumento usus tali est, quo Canonici potius probari dignitas debebat. Cognoscendæ enim munerum istorum diversitati sufficere vel id unum potest, quod ad illud Laurentii, ad hoc vero Petri demum beneficio pervenit Noster. Alterum, paullo post efficiam, ut appareat manifestius, alterum ex illo, de quo modo dixi, POLITIANI Epigrammate abunde constat. Pro Sacerdotio accepto gratias in illo agit Laurentio. Unde non accurate satis MORERIUS *l. c. p. 367*: *Laurent de Medicis attiroit tous les grands hommes de son tems à Florence. Il y arreta Ange Politien, qui etoit deja Prêtre* &c. Quis non hæc ita intelligat, ac si jam ante Laurentii tempora sacris ecclesiæ initiatus fuerit POLITIANUS? Quæ si re vera sedit scriptori sententia, vereor, ne rem perhibere videatur admodum ridiculam. Conf. BÆLIUS *l. c. p. 2344. n.* (*Q*).

(c) Nova afferre putabor iis, qui nulli fere scriptorum, nec MOLLERO, nec CLAUSIO, nec ipsi, qui ea diligenter animadvertere solet singula, BÆLIO id memoratum invenerunt. Unus HENRICUS BRENCMANNUS, in eo ceteris felicior, quod, facto per Italiam itinere, ipsa potuit Italorum scrinia arculasque pervestigare, binis id verbis tetigit in *Historia Pandect. Lib. IV. Cap. 1. p. 310.* Fortasse eodem ille, quo ego, exploratum id cognitumque argumento habuit. Nimirum posita hæc extra omnem facile credet dubitationem, qui verba leget, quæ scripta exstant sub initium Diplomatis, supra §. *I. not.* (*uu*) adducti, quo Doctoris honores in POLITIANUM sunt collati. Illa, cum hujus maxime sint loci, denuo hic proferam Lectorum gratia: *Cum igitur Vir doctissimus, insignis D. Angelus, fil. egregii Doctoris D. Benedicti de Ambroginis, de Monte Politiano, Prior Secularis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Pauli Florentini* &c. Quandoquidem vero ex subscriptione hujus Diplomatis apparet, confectum jam anno 1485 fuisse, dignitate hac POLITIANUM, necesse est, ornatum fuisse mature admodum. Unde conjicere licet, additam ipsi statim fuisse Sacerdotio; id quod supra jam dixi *§. I. not.* (*xx.*) Hoc enim & mori, penes Pontificios recepto, satis, ut opinor, convenit, & ex eo quodammodo colligitur, quod in eodem omnino templo, in quo sacra administrata a PO-

LITIANO diximus, ipſa Prioris munia obierit, ſicut manifeſte docent verba Diplomatis. Et, ſi ad Epigramma illud POLITIANI, cujus facta paullo ante eſt mentio, reſpiciamus, quamvis litem hic memoratam ad Canonici honores referri poſſe ſupra indicaverim, parum tamen abnuerim, ſi vel ad ipſam Prioris dignitatem ſpectare eam dixeris. Hoc ipſo enim illud certe efficeres, ut, eodem prorſus, quo Sacerdotium petierat, tempore Prioris munus affectatum a POLITIANO, conſtare poſſit. Sed cavendum nobis cernimus, ne in re tam parvi momenti ſimus curioſi nimis & verborum nimis prodigi. Parum enim refert, an eodem tempore impetratum POLITIANO utrumque munus, an ad Prioris dignitatem paullo tardius evectum credas. Illud vero monendum adhuc reſtat, non legibus monaſticis, nec Ordinis cujusdam ſacri regulis adſtrictum, id muneris adminiſtraſſe, ſed ex eorum numero fuiſſe POLITIANUM, qui ſine ullis religionis vinculis, liberiore animo, admitti ad ſacra ſolent. Id enim *Prioris Secularis* vocabulum in Diplomate illo luculenter ſatis indicat. Cujus generis Sacerdotes a Regularibus in eo diſcrepare, notum eſt, quod arctiore hos diſciplina deceat moribusque vivere ad integritatem ſanctitatemque vitæ magis compoſitis.

(*d*) Præcipui, quorum teſtimonio iſti POLITIANO additi honores firmantur, ſcriptores ſunt G. J. VOSSIUS *de Hiſt. Lat. Lib. III. Cap. 8. p. 628, & de Poet. Lat. Lib. III. C. 7. p. 80*, PHIL. MELANCHTHON in *Explicat. in Evang. Dominic. P. II. p. 553*, THOM. DEMPSTERUS *de Etruria Reg. T. II. Lib. VI. Cap. 10. p. 405*, PETR. BÆLIUS in *Dict. Hiſt. & Crit. T. III. p. 2342*, LUD. MORERIUS in *Grand Dict. Hiſt. T. I. p. m. 367*, JUL. NEGRIUS in *Scrit. Fior. p. 46*, HENR. BRENCMANNUS in *Hiſt. Pandect. L. IV. C. 1. p. 310*, aliique. Muneris hujus amplitudinem & ſplendorem facile concipere animo poterit, quisquis ditiſſimos Eccleſiarum Pontificiarum reditus uberrimosque omnium rerum proventus non ignorat. Canonicos enim ſtipendio fructuum Eccleſiæ ſuæ mereri, ſatis inter omnes conſtat. Nec minus cognitum vulgo eſt, Canonicorum in eo partes verſari, ut certis diei noctisque horis Pſalmos Davidicos precesve ſacras in æde, cui ſunt præfecti, cantando recitent, & ipſis Quadrageſimæ diebus ſacras populo literas alternis vicibus prælegant. Horum, ut appareat, nihil a POLITIANO intermiſ-

termiſſum, in medium proferam duplex ipſius teſtimonium. Alterum habes in *Miſcellaneor. Cap. 14: Ne jam inſultare Judæus, aut objicere poſſit, ea* (Pſalmos nempe) *nos in templo ſingulis canere horis, quæ ne ipſi quidem ſatis verſa fideliter exiſtimemus* &c. alterum in literis ad JO. GOITIUM *Raguſinum, Lib. IV. Ep. 10: Cum per hos Quadrageſimæ proximos dies enarrandis populo ſacris literis eſſem occupatus, perlegi tamen libros carminum tuorum,* &c. Cum vero Canonicorum non eadem ſit omnium ratio, ſed a Regularibus Seculares vox vulgi diſtinguat; ſcire expediret, cujus generis Canonicis annumerandus ſit POLITIANUS. Id vero literis proditum penes ſcriptores non inveni. Vix tamen, religioſiorem tunc factum, cum ad Canonici honores adſcenderet, putarim, quam fuerat olim, ædis D. Pauli Prior ſalutatus. At, Priorem fuiſſe Secularem, paullo ante diximus fide Diplomatis, dati POLITIANO eo tempore, quo eximia Doctoris jura impetraverat pro merito. Neque dubium eſt, eodem in templo, in quo functus olim Sacerdotio & Prioratu fuerat, Canonici poſtea obiiſſe munia POLITIANUM. Sacrum id D. Paulo fuit, eidemque univerſum Canonicorum Florentinæ urbis ordinem adſtringi, referunt Florentinarum rerum peritiores. Unde in Diplomate, modo memorato, *Eccleſia Collegiata*, a NEGRIO vero & BRENCMANNO *l. c. cathedralis Eccleſia*, quin & *Metropolitana* a DEMPSTERO *l. c.* dicitur. Muneri iſti haud ſupereſſe diu licuit POLITIANO; ſed, elapſis illo ex tempore annis duobus, e vita migravit. Etenim anno demum 1492 additus iſte POLITIANO honor eſt, teſtante id STROZZIO in *Catalogo MSpto Canonicorum Florent.* cujus mentionem facit JO. MARIA CRESCIMBENIUS in *Commentar. intorno alla ſua Iſtor. della Volg. Poeſ. Vol. I. p. 395.* Neque fidem negandam temere crediderim STROZZIO, cum ex ipſius POLITIANI teſtimonio manifeſtum ſit, impetratos ei fuiſſe Canonici honores Petri demum, quem conſtat anno 1492, poſt mortem nempe Laurentii, ſumma rerum potitum, beneficio. Spectant huc verba ejus in *Epiſt. ad Petrum Medicem*, *Lib. X. n. 12*, qua gratias agit Petro, quod effecerit autoritate ſua, ut in Canonicorum Collegium cooptaretur MATTHÆUS FRANCUS, multis ſibi nominibus commendatiſſimus. *Itaque bis me*

me esse, inquit, *Canonicum*, *puto*, *abs te factum*, *quando illum quoque nunc*, *id est*, *alterum me*, *nostro coetui aggregasti. Non enim minus in eo mihi*, *quam in me ipso videor honestatus*. At, bis Canonicum factum se a Petro, dicere vix poterat, nisi suos ipse honores re vera ei tulisset acceptos. Quæ si reputasset secum, vix, ut puto, in illum MORERIUS delapsus errorem fuisset, ut ad autorem Laurentium referret id beneficii, in POLITIANUM collatum, in *Dict. I. Hist. T. I. p. 367*. In eadem, ut supra dixi *§. I. not.* (*xx*), sententia versatur vir doctissimus, W. J. CLAUSIUS, in *Vita Politiani Cap. 8. p. 22*, &, ut aliquam errori speciem affingeret, in *not.* (*p*) *l. c.* ad Epigramma illud POLITIANI, de quo supra *not.* (*b*) *huj. §.* dictum est, ceu testem firmissimum, tuto nimis & inconsulte provocat. Sed frustra hic vir bonus testimonium profert ejusmodi, ex quo unice apparet, susceptum POLITIANO in templo D. Pauli fuisse Sacerdotium, de Canonici honoribus prorsus nihil constat. Quidni potius hoc argumento usus est scriptor diligens & accuratus ad probandum munus Sacerdotii, quo scilicet eodem in loco initiatum refert ANGELUM? Sane, huc illud valere maxime, ipse, si veritatem amat, agnoscet mecum. Docere autem ipsa eum Epigrammatis poterat inscriptio, non nisi de Sacerdotio sermonem hic esse Poetæ nostro. Certe, cum splendidissima fuerit dignitas Canonici, haud quidem credo, silentio hanc dissimulaturum in titulo Epigrammatis fuisse POLITIANUM, si eodem, quo ipsum Sacerdotium, eam tempore obtinuisset.

(*e*) Testem hujus rei scriptorem habeo ne unum quidem. Quocunque te vertas, frustra laborabis. Adeo commune omnium est silentium de re, quæ non nullius prorsus videtur momenti esse. Prædicari igitur satis nequit industria Abbatis SALVINII, qui, pro singulari studio, quo versatus est in illustrandis rebus patriis, curiosius conquisitis iis, quæ ad fata & res gestas Canonicorum urbis Florentinæ pertinent, ex tabulario civitatis Florentinæ protraxit Diploma publicum, POLITIANO, summos Doctoris Juris Canonici honores capessenti, ab Archiepiscopo Florentino, ritu solenni, oblatum, ejusque particulam, interprete CRESCIMBENIO, cum eruditis communicavit. Cujus cum integra verba eodem, quo a CRESCIMBENIO exhibentur, ordine

ordine prolata a nobis jam ſupra ſint *§. I. not.* (*uu*), ubi ad declarandum POLITIANI nomen gentilitium utebamur illis; nolo, repetendo hic et recoquendo eadem, nauſeam creare Lectoribus. Si quis autem homo incredulus fidei forſan hic fuerit difficilioris, &, Diploma illud ſpectare ad quemcunque alium, quam ad noſtrum, POLITIANUM, ſuſpicetur; abunde illi a nobis ſatisfactum eſt ſupra *l. c. not.* (*xx.*) Illud hic addo, quicquid demum ſubnaſci nobis poſſit dubii, infringi id omne opinione & autoritate SALVINII, quem conſtat in rebus ejusmodi tam verſari ſolitum diligenter, tamque circumſpecte, ut, quæ ad alium quemcunque POLITIANUM pertinere intellexerat, non ea fuiſſe videatur eo in loco, ubi de ANGELO noſtro dicendum erat, temere evulgaturus. In ſolennitates & ritus, quibus iſti in POLITIANUM honores collati ſunt, inquirere, neceſſe non eſt. Non alios fuiſſe puto, quam qui vel ante vel poſt ætatem illam celebrati fuere frequentiſſime. Eandem etiam Diplomatis hujus fuiſſe formulam, exiſtimo, quæ fuit ſimilium aliorum. Perquirat, ſi quem ejus rei cura teneat, leges & ſancita, quibus civitas regitur Florentina. Tantum ex iis, quas nos adduximus, Diplomatis laciniis cognoſcitur, præſentatum, ut vulgo dicitur, prius fuiſſe Eccleſiæ Florentinæ Archiepiſcopo, RAINALDO DE URSINIS, quam ipſa Doctoris jura & inſignia impetraret. Quæ ſolennitas ſi cum noſtro Præſentationis ritu convenit, examini prius admiſſum POLITIANUM, & de Juris Canonici doctrinis potioribus fuiſſe, oportet, interrogatum. Quod ſi autem quæras, qua cauſa adductus, ad ſacros POLITIANUS adſpiraverit honores iſtos; hanc, ſcias, mihi videri veriſimillimam, quod reliqua, quibus fungebatur, munera Eccleſiaſtica, Sacerdotii nempe & Prioratus, addita Doctoris dignitate, fore crederet ſplendidiora. Alioqui mirarer, ejusmodi honores a POLITIANO expetitos, ad quos ſtudiorum ejus ratio neutiquam videbatur eum invitare.

(*f*) In hanc nos conjecturam ipſe adducit POLITIANUS verbis quæ profert *in Epiſt. ad* FRANC. PICCOLOMINEUM, *Cardinalem Senenſem, Lib. VIII. Ep. 9: Te vero obſecro, ut, ſi quando apud ejus* (Innocentii VIII) *ſanctitatem noſtri inciderit mentio*, (*inciderit autem, quoties tu voles,*) *hiſce me, ſi videtur, commendes verbis: Angelus hic Politianus neque malus homo eſt, neque plane indoctus; Tibi vero, Sancte Pater, ita ſtudet, ut non ſit fortaſſe indignus,*

dignus, quem Tu aliquando respicias. Hoc satis est ipsi, cetera mando Deo. Simili fere precum genere fatigati ab eo sunt ASCANIUS SFORTIA, Vicecomes & Cardinalis, & quidam Episcopus Silvensis, diversis singuli epistolis, *Lib. VIII. Epp. ejus* obviis. Quæ cum anno jam 1485 scriptæ sint, ut ex subscriptione manifestum est; patet inde, altiores jam tum POLITIANO honores affectatos, cum Canonicorum nondum esset ordini adscriptus. Quæ res occasionem dare suspicandi potest, hanc ipsam, quam tanto studio quæsiverat, & eminentissimorum virorum conciliatu impetraturum se speraverat, non aliam fuisse, quam, quæ postea in eum collata est, Canonici dignitatem. Id vero difficile sibi persuadeat, qui consideret, ad impetrandum Canonici decus non tam suprema Pontificis, quam Florentini principis, Petri Medicæi, opus fuisse autoritate. Facta enim jam in *not.* (*d*) *huj.* §. mentio est Epistolæ, qua non se ipsum modo POLITIANUS evectum a Petro in hunc dignitatis gradum profitetur, sed pro adscito etiam in Canonicorum collegium MATTHÆO FRANCO gratias autori Petro persolvit. Quod certe facere non potuisset, nisi Petri fuisset in dispensando hoc munere potestas maxima. Ex quo facile intelligi potest, etsi forte electis jam & constitutis a Petro Canonicis, ut suscipere ipsam hujus muneris administrationem potuerint, opus fuerit suffragio & autoritate Pontificis, ad illam tamen consequendam tot Episcoporum & Purpuratorum intercessoribus utendum POLITIANO non fuisse. Horum enim, quos muneri gerundo aptos & idoneos judicaverat, ipse Petrus coram Pontifice dicturus causam videbatur. Quicquid autem fuerit, cujus consequendi ergo tot Pontificis amicos solicitavit POLITIANUS, etsi pedum statim aut purpuram (id quod perhiberi video CLAUSIO *l. c. Cap. 8. p. 22,*) expetitam ei, homini nec splendidis admodum natalibus orto, nec in sacris versato diu, subdubitem, faciles tamen aures præbebo, si quid huic vicinum a POLITIANO efflagitatum, ut, per gradus eundo, ad eminentiores tandem adscendere honores posset vir ambitiosior, existimes. Etenim cum homines amicos sibi maximeque familiares, HERMOLAUM BARBARUM, HIERONYMUM BALBANUM, & JO. PETRUM ARRIVABENUM, summis

mis cerneret ornatos a Pontifice muneribus, ſacrisque præfectos officiis; æmulam id ejus acuiſſe virtutem videtur, & ad æquale enitendi faſtigium in eo excitaſſe ſtudium. Confer omnino *Epiſt. ejus ad* JO. PETR. ARRIVABENUM, *Lib. VIII. Ep. 14.*

(g) Res POLITIANI INNOCENTIO VIII fuiſſe commendatiſſimas, tam ex teſtimonio JUL. CÆS. CAPACII in *Elog. p. 352*, quam ex ipſis INNOCENTII *ad* POLITIANUM literis apparet, *Lib. VIII. Epp. Pol. n. 2*, in quibus dictionis genus animadverto tale prorſus, quale eſſe in literis parentum forte aut amicorum ſolet. Haud vulgarem profecto amorem prodit, qua blanditur POLITIANO Pontifex, *dilecti filii* appellatio, quæ tantum alioqui momenti habet, ut Regibus vel potentiſſimis tribui a Pontifice, & ab his in magno haberi pretio, conſueverit. Luculenter id cognoſces, inſpectis ejusdem INNOCENTII *ad* LAURENTIUM MEDICEM literis, illas *ad* POLITIANUM ſtatim ſubſequentibus, quæ non aliam, niſi quæ illis ad POLITIANUM literis inſcripta eſt, in fronte gerunt appellationem LAURENTII. Mirum id videtur *Autoribus Diar. Hiſt. Crit. de la Rep. des let. T. III. p. 253.* Inſigne porro gratiæ & amoris erga POLITIANUM documentum illud eſt, quod iisdem *ad* POLIT. & *ad* LAURENT. epiſtolis ducentos ei aureos dono mittit pro dedicata ſibi HERODIANI verſione, a Joanne Tornabono exſolvendos. Non leve id munus putabit, qui novit, omnem plerumque Pontificum munificentiam in ſacris verborum votorumque largitionibus conſiſtere. Certe, acceptis aureis, effusiſſime lætatus POLITIANUS, devotis literis, *Lib. VIII. n. 4*, gratias egit INNOCENTIO, & ad maxima quæque nomini ejus conſecranda animo jam concitatum ſe profeſſus eſt. Tam bonum autem & liberalem ut erga POLITIANUM ſe gereret Pontifex, effecit, ut puto, non minus virtus & doctrina POLITIANI, quam frequentiſſimæ optimorum virorum commendationes, & arctiſſimum cumprimis affinitatis vinculum, quod privatim cum LAURENTIO contraxiſſe INNOCENTIUS dicitur in literis POLITIANI *ad* INNOCENTIUM, *Lib. VIII. Ep. 1.* Primum certe aditum ad gratiam Pontificis paraſſe ſibi videtur eo tempore, quo Romam abierat in comitatu Florentinæ legationis ad ſalutandum Pontificem, in id honoris faſtigium nuper admodum evectum, quod ipſe *l. c.* memorat. Quo etiam tempore factum puto, ut ſanctiſſi-

ctiſſi-

ctissimos Pontificis pedes osculandi ac venerandi facultatem impetraret, cujus rei mentionem facit in aliis *ad* INNOCENTIUM literis, *Lib. VIII. n. 5.* Etenim, familiarius egisse tunc cum eo Pontificem, nec vulgarem de doctrina ejus opinionem concepisse, inde judicari potest, quod præsenti curam vertendi alicujus Scriptoris Græci, a quo Romanorum Principum res gestæ sint expositæ, delegaverit verbis humanissimis. Quo facto cum occasionem nancisceretur POLITIANUS bene merendi de rebus Pontificis, ad vertendas HERODIANI historias magno animo conversus est, & absolutas intra trium annorum spatium obtulit Pontifici. Legi ea de re meretur Epistola POLITIANI *ad* INNOCENTIUM, *Lib. VIII. n. 1*, qua verbis hæc, quæ diximus, enarrantur copiosioribus.

§. 8.

Ne quicquam transiisse videamur silentio, unde de insigni nominis gloria & existimatione, qua Politianus apud suos inclaruit, existimari possit, nostrum est, quæcunque huc videntur pertinere, paucis dicendo absolvere. Sunt autem horum quamplurima, quorum nihil immerenti obtigit, singula doctrinæ ejus data sunt nobilissimisque literarum studiis. Et ad ejus quidem eloquentiam maximamque in dicendo vim ac facundiam refero, quod missis Romam, qui supremum in ecclesia imperium Innocentio VIII nomine civitatis Florentinæ gratularentur, Oratoribus ipse socius accitus, præsentis venerandi Pontificis nactus est copiam. (*a*) Nec inanis profecto gloria fuit, quam attulere ei tot summorum Principum, (*b*) Purpuratorum, (*c*) quin Regum (*d*) etiam, exaratæ ad eum & exquisitis præstantissimæ ejus indolis laudibus refertæ Epistolæ. Laurentio, Medicæo Principi, dum

dum viveret, non aliter fuit habitus, ac si genere æqualis ei & familiaritate esset junctissimus. (*e*) Quo factum est, ut, quicunque innotescere Laurentio ac commendari cuperet, præ aliis Politiano uteretur interprete. (*f*) Et, si homini in literis liberalibusque studiis versanti nihil esse gloriosius potest, quam ab universo doctorum ac sui similium virorum grege laudibus ornatum se videre præclarissimis, quis eruditorum ex omni ætate insigni hac prærogativa præferendus sit Politiano, ego quidem non video. (*g*) Fuit enim Politianus commune eruditorum in Italia quasi oraculum, tantaque penes omnes autoritate inclaruit, ut res dubias & explicatu difficiliores ei, tanquam eruditionis viro consummatissimæ, sponte permitterent dijudicandas, (*h*) &, quos exire in lucem jusserant, ingenii sui labores qualescunque certatim inscriptos ei consecratosque cuperent. (*i*)

(*a*) Breviter hanc rem tetigi in *not.* (*g*) §. *antec.* hic autem, ut de rei veritate certius constet, ipsa proferam POLITIANI verba, quæ ad confirmandum id habere videntur ponderis & momenti multum. Sunt vero hæc in *Ep. ad* INNOCENTIUM *VIII, Pont. Max. Lib. VIII. n. 1: Cum Romæ abhinc triennium ferme in comitatu essem Florentinæ legationis, quæ tibi, sancte Pater, Innocenti Pontifex maxime, ad supremæ istius dignitatis fastigium nuper evecto, gratulatum advenerat* &c. Hæ vero literæ cum scriptæ sint anno 1487, uti colligo ex subscriptione sequentis Epistolæ, qua POLITIANO respondit INNOCENTIUS; legationis hujus annum, necesse est, fuisse 1485, quo ipso constat INNOCENTIO sacri imperii habenas fuisse traditas. Quo tempore cum vix prælapsus annus esset, ex quo docendi literas provinciam in Academia Florentina susceperat POLITIANUS; primum eloquen-

tiæ & ingenii sui in legatione ista dedisse specimen, & sui videtur fecisse periculum. Nec dubium est, ob singularem cumprimis, qua pollebat, facundiam, POLITIANO has Legati vices a Florentinis civibus fuisse demandatas. Miror autem, Orationi, coram Pontifice tunc temporis recitatæ, locum non datum in ejus Operibus, junctim editis, cum additæ illis sint similis argumenti aliæ, quales sunt, quas inscriptas legimus *pro Oratoribus Senensium ad Alexandrum VI, Pontificem, pro Oratoribus Florentinorum ad Alphonsum, Siciliæ Regem*, & *pro Prætore Florentino ad Dominos summum magistratum ineuntes;* quas ipsas tamen, prout ego quidem suspicor, non recitavit, sed saltem composuit, POLITIANUS, recitandasque dein iis tradidit, quos Oratores nominaverat Florentina civitas. Sane de ea, quæ *pro Oratoribus Senensium ad Alexandrum VI, Pontificem*, scripta est, nullum, si PETRO CRINITO fidem habeas, esse dubium potest. Verbis id scriptor ille manifestis admodum testatur, atque mentionem facit BARTHOLOMÆI SOTHINI, Juris tam Civilis, quam Pontificii, peritissimi, cui recitanda contigerat hæc POLITIANI Oratio, successu quamvis parum prospero, nec conjuncto satis cum Oratoris gloria. Ipse hæc Lectorem CRINITUS doceat, qui *Lib. V. de Honesta Disciplina. Cap. 3. p. m. 81.* hunc in modum scribit: *Hoc & ætate nostra aliquando accidit: nam viri aliquot, & doctrina, & rebus gerendis prudentia non vulgari, inter orandum exciderunt: sicuti ex populo Senensi Bartholomæus nuper Sothinus, juris cum Civilis, tum Pontificii, consultissimus, qui Alexandro, Pontifici Maximo, suæ civitatis nomine gratulaturus, in media prope oratione excidit, quam ipsi Angelus Politianus dictaverat.*

(*b*) Musas POLITIANI quanti fecerint viri in eminentiori dignitate constituti quique, loquuntur tot non ex Italia modo, sed ex omni fere Europa, scriptæ ad POLITIANUM multorum Epistolæ. Quæ cum paucis eruditorum vel nostra vel superiori ætate contigerit felicitas, ad amplificandam POLITIANI famam multum omnino momenti habet. Unde & in extollenda hac POLITIANI prærogativa verbosiores videas *Autores Diar. Hist. Crit. de la Rep. des let. T. III. p. 253.* Nolo autem hic, quod longum nimis foret, illos commemorare singulos, quorum literæ POLITIANO attulere decus quoddam; quales forte

forte sunt MACARII MUTII, Equitis Camertis, *Lib. VII. Epp. Pol. n. 1*, & binæ LUCII PHOSPHORI, Pontificis Signini, *Lib. III. Epp. Pol. n. 12 & 14.* Ad gloriam POLITIANI sufficiet, in medium protulisse illorum vel principes, & singulari præ reliquis dignitatis splendore conspicuos. In quibus non ultimum merentur locum eminentissimi Duces Italiæ bini, Mirandulanus, JOANNES PICUS, quo, nescio, an quemquam sui studiosiorem habuerit POLITIANUS, ut infra pluribus ostendam, alter Mediolanensis, LUDOVICUS SFORTIA, qui, solicitatus a POLITIANO, ne existimationi suæ a GEORGIO MERULA pateretur inferri injuriam, ejus dignitatem contra illius obtrectationes fortiter suscepit defendendam. Hujus quatuor ad POLITIANUM exstant Epistolæ, *Lib. XI. Epp. Pol. n. 4, 13, 21, & 23;* illius vero *Lib. I, IX, & XII*, quam plurimæ. Taceo ipsius Laurentii, Principis Medicæi, cujus plura & illustriora longe exstiterunt amoris erga POLITIANUM monumenta, melle multo & sale conditas literas, *Lib. X. Epp. Pol. n. 5.*

(c) Tales sunt literæ JACOBI, Cardinalis Papiensis, *Lib. VIII. Epp. Pol. n. 7*, & FRANCISCI PICCOLOMINEI, Cardinalis Senensis, *Lib. VIII. n. 10*, quorum uterque, ingenuis artibus haud leviter imbutus, id unice literis egit, ut, quibus posset, verbis humanissimis POLITIANUM, quanti ejus æstimaret doctrinam & merita, faceret certiorem; ille quidem, invitatus ad id elegantissima HOMERI versione, quam roganti miserat POLITIANUS, hic vero præsentis olim, cum Senas divertisset, POLITIANI captus suavitate & mira doctissimarum rerum peritia. Meminit itineris hujus Senensis & hospitii, quo exceptus fuerat a PICCOLOMINEO, ipse POLITIANUS in literis ad eundem, *Lib. VIII. n. 9.* Adjungi his meretur HERMOLAUS BARBARUS, Patriarcha Aquilejensis, quem constat ab Innocentio VIII anno 1491 purpura donatum, quamvis sint, qui, contra leges Venetorum, quibus prohibebantur olim ipsorum Oratores munera & honores, a Principibus exteris sibi oblatos, accipere, factum id, contendant, eaque de causa ex Purpuratorum numero HERMOLAUM velint proscriptum. A quibus liceat hic dissentire tantisper, ut POLITIANO nostro ex tam splendido commercio decus suum constare possit. Isto enim tam familiariter

usus est POLITIANUS, quam quocunque alio, prout fusius dicetur alio in loco; & amicissimæ ejus ad POLITIANUM Epistolæ *Lib. I. & IX. Epp. Polit.* plurimæ leguntur.

(*d*) Binæ in *Volumine Epistolarum* POLITIANI Epistolæ occurrunt, exaratæ ad binos, quos ætas illa tulit, Reges Europæ potentissimos, rerumque fortiter gestarum gloria illustrissimos, MATTHIAM nempe, Pannoniæ Regem, *Lib. IX. n. 1*, & JOANNEM II, Regem Portugalliæ & Algarbiæ, *Lib. X. n. 1.* Utrique non verbis modo, sed re ipsa quoque, pietatem suam testatus est, consecrato illi venustissimo Carmine, *Nutricia* inscripto, quod *laudes Poeticæ & historiam omnium fere vatum continere, multaque lima cruciatum*, ipsi dicitur, huic vero oblata in consignandis & posteritati commendandis invictissimi Principis rebus gestis opera & labore suo. Id vero quo audacius susceptum a POLITIANO videri posset; eo benignius ab utroque literas Itali nostri humillimas elegantissimasque acceptas conjicio. De MATTHIA quidem certi nihil compertum habeo, nec POLITIANI ille literis, quantum scio, respondit ipse; maxima tamen cum fuerit alioquin ejus erga literatos clementia & inusitata humanitas, vix literis indignatum crediderim hominis, omni liberali doctrina politissimi, diligentissimique in exornandis ipsius laudibus. Certius vero, quo fuerit erga POLITIANUM animo JOANNES, Rex Lusitanus, ex ipsis hujus ad POLITIANUM literis constat, *Lib. X. Epp. Pol. n. 2*, quæ tantum gratiæ præ se ferunt & clementiæ, ut a Rege vix credas proficisci ejusmodi scribendi genus potuisse. Quid blandius excogitari potest verbis, quæ inscripta leguntur literis: *Joannes Dei gratia Rex Portugalliæ &c. Angelo Politiano, viro peritissimo, & Amico suo.* Longius vero progressus in lectione epistolæ, nihil imperiose, nihil ex majestate dictum, sed amica omnia, benigna, humanitate condita, & quasi rogantis, verba animadvertes. POLITIANUM modo *virum doctissimum* dicit, modo *laudatissimum omniumque disciplinarum genere præditum;* tantam etiam doctrinæ laudem ei tribuit, ut rerum a se gestarum annales non nisi POLITIANI eloquentia & dictionis gravitate excultos & limatos exire in lucem voluerit, ejusque potissimum facundia dignos effici lectione posse existimaverit. Filios autem JO. TEIXIRÆ, supremi rerum suarum administratoris, curæ & institutioni ejus commen-

mendat affectu tenerrimo, fęlicesque putat, quod POLITIANUS' vir summus, ipsis præceptor contigerit. Digna Regis optimi, quæ hic proferantur, verba sunt: *Sed adolescentibus ipsis plurimum congratulamur, in id ætatis & temporis incidisse, quo a tuo literarum fonte aliquid doctrinæ possint feliciter haurire.* Adeo non indignum Regia majestate judicarunt olim Principes per orbem terrarum illustrissimi, amare literas, & in oculis gerere viros doctrina & ingenio excellentes. Conf. quæ hanc in rem profert JAC. GADDIUS *de Script. non Eccles. T. II. p. 135,* & *Autores Diar. Hist. Crit. T. III. p. 253.*

(*e*) Qui novit, quanto POLITIANUM amore a primis fere annis complexus sit Laurentius, quanto studio & labore per omnem ætatem prospexerit fortunæ ejus, quamque nullis pepercerit sumtibus, ut vel ad prosequenda literarum studia copiosam ei librorum supellectilem pararet, vel dignitatem ejus amplificaret mirifice, non ei videbitur mirum adeo, ad ipsa POLITIANUM familiaritatis & quotidianæ consuetudinis penetralia a LAURENTIO admissum. Nimirum, cum ipse sæpissime in Musarum castris stipendia faceret princeps optimus, ingenuisque artibus non tantum delectaretur multum, sed ipse imbutus etiam esset egregie, nihil ei fuit jucundius, quam cum illis versari quotidie, quos eodem afflari Apolline, & in literarum campis noverat æquali studio excurrere. Quam in rem legi merentur POLITIANI *ad* LUD. ODAXIUM literæ, *Lib. III. n. 6.* Unde res fuit tam LAURENTIO, quam POLITIANO, ceterisque viris doctissimis, MARSILIO FICINO, DEM. CHALCONDYLÆ, BARTH. SCALÆ, aliisque, admodum gloriosa, sedentem in cubiculo suo LAURENTIUM, ut refert POLITIANUS in *Ep. ad* JAC. ANTIQUARIUM, *Lib. IV. n. 2,* de Philosophia rebusque doctis sermones cum illis conferre solitum; & præclara ejus vox fuit, *destinasse se reliquam ætatem in iis studiis cum Politiano, & cum Ficino, Picoque ipso Mirandula, procul ab urbe & strepitu consumere,* &c. Ipse hæc in memorata modo Epistola POLITIANUS refert. Taceo jam innumera alia tenerrimi amoris erga POLITIANUM documenta, quorum, si scripta POLITIANI, *Epistolas* inprimis, pervolutaveris, singulis fere paginis animadvertes quam plurima. Atque benignissimi hujus principis voluntate admodum propensa tam in rem

ſuam uti didicerat POLITIANUS tempore breviſſimo, ut in hoc uno ſpes ſuas fortunasque omnes haberet repoſitas, autoritate ejus contra hoſtes & obtrectatores ſuos fortiſſime ſe muniret, partibus ejus pertinaciſſime ſemper adhæreret, excelſasque virtutes ejus pie ac reverenter coleret. Nec mirum igitur, mortuo LAURENTIO, ipſum, quaſi fulmine tactum, animis omnibus defeciſſe, ejusque memoriam lachrymis ardentiſſimis luctuque tanto proſecutum, *ut omnis ejus ſcribendi ardor exſpiraverit, omnisque prope veterum ſtudiorum alacritas elanguerit*, quæ ipſa ejus verba ſunt in *Ep. ad* JAC. ANTIQUARIUM, *Lib. IV. n.2.* Cumque obitum Laurentii paullo poſt ipſa POLITIANI ſubſecuta mors ſit; parum abeſt, quin credam, cur ante diem ex hac vita migraret POLITIANUS, cauſam hanc fuiſſe præcipuam, quod ex funere Laurentii dolorem conceperat atrocem nimis imisque penitus inſidentem oſſibus; id quod hujus loci non eſt ſtudioſius inquirere.

(*f*) Ingens illa favoris atque gratiæ, in quam receptus a LAURENTIO fuerat POLITIANUS, prærogativa non poterat non efficere, ut alii complures, qui rebus ſuis amicum habere optabant Laurentium, POLITIANI id commendatione exiſtimarent impetrari poſſe feliciſſime. Multum enim refert, qualem ſibi ad magnorum Principum benevolentiam quisque viam ſternat, quali interprete & conciliatore utatur. Illorum, neceſſe eſt, fuiſſe quam plurimos; ſiquidem per omnem, qua patet, Italiam atque foras etiam fama percrebuerat de incredibili Laurentii erga literatos voluntate & benevolentia. Solent nempe convolare undique Muſæ extorres atque miſerabiles, ubi talem obveniſſe ſibi propugnatorem auſpicemque intelligunt, qui a communi fere contemtu ipſas vindicet. Teſtes ſunt innumerabiles a viris doctis ſcriptæ ad POLITIANUM Epiſtolæ, quarum præcipuum huc redire argumentum videas. Speciminis loco, & ut formulas precantium noſcas, literas POMPONII LÆTI, *Lib. I. Epp. Pol. n. 15*, profero, in quibus hæc legas: *Illud alterum erat, ut unicis literarum fautoribus, Laurentio ac filio, me commendes. Ab Laurentio tua opera, obſecro, impetres literas non vulgares* &c. Similiter in aliis ad POLITIANUM idem LÆTUS ſcribit, *Lib. I. n. 17: Commenda me Medicibus, patri & liberis, literarum patronis;* & BAPTISTA GUARINUS *Lib. I. Ep. 21: Magnificis Laurentio & Pico me commendes, rogo;* qua-

qualia idem profert in *Ep. 23. Lib. I.* His jungi merentur venustissimi CANTALICII, Poetæ Itali, ad POLITIANUM versiculi, multum gratiæ & Venerum habentes, quas vide in *Carmin. Illust. Poet. Ital. T. III. p. 150:*

Totis, Angele, qui vides diebus
Illum, sidera quem fovent Tonantis,
Virtutum specimen, decusque rerum,
Patronum fidibus tuis faventem,
Absentem memores libens, rogamus,
Illi Cantalicum; rogesque, nostros
Vultu versiculos legat precesque,
Quali perlegit usque ruminatque,
Quæ tu Mæonio canis lepore,
Felix, numina cui licet videre,
Quem longe populi colunt amantque,
Tanto jam duce tangis astra fama,
At nos vendere fas erit libellos,
Et conducere busta, lustra, furnos,
Mæcenas nisi me tuus reservet.

Nec frustra laborasse, quicunque POLITIANI imploraverant operam & commendationem, sed voti sui facile compotes factos, patet exemplo BAPTISTÆ GUARINI, qui grato animo, quantum eo nomine debeat POLITIANO, profitetur in *Ep. ad eum, Lib. I. Ep. 19: Quod ad me attinet, gaudeo vehementer, laudato viro, & ab omnibus, ac ubique laudato Laurentio me in ore esse, addito præsertim Politiani calculo; cujus ego copiosam & arcanam multiplicis disciplinæ lectionem ita complector, ut admirer, ita admiror, ut commendare non desinam;* patet etiam exemplo NICOLAI LEONICENI, cujus officiosissima sunt, quibus hanc POLITIANI humanitatem prædicat, verba in literis *ad* POLITIANUM, *Lib. II. n. 5: Laurentium vero, ac Petrum, Medices, hoc est, cum patre filium humanissimum, in mei dilectione certantes, quandoquidem tu ille fuisti, qui mihi quodcunque hoc regni, qui sceptra Jovemque tua apud illos auctoritate ac gratia conciliasti, studeas in eodem erga me amore conservare.*

(g) Fama

(g) Fama doctrinam sequitur, & uberrimos honoris gloriæque fructus ferunt, quibus omne vitæ tempus in literis consumtum est. At tunc maxime dices ad præclaram doctrinæ existimationem pervenisse, & in summa versari celebritate virum doctum, quando aliis omnibus, similem eruditionis summæ famam consecutis, admirationi esse doctrinam ejus, horumque scriptis celebrari ejus de literis merita cognoveris. POLITIANUM tantis eruditorum ornatum præconiis cumulatumque cernimus, ut exquisitissimorum, quibus virtutes ejus varias ac insignes prosequerentur, verborum copia singuli inter se certasse videantur. Etsi enim, quod infra dicemus, non defuere, qui famam POLITIANI, quoad viveret, virulentis atrocissimisque obtrectationibus insectarentur impudenter admodum; hi ipsi tamen, si æquitatis in judicando rationem habuissent ullam, nec nimio æmulandi studio ad invidiæ furores fuissent prolapsi, abstinuissent profecto ab omni injuria, & mitiorem de POLITIANO tulissent sententiam. Fuit autem, id quod præcipuum est, constans hæc atque, ut vere dicam, immortalis POLITIANI gloria, & auctum magis, quam imminutum, post fata ejus crediderim laudum cumulum, quibus memoriam ejus honestarunt æstimatores veræ virtutis nobilissimi quique. Operam, ut puto, frustra insumeret, qui recensere illas ordine singulas, strictimque enumerare, animum induceret. Partem earum, quæ vel a summi nominis eruditis excogitatæ, vel ad exornandas amplificandasque ejus virtutes maxime compositæ videntur, exhibet Index, huic libello præmissus, cui primum ideo locum concessimus, ut in fronte statim appareret, non inutile a nobis studium positum in enarrandis tanti Italorum fatis, cujus tam honorifica a viris literatissimis facta sit mentio. Eorum autem, quos ipse æquales municipesque habuit POLITIANUS, quæ fuerint erga POLITIANUM studia, quæque veneratio doctrinæ ejus, perspicue apparet ex eruditorum illius ævi ad POLITIANUM Epistolis, maximam partem *Volumine Epp. Pol.* comprehensis, in quibus singulis observantiam & amorem erga POLITIANUM plane inusitatum cognoscas. Fidem præbebit dictis nostris, quisquis vel fugitivo illas oculo pervestigaverit. Præcipuam tamen præ reliquis amoris vim habent, quas a JO. PICO, POMPONIO LÆTO, BAPTISTA GUARINO, PHIL. BEROALDO, HIERON. DONA-

DONATO, & MARS. FICINO, recepit, Epistolæ, ita prorsus comparatæ, ut non ad hominem eruditum, sed ad omnium eruditorum velut Regem ac Principem, scriptæ videantur. Etsi vero, qui homines sibi amicos, sive coram, sive per literas, laudare solent effusissime, fucatæ haud raro assentationis suspicionem incurrunt, & amori dedisse plus videntur, quam veritati; habet tamen hic aliquid momenti testimonium illorum, &, si vel demas inde, quæ nimio amoris æstu scripserant, nudis eorum laudibus tantum profecto ponderis remanebit, quantum ad confirmandam nominis celebritatem, in qua versatus est olim POLITIANUS, satis est. Quin, si vera sunt, quæ scribit BAPT. GUARINUS in *Ep. ad* POLITIANUM, *Lib. I. Epp. Pol. n. 23: Nolim, existimes, maxima esse tuarum laudum præconia, quæ ad te in epistolis perscribuntur. Multo enim majora sunt, quæ studiosi humanitatis in animis suis ex libro tuo* (Miscellaneis) *taciti concipiunt, aut, cum in cætu sunt, de te colloquuntur: uno ore omnes omnia bona dicunt, doctrinam tuam prædicant, extollunt, admirantur*,&c; quanta fuerit eruditorum illius ætatis de POLITIANO opinio, satis superque eorum testari possunt vario tempore ad eum scriptæ Epistolæ. At hæc ipsa forte non sine adulatione scripta a GUARINO, aut ad illud saltem Epistolarum genus restringenda dixeris, quæ editi nuper a POLITIANO *Miscellaneorum* libri laudes continebant. Etenim, universas quod attinet, negari haudquaquam potest, esse in illis tanto scriptas adulandi studio, ut, nisi ad earum lectionem attulisset POLITIANUS singularem animi modestiam, ingenium ejus penitus pervertere, animumque implere fastu potuissent impudentissimo. Quo refero literas POMP. LÆTI *ad* POLITIANUM, *Lib.I.n.17*, in quibus perquam magnifice: *Quoties de aliquo sublimi interpretatio est, unus Politianus occurris. - - - Qua de re divinitatem quandam in te esse intelligo, ut vere animus tuus sit de cœlo sumptus ignis.* Quod laudandi genus ut Poetam forte deceat, qui solet, quicquid magnum ac singulare est, referre ad sidera, in epistolis tamen si adhibeatur, absonum est, & humani ingenii modulum supra mortalitatis conditionem nimis extollit. Plures ejusmodi inusitatas loquendi formulas aliæ suppeditant aliorum Epistolæ, quas legentium permittere judicio, quam studiose hic coacervare, satius existimo.

 (*b*) Ma-

(*b*) Maximum profecto doctrinæ & existimationis, qua apud suos inclaruit POLITIANUS, documentum præbet, quod & illi, quos ipsos in aliquod honoris fastigium doctrina evexerat, quique jam scriptis nomen suum posteritati commendaverant, dubias admodum & vexatissimas quæstiones judicio POLITIANI unice permiserint definiendas, & ab ejus sententia transversum unguem recedere, nefas existimaverint. POMPONII LÆTI quis nescit in omni antiquitate & politiore literatura cognitionem, & amplissimam, quam scripta ejus præ se ferunt, doctrinam? Hunc vero, annis jam satis provectum, in literis ad POLITIANUM, *Lib. I. Epp. Pol. n. 15*, non puduit profiteri palam, ignorare se, quid de corruptis illis nimisque obscuris verbis VALERII FLACCI, quæ *Lib. V. Argonautic. ejus* passim occurrunt, sit sentiendum, &, ut viam monstraret sibi, qua redigi illa possent in ordinem, POLITIANUM obtestari humanissime. Idque, tantum abest, ut verti sibi posse opprobrio putaverit, ut omnibus suæ ætatis eruditis, si quicquam aliud, convenire judicaverit quam maxime. Sunt ejus de POLITIANO verba honestissima: *Tuum limatissimum judicium expecto, quod, mea sententia, quicunque profitemur literas, veneremur, necesse est.* Et sane in permultis, quas ad eruditos scripsit, Epistolis id agere POLITIANUM videas, ut ad quæsita respondeat, quæque scire illorum intererat, cum ipsis liberaliter communicet. Fecit autem in eo POMPONIUS, vir, ut vocatur POLITIANO in *Miscellan. Cap. 73, antiquitatis & literarum bonarum consultissimus*, & quicunque POLITIANI non detrectavit consilium, ex indole seculi sui, quam num & nostræ ætatis ingenium ferat; dubitabit mecum, cui perversos hominum nostrorum mores nosse datum est. Quis enim, bone Deus! nostra ætate ita sibi ipse diffidat, ut, suam non dissimulans in quacunque re inscitiam, doctiora & limatiora ab aliis expectet? Quantum autem hæc in propriis viribus posita nobis fiducia remoretur incrementa literarum, res ipsa quemque docet. Quantumvis pulchra & egregia a te credas proficisci posse, pulchriora certe dabis, eorum implorato consilio, quorum in maxima luce versatur existimatio, & manifesta exstant doctrinæ præstantioris cultiorisque ingenii monumenta.

(*i*) De

(*i*) De librorum libellorumve Dedicationibus quid judicandum ſit, laudemne magis, an magis vituperationem, mereantur, nec noſtri inſtituti, nec operæ pretium eſt, diſquirere. Actum de his copioſe eſt a Viris Clariſſimis, ELIA SILBERRADIO, Academiæ Argentoratenſis doctore, nuper beate defuncto, in Diſſertatione *de Dedicationum literariarum moralitate*, Argentorati A. 1718 edita, & DAN. FRID. JANO in eleganti Commentatione *de Fatis Dedicationum librorum* §.7. Satis nobis eſſe poteſt, hanc ſummis olim & prudentiſſimis eruditorum uſitatam conſuetudinem ipſam fere literarum ætatem æquare, & egregium vel amicitiæ, vel obſervantiæ, dare ſpecimen, qui doctos ingenii ſui labores bonis & integræ famæ viris ſacros eſſe cupiunt. Iſtis autem obſequii & pietatis monumentis cohoneſtari, quo minus a dignitate ſua alienum ii ducunt, qui principem in republica locum tenent, hoc major POLITIANO parta gloria ex illuſtriſſimorum, quos & doctrina parum ſe inferiores, & ſuperiores longe dignitatis noverat faſtigio, Dedicationibus. Talis eſt Poetæ elegantiſſimi, JOANNIS GOTTII, Raguſini, quem POLITIANUS ipſe in literis ad eum, *Lib. IV. n. 10*, *tantos*, ait, *florentioribus adhuc annis, in omni poetice feciſſe progreſſus, ut non ſolum cum ſuæ ætatis hominibus, ſed cum ipſa plane antiquitate conferri poſſet.* Is libros Carminum ſuorum, *ita*, eodem teſte, *ex amuſſim perfectos, atque ad ſummum abſolutos, ut ne ab livore quidem jure valeant reprehendi*, præ aliis POLITIANO conſecravit in perpetuum amoris teſtimonium. Hoc enim ex iisdem POLITIANI literis, primisque earum verbis cognoſcas: *Cum per hos Quadrageſimæ proximos dies enarrandis populo ſacris literis eſſem occupatus, perlegi tamen libros carminum tuorum, quos mihi tu pro ſingulari humanitate tua, mutuoque inter nos amore, dedicaveras; - - - Equidem gratias tibi ago immortales, utpote quem tuis illuſtrando carminibus immortalitate donaveris.* Fuerintne vero Latina, an vernacula, an quocunque alio ſermone ſcripta, hæc carmina, non ſatis ex his POLITIANI literis intelligo. Neque hinc quicquam facile de illis conſtare nobis poſſit, niſi unum id, quod *lepida* admodum, *venuſta, ornata, pulchra*, atque talia fuerint, quæ *omnem poſſint injuriam temporum ſuperare*, *ſumma* etiam illarum *ſuavitas, lepor,*

elegantiaque versiculorum, *multi aculei*, *sales*, *argutiæ*, *magna eruditio*, *magna varietas*, *magnæ ubique veneres gratiæque*, fuerint. Ipsum vero GOTTIUM quod attinet, is, si recte interpretor POLITIANI verba, non literarum studiis, sed mercaturæ, operam dedit, & facilitate quadam naturæ promtum habuit ad scribenda carmina ingenium. Ita enim ibidem ANGELUS: *Quis non attonitus audiat, hominem ab Illyrio, mercimoniis* (*ut inquit Plautus*) *emundis vendundisque occupatum, florentibus adhuc annis tantos in omni poetice fecisse progressus, ut non solum cum suæ ætatis hominibus, sed cum ipsa plane antiquitate conferri possit.* Unde forte non absurde colligas, fuisse hæc carmina a GOTTIO composita sermone patrio, hoc est, Slavonico, quem ipsum inter homines Ragusinos omnium maxime vigere, res est vulgo notissima. Nec minus POLITIANO gloriosa fuit liberalitas Principis Mirandulani, JOANNIS PICI, Philosophi acutissimi, qui, ut præclare de amico sibi conjunctissimo, POLITIANO, videretur promereri, præstantissimum, quem *de Ente & Uno* scripsit, libellum solenni more ei nuncupavit. Quod officii & humanitatis genus ipse magnopere prædicat POLITIANUS in literis ad PICUM, *Lib. XII. n. 5*: *Quoniam, quæ scribebam*, inquit, *vix etiam vetustatem nominis pollicebantur, exstitisti tu, Pice, qui, quod ego mihi non poteram, præstiteris, dedicato Commentario de Uno & Ente, sic enim titulum facis, in quo rivos per Lycium decurrentes, & Academiam revocas ad verum caput, & cum Philosophia magis una, quam gemina, nostram quoque Theologiam copulas. Quod igitur jam Glauci gramen requiram victurus æternum per te, sed & tecum? Narrabit autem quandoque posteritas, fuisse olim Politianum quendam, quem tanti fecerit ipse quoque Picus, omnium doctrinarum lux, ut librum quidem nuncupare illi pulcherrimum de rebus altissimis non dubitaverit.* Spiritu hæc scripta putes fatidico; adeo illustres jam & magnifici posteritatis de POLITIANO sermones sunt. Præmissa est huic POLITIANI Epistolæ ipsa Dedicationis formula, a PICO concinnata, quæ itidem in *Operibus* PICI libello *de Ente & Uno* præfixa legitur.

§. 9.

Tam communi omnium, quicunque literas amabant, plausu & veneratione cum exceptum se undique excellentis doctrinæ vir, POLITIANVS, cerneret; nemo fuit illa ætate ex veris doctrinæ & ingeniorum æstimatoribus, qui ad tantum gloriæ & existimationis fastigium adscendisse immerentem judicaret. Tulit potius hanc Noster, omnium consensu, incredibilis industriæ, in quavis elegantiorum literarum parte collocatæ, mercedem dignissimam. Inter præstantissimas virtutes, quæ hoc ei decus pepererunt, primo se loco admirandam nobis præbet insignis illa, quæ ad omne doctrinæ genus manu quasi ducebat POLITIANVM, partamque mirifice exornabat, linguarum nobilissimarum (*a*) peritia. Etenim, sicut patrii sermonis, Ethrusci (*b*) puto, & Hebraicarum literarum, (*c*) cognitione haud leviter fuit imbutus, ut, in his etiam, sint, qui acquisitum ei laudis aliquid existiment, ita, Græciæ inprimis & Latio quicquid antiquæ dignitatis, quicquid venerum & nitoris est, id omne ad stuporem ætatis suæ assecutus felicissime putatur. Et cum Græcis quidem literis, quarum naturali quodam amore flagrabat, commercium inde a prima pueritia habuit frequentissimum. (*d*) Quo factum est, ut suavissimæ hujus linguæ studio vix cuiquam esset

ſecundus, (*e*) & induſtriæ ſuæ inſignem hunc fructum ferret, ut, quicunque ad hæc ſtudia animum appelleret, POLITIANVM ſibi, ipſis hominum Græcorum ſcholis neglectis, magiſtrum ducemque deligeret. (*f*) Neque adeo ipſe caruit Græcorum, quos, e patria ſua ejectos, liberali Italia hoſpitio exceperat, invidia, (*g*) quamtumvis admirantibus aliis & palam laudantibus eorum, quæ græce ſcripſerat, nitorem elegantiamque incredibilem. (*h*) Quin ſuæ in his literis doctrinæ ſatis ipſe fuiſſe conſcius videtur; quandoquidem, id quod immodeſtius ab eo factum putes, ſolus eo nomine præ ceteris palmam affectavit. (*i*) In eo laudandus utique, quod inuſitatam, qua polluit, Græci ſermonis peritiam non intra nudæ cognitionis, peſſimo multorum exemplo, paſſus eſt limites coarctari, ſed, longius progreſſus, ſcriptis etiam Græcorum facundiam expreſſit, Græcoque habitu tam literas ad amicos datas, (*k*) quam varii generis Epigrammata, conveſtivit. (*l*) De quibus ipſis mireris profecto Scriptorum, in contrarias maxime partes abeuntium, & de pretio eorum velut inter ſe decertantium, judicia. (*m*) Noſtræ ſententiæ huc ſumma redit, elegantiora eſſe hæc Epigrammata, quam quæ Seculo illo, parum tum quidem exculto, Græcis certe deliciis nondum adeo aſſueto, ab homine peregrino, Italo puto, potuiſſe credas expectari.

(*a*) Incom-

(a) Incomparabilis illa, qua inclaruit POLITIANUS, linguarum elegantiorum peritia occasionem dedit ingenioso, si Diis placet, incerti cujusdam Autoris versiculo, qui tumulo POLITIANI, ut infra pluribus dicemus, inscriptus perhibetur Scriptorum haud paucis, inprimis SIGEFR. RYBISCHIO in *Monum. Clar. Vir. fol. 18*, nequaquam ejus Autori, ut malè ea de re edoctus sibi persuasit CLAUSIUS in *Vita Polit. Cap. 6. p. 17.*:

Politianus in hoc tumulo jacet Angelus, unum
Qui caput, & linguas (res nova) tres, habuit.

Non est hujus loci, in elegantiam & acumen hujus Epigrammatis inquirere. Ad lusum verborum, nemo non videt, omnia redire; cujus generis elegantiæ sordent ætati nostræ, ad severam gravitatem compositæ. Quisquis autem hæc effinxerit, imitatus is Q. ENNIUM videtur, qui, teste GELLIO *Lib. XVII. Noct. Att. Cap. 17*, *tria corda habere sese dicebat, quod loqui Græce, & Osce, & Latine, sciret.* Solicite, tanquam de re gravi & magni ponderis, disquirit CLAUSIUS *l. c.* quænam sint tres illæ linguæ, quæ in capite uno locum invenerint, & quo nomine sint appellandæ. De Græca & Latina satis constare putat; id scrupulum habere, quæ sit in illarum numero tertia. Nec paucitas illarum, sed copia, ipsum vexat, dubium, quæ præferenda sit reliquis. Italicam calluisse POLITIANUM, Hebraicam item; harum utram tangat Poeta, id, sortis esse, definire. Exultat tandem, invento ALEXANDRÆ SCALÆ Epigrammate, Epistolæ instar ad POLITIANUM composito, quo Græcæ, Latinæ, Hebraicæ, atque Lydicæ, seu Thuscæ, linguæ peritia pollere Noster dicitur. Sed, ut difficultatibus tam supervacaneis, tamque inutilibus, vix implicari posse, cui rectior est sensus, quemquam puto, ita, si quis tandem iis implicetur, minime is expedire se illis filo posse ALEXANDRÆ videatur. Discebat inde CLAUSIUS quatuor linguarum, quas callebat ANGELUS, nomina; neutiquam vero, quæ resecanda ab illis sit, ut melius ipsi de sepulchralis inscriptionis ratione constaret, cognoscere inde potuit. Sed parum utique refert, utram voluerit intelligi, quisquis Autor fuit Epigrammatis.

S 2 Forte

Forte is quadrilinguem finxisset POLITIANUM, nisi adversas sibi carminis metrique leges expertus esset. Illud addo, triplex eloquium POLITIANO tribui ab ipso FRANC. PUCCIO, ejus discipulo, in Carmine quodam, cujus mentionem facit POLITIANUS in *Epistola ad* PUCCIUM, *Lib. VI. Ep. 5.* Dubitari tamen merito possit, an tanta Italicæ Hebraicæque, quanta Græcæ Latinæque linguæ, peritia fuerit POLITIANO. His enim tam probe institutus fuit Noster, quam vix alius quisquam illo tempore. Unde merito hanc tulit laudem, ut *græce latineque doctissimus* diceretur JO. FRANC. PICO in *Vita Jo. Pici*, *utriusque linguæ consultissimus* ALDO MANUTIO in *Præf. in* OVID. *Metamorph. græce latineque impense doctus* JO. CORASIO *Miscell. Lib. III. Cap. 16*, *Græcis & Latinis literis eruditissimus* ONUPHR. PANVINIO in *Vita Leonis X*, *Græco & Latino ad perfectum instructus eloquio* JO. TRITHEMIO in *Catalogo Scriptor. Eccles. p. 166. B*, *& cum Romanis etiam optimis Latine, cum Græcorum veterum non postremis græce, scripsisse*, CASP. BARTHIO *Adversar. Lib. XLVII. Cap. 5. p. 2192.*

(*b*) Quantos Italici sermonis, qui fuit ipsi vernaculus, lepores affecutus sit POLITIANUS, vix mei, utpote hominis peregrini, fuerit ingenii, accurate definire. Quicquid hac de re nobis constat, in eo Scriptoribus doctis ac fide dignis credendum est. De poesi Italica, cujus non ignarum fuisse POLITIANUM, plurima ejus Carmina docent, quibus haud parum pretii tribuere solent Itali, alio loco dicemus. Ad solutam orationem spectare videntur verba CASP. BARTHII in *Adversar. Lib. XXI. Cap. 17. p. 1055*: *His velut cumulus accedit in vulgari quoque Italorum nunc idiomate rotunditas suavissima, qua plures, etiam nulli alii rei studentes, longe post se reliquit.* Vellem, unde hujus rei notitiam hauserit, & quo merito his laudibus dignum judicaverit POLITIANUM, placuisset BARTHIO, certiores nos facere. ALEXANDRA etiam SCALA in Epigrammate, cujus modo mentionem injeci, linguam Ethruscam in earum numerum refert, quibus probe instructum POLITIANUM dixerat. Epistolas ad amicos vernaculo sermone scribere frequentes solebat, sed quarum nulla ad posteros pervenit notitia, nec tanta, quod puto,

puto, elegantia fuit, ut largam adeo Scriptoribus præbere materiam laudandi potuerint. Has enim non nisi tum, cum parum ei ad diligentiores literas otii superesset, scribere ex tempore solebat. Cujus rei fidem facit RAPH. VOLATERRANUS, ad quem dedit ejus generis Epistolas quamplures, in *Commentar. urban. Lib. XXI. p. 246: Mihi solebat Politianus epistolas cum Græcas, tum Latinas, scribere, sed sermone vernaculo plures, quod frequenter faciebat occupatus, ne nasus aliquis, stilo offensus impræmeditato, præjudicatæ jam de eo opinioni officeret.* Quæ VOLATERRANI verba occasionem suppeditarunt BAYLIO exsibilandi nimiam POLITIANI aliorumque in scribendis epistolis diligentiam & circumspectionem. Vid. ejus *Diction. hist. T. III. p. 2344. not. Q.*

(*c*) Scripta POLITIANI singula pervestigantibus vix ullum Hebraicarum literarum, quibus probe institutus ille dicitur, vestigium obveniat; nec in his vocem legas Hebraicam, præter pauca ea, quæ *Cap. 14 & 83 Miscellan.* ex ESAIA, AMOSO, & Psalmis, depromta leguntur. Sparsim quoque Autorum Hebraicorum mentio injecta, idque negligentius plerumque, nec, uti decebat, distincte satis. Nihilo minus probabile videtur, hominem in sacris versantem, & enarrandis populo cœlestibus doctrinis occupatum, harum literarum non omnino fuisse ignarum. Etsi enim non desint in grege Pontificiorum, qui absque omni prorsus linguæ Hebraicæ cognitione Oratoris sacri munere feliciter defungi, & pro concione verba facere possint cum plausu audientium; POLITIANUM tamen, qui scientiarum non fucum solebat, sed omnem ambitum, omnesque recessus, scrutari, ex horum fæce hominum fuisse, non a me possum impetrare, ut existimem. Quin faciunt ad hujus rei testimonium maxime Epigrammatis, quo ALEXANDRA SCALA laudes POLITIANI decantavit, verba elegantissima:

Φωναῖς δ' ἐν πλείσταις σόντοι κλέος, ἦερ' ἐλαςρεῖ,
Ἑλλάδι, Ῥωμαϊκῇ, Ἑβραικῇ, Λυδίῃ.

quæ nos ita Latine reddimus:

Ut pellas tenebras, tot ſurgis, maxime, linguis;
Romulea, Argolica, Judaica, patria.

Sciviſſe igitur Hebraicas literas POLITIANUM, certum eſt; etſi non omne vitæ tempus conſumſiſſe in his ſtudiis, nec uſus iisdem ad oſtentationem, videatur.

(*d*) Dictum ſupra eſt §. *III not.* (*ſ*) (*t*) & (*x*), & ipſius POLITIANI teſtimonio confirmatum, ſub ineunte ſtatim ætate elegantiorum literarum, quales ſunt, quas alit Græcia, adeo captum deliciis fuiſſe POLITIANUM, ut, niſi quod Græciam redoleret, ipſi nihil placeret, & ad reliquarum, quæ minus jucunditatis haberent, quamvis ſublimiorum, diſciplinarum, Philoſophiæ inprimis, ſtudia non aliter ac tranſiens peregrinator accederet. Debentur enim ætati huic ſcripta ejus pleraque, vel græce compoſita, vel e Græco translata in Latinum. Refero huc *Elegiam* MOSCHI, partemque HOMERI latine redditam, nec non Epigrammata, quæ in unum collecta faſciculum exſtant, quamplurima. Habent hæc fere ſingula, ut *l. c.* indicavi, appoſitum in margine anni, quo ſcripta ſunt, indicium; unde ſcilicet nobis conſtat, anno ætatis jam decimo ſeptimo Græcis POLITIANUM haud invenuſte cantare numeris cœpiſſe. Quæ quo in pretio paſſim eruditis habeantur, & breviter commemoravimus ſupra §. *III not.* (*x*), & fuſius ediſſerendi paullo poſt occaſionem nanciſcemur. Videtur autem impetus iſte, quo ferebatur in Græcas literas POLITIANUS juvenis, eo mirabilior, quod *pueritia ejus*, ut ait CASP. BARTHIUS *Lib. XXI. Cap. 17. p. 1055*, *inciderat in Seculum Sophiſtis dominantibus plus quam barbarum*, ubi in tenebris hærere, fœdaque errorum monſtra in ſinu fovere, jucundum putabatur. Sed ita ferebant fata, ut, quem aptiſſimo ad id ingenio inſtruxerant, *primus omnium Politianus literas Græcas in Italia ad dignitatem eveheret, ac Criticem inferret*, ut judicat BLASIUS CARYOPHILUS in *Diſſertat. Miſcell. P. I. p. 327.*

(*e*) Græcis literis mirifice excultum dum dixi ANGELUM, nec laudibus ejus dedi nimium, nec ſine maximorum Scriptorum autoritate & teſtimonio id affirmavi. Converterat enim admirabili

bili hac Græcarum literarum peritia, quæ vix ab homine Italo illa ætate poterat expectari, omnium in se oculos POLITIANUS, hujusque linguæ tanta abundare copia dicebatur, ut vel Græciam nonnullis videretur habuisse nutricem, vel dictionis gravitate ipsos Græcos superare. Utor hac in re interprete JO. PICO, prudentissimo ingeniorum ac scientiarum æstimatore, cujus vix concinnius quidquam ac de doctrina POLITIANI magnificentius dici poterat verbis in *Epistola ad* POLITIANUM, *Lib. I. Epp.* POL. & in ipsius PICI *Epistolis* obvia: *Interea imitabor te*, inquit, *Angele, qui te Græcis excusas, quod sis Latinus, Latinis, quod græcisses. -- -- Tu ita utrumque imples, ut, utrum magis, haud satis constet, qui & Græcam & nostram Minervam ita pulchre amplectaris, quasi Cinnus utriusque linguæ, ut, quæ insititia sit, quæ genuina, haud facile discerni possit. Nam, ut de Latinis taceam, (de his enim cui e loco cesseris?) quis credat, ut de Hadriano ille, Romanum hominem tam græce loqui. -- -- Is es, mi Angele, (facessat adulatio,) cui e nostris unus & alter, ne dicam nemo, conferendus sit.* Socium huic jungo JUL. CÆS. CAPACIUM, inter felicissimos, meo judicio, elogiorum artifices primo loco collocandum, cujus in *Elog. doct. vir. p. 350* de POLITIANO verba sunt: *Majorem laudem nemo habuit, ut in Italia natus Græcam habuisse videatur nutricem. In utraque lingua hercle imitandus est. In altera servavit nitorem, ne obsolesceret, (quam ob rem eruditissimus & candidissimus Italorum dictus est,) in altera non nitorem, quem nunquam amisit, sed pristinam dignitatem, aut versa, aut prorsa, oratione restituit.* Prætereo alia aliorum testimonia, ut JO. JAC. BOISSARDI in *Icon. p. 159*, FRANC. FLORIDI SABINI in *Lection. Succisiv. Lib. II. Cap. 8*, JO. BAPT. PII in *Annotat. posterior. Cap. 38*, HENR. BRENCMANNI in *Hist. Pandect. Lib. IV. Cap. 8. p. 309*, & qui sunt reliqui. Cumque adeo Græcarum non minorem, quam Latinarum, literarum peritiam haberet acquisitam POLITIANUS, & utriusque quasi soli homo videretur; habebat utique, cur ipse joci causa, & tanquam per ludibrium, *vespertilionem* se diceret, altera

parte

parte Græcus ſcilicet, Latinus altera. Rem, neſcio, unde edoctus, *l. c.* idem refert CAPACIUS: *Murem & avem veſpertilio refert. Et veſpertilionem ſe cultiſſimus Angelus Politianus appellavit, quod Latinus græciſſabat. Et quam candide proprieque Latinus! -- -- Et quam attice Græcus!* Sed, ut ille demum profeciſſe haud parum in linguæ Græcæ exercitatione dicendus eſt; cui ipſam Græcorum indolem & nativam dictionem ſcribendo exprimere, Græcam ſuavitatem, Græcas veneres, imitari, eandem in oratione gravitatem, eundem verborum delectum, adhibere, datum fuit, ita hac ſe maxime conſpicuum prærogativa præbuit POLITIANUS, utpote *cujus*, judicio CASP. BARTHII in *Adverſar. Lib. XXI. Cap. 17. p. 1055, ſingularis fuit inventionum acumine, lectionis varietate, & judicii dexteritate, felicitas, cujusque ſtilus Atticas Athenas, ſi ita fari licet, græcitate adiit.* In quam ſententiam adductum BARTHIUM vel Græcorum Epigrammatum, vel, quas paucas habemus, Epiſtolarum Græcarum, lectione, neceſſe eſt. Plura enim græce a POLITIANO ſcripta, quantum mihi quidem conſtat, in lucem non exiere. Satis tamen hæc pauca venerum & ſuavitatis habent, nec immerito has laudes tribuiſſe iis BARTHIUS dicendus eſt. Sed de his paullo poſt.

(f) Involaverant Italiam ætate illa & paullo ante longa Græcorum exulum velut agmina, qui, patriæ excidio ſuperſtites, fugitivos penates & Græcæ facundiæ reliquias in ſpectatiſſimas Italiæ civitates intulerant. Impleverat autem hanc urbem præ reliquis doctrinæ ſuæ fama JO. ARGYROPYLUS, inſigni ſermonis Græci peritiæ nobiliſſimum Philoſophiæ ſtudium adjungens, de quo legi meretur elegantiſſimum POLITIANI Epigramma Græcum, in ejus laudes compoſitum, & in *Vol. Epigr.* ejus obvium. Hujus excultus inſtitutione primis pueritiæ temporibus POLITIANUS, magnum opus tentavit adultiori ætate, &, quæ doceri ad hunc diem non niſi a Græcis conſueverant, illorum manibus extorquere Græcas literas, & Italiæ hanc vindicare gloriam, primus Italorum conatus eſt. Igitur, deſerta ab ARGYROPYLO cathedra, ex qua ſermonis Græci olim præcepta

cepta recitaverat coram juventute Florentina, hanc ſibi non prætermittendam occaſionem ratus, etſi cerneret, DEMETRIO CHALCONDYLAE deſtinatum id muneris a LAURENTIO, putabat tamen, ſeverioris Græci ſuavitatem tantam in docendo non fore, ut non ſuæ ipſe eloquentiæ blandimentis majorem ſibi polliceri audientium coronam, majores acclamationes, poſſet. Nec vanam hanc ſpem fuiſſe, eventus docuit. Superior in hoc æmulorum certamine POLITIANUS fuit, & adverſam ubique fortunam expertus DEMETRIUS, permiſit æmulo, quam ipſe ſuſtinere non poterat, Græcas literas docendi provinciam, ſuæque indignatus ſorti, cum universa domo ſua Mediolanum conceſſit. Quæ ipſa copioſius a nobis expoſita memini ſupra *§. IV. not.* (*k*).

(*g*) Ut Græcorum, quod facile credas, eorum inprimis, qui certiſſimum ex vernacula facundia lucrum expectaverant, in Italia nemo fuit, cujus non, ſimul ac Græcam linguam profiteri publice inſtituerat, odium contraxerit POLITIANUS; ita præ ceteris bilem hæc res movit MICHAELI MARULLO, vulgo TARCHANIOTAE, ex Latinis magis carminibus, quam Græca literatura, gloriam captanti, & IOANNI LASCARI, cujus tam Græca, quam Latina, carmina non nullius eſſe vulgo dignitatis judicantur. Hos ſcilicet fuiſſe credo illos ipſos, quos increpat IO. BAPT. PIUS in *Annotat. poſter. Cap. 38*, ubi ita: *A.* POLITIANUS, *vir memoria noſtra virtutum cumulo ſtipatus omni, ad literas Græcas tanto ſtudio & animi ardore ferebatur, ut hos Græcos, upupas potius, quam alaudas, (ſordidiſſimi enim ſunt & circumforanea mendicabula,) reliquerit, deſpexerit, antecelluerit;* eosdemque fuiſſe credo, de quibus eleganter ANTON. CODRUS URCEUS in *Epiſt. ad* POLITIANUM, *Lib. V Epp.* POLIT. *Ep. 8: Etſi nulla alia te ad hanc editionem* (Epigrammatum) *cauſa moveret, vel hæc te impellere debet, rumpantur ut ilia, non dico Codro, qui tuus eſt, ſed illis, quos ego ſane non video, ſed tu fortaſſe cognoſcis, tibi eſſe non amicos: ut intelligant, te, quod jam Latine feciſti, Græce non minus poſſe, & indoctis prodeſſe, & doctos ſummopere delectare.* De iis, quæ cum MARULLO interceſſere Noſtro, ſimultatibus, cum latius ſe diffuderint, nec nutritæ, quæ invidiæ ratio

est, a MARULLO occulte sint, aptiore loco infra commemorabimus. Magis per cuniculos, & invidiose magis, res agi cœpta est a LASCARE, qui, dudum insidiatus occasioni, qua moliri aliquid contra POLITIANUM posset, commodam maxime invenisse se tum demum, credidit, cum in Græce vertendo vetustioris Poetæ PULICIS *de Hermaphrodito* Epigrammate Latino uterque periclitatus vires esset. Primus id negotii sponte sua, & exercitationis causa, aggressus POLITIANUS, idque, ut facile apparet, executus fuerat felicissime. At, conspecto hujus carmine, cum nescio quas veneres hic temere desideraret LASCARIS, id sibi datum putavit, ut manum ipse admoveret operi, venustiorem gesturus se elegantioremque interpretem. Utercunque vicerit; de pretio harum interpretationum hic nihil definio. Suos uterque laudatores habuit; habuit & reprehensores suos. At non ita LASCARI, qui laudari ab omnibus volebat, factum satis est. Nihil ille valere POLITIANI interpretationem, comparatam suæ, persuasum sibi habens certissime, invidiæ & odio in eum fræna laxavit. Utque illis, quos audierat honorificentius, quam e re putabat sua esse, loquentes de Latino POLITIANI Epigrammate, os obtunderet; negabat, laudi verti debere hoc, quicquid sit opellæ, autori suo, jam quidem annis maturo satis, qui puer olim faventiore longe Apolline, mollioribusque numeris, cantaverit. Nec dicere id satis erat; sed, ut posteris etiam, quo fuerit erga POLITIANUM animo, constare posset, Græcis versiculis insultare ejus existimationi non erubuit. Dedimus hos Lectori supra *§. III not.* (*p*) cum Italica AEGID. MENAGII interpretatione; unde petat, quem juvat invidiæ nosse artificium. Rem omnem copiosius enarratam vide in *Menagianis T. III. p. m. 432 seq.*

(*b*) Explicatioris frontis Græci, qui veritati plus, quam invidiæ, dabant, doctissimique erant patrii sermonis, metientes Græcos POLITIANI libellos ipsius linguæ ingenio, neutiquam dissimulabant eorum pretium, sed incomparabiles vereque Græcos judicabant. Tale fuit judicium EMANUELIS illius, qui, teste JOANNE PICO in *Ep. ad* POLITIANUM, *Lib. I Epp.* POL. *Ep. 8, dum legeret Græcas Politiani literas, jurabat, non esse tam Atticas*

cas Athenas ipsas. Cognomen EMANUELIS hujus etsi a PICO hic non sit additum; dictum tamen fuisse ADRAMYTTENUM, & ex insula Creta traxisse originem, hominem & moribus apprime ornatum, & Græcis literis doctissimum, tam patet ex literis ALDI MANUTII ad POLITIANUM, *Lib. VII Epp.* POL. *Ep.* 7, qui, facto Mirandulam itinere, impetraverat ab EMANUELE, ut ipsi ostenderet hanc POLITIANI Epistolam, quam ex ipsius inprimis POLITIANI ad ALDUM literis, illas statim subsequentibus, ubi, suæ ad ADRAMYTTENUM Epistolæ mentionem faciens, illa ipsa ex literis ejus modo adducta verba repetit. *Ab* eodem, scribit POLITIANUS in literis ad ALDUM, *se omnibus Græcis, quicunque aliquot ante seculis scripserant, hominem citra mare natum anteferri solitum.* Habuit & doctrinæ suæ admiratorem POLITIANUS JO. ARGYROPYLUM, cujus laudes jam ante commemoravimus, gravissimum in his rebus judicem, nec ulli Græcorum exulum doctrina secundum. De eo SCIP. CARTEROMACHI in *Orat. de Laud. Græc. liter. p. m.* 31 verba hæc sunt: *Nostra quoque tempestate non defuere, qui græce scriberent: ut præceptor noster Politianus, quem & Joanni quoque Argyropylo, Græco homini, sæpe admirationi fuisse vidimus.* His munitus hominum Græcorum præconiis POLITIANUS, parum curavit virulentos morsus MARULLI cujusdam aut LASCARIS, qui ferre non poterant conatus eorum, quos ad eandem, quam ipsi affectabant, Græci sermonis gloriam eniti, eademque frequentare Musarum adyta, videbant.

(*i*) In eo humani aliquid passus est POLITIANUS, quod non satis abstinuit in scriptis suis a verbis ejusmodi, quæ fastum præ se ferre & ostentationem doctrinæ viderentur. Quæ cum legendo animadvertimus, invenisse nobis aliquid videmur, in quo POLITIANI desideremus prudentiam. Quicquid in te sit virtutis & doctrinæ; odia & indignationes hominum in te provocabis, ubi laudandi tui ipse defungaris officio, tuoque ipse judicio omnibus superior emineas. Non hic singula persequemur jactationis tam ignobilis vestigia, in scriptis POLITIANI obvia, quippe iis jam contenti, quæ de sua Græcarum literarum peritia passim

 inflatis.

inflatis, quod ajunt, buccis protulit. Tument profecto verba in literis Græcis ad RAPH. VOLATERRANUM, *Lib. XII. Ep. 21*: δοκῶ μοι γέλωτα ὀφισκάνων, ὁ τέως —— καὶ τῶν καθ᾽ ἡμᾶς Ἑλλήνων τοῖς δοκιμωτάτοις ἀντιτεταγμένος. Nec arrogantiæ notam effugere possunt, quæ satis audacter, ut ipse confitetur, scribit in *Epist. ad* MATTHIAM, *Regem Pannoniæ, Lib. IX. Ep. 1*: *Tantum dixero, me profiteri jam multos annos Florentiæ literas Græcas ex pari cum Græcis, quod, nescio, an alteri Latinorum (dicam enim audacter) mille circiter annos ante contigerit.* Iisdem in literis hoc fere unum agere videtur, ut insolentius se efferat, & de universa doctrina sua gloriosius prædicet. Quod si in literis ad alium quemvis judicari poterat superbe factum; tunc certe ineptum valde & ridiculum existimo, cum rerum suarum rationem redderet magno Principi, cujus gratiam submisse expetebat his ipsis literis. Monenda hæc duxi, ne copiosiorem me in enarrandis POLITIANI virtutibus, parciorem in vitiis, sint, qui dicant. Rem eandem POLITIANO, quod ad Græcarum literarum studium attinet, vitio vertit MENAGIUS in *Menagian. l. c.*

(*k*) Una plures scriptas a POLITIANO Epistolas Græcas, non habeo, cur dubitem, nec, ut mutarem sententiam, efficere potuit BÆLIUS, non nisi unam ab eo scriptam acriter contendens in *Dict. Hist. T. III. p. 2344. not. Q.* Invehitur hic, ut solet plerumque in MORERIUM, alio quovis in loco magis, quam hic, reprehendendum, qui *Lex. univ. T. I. p. 367*, POLITIANI esse, dixerat, Græcas Latinasque illas Epistolas, quæ tantis laudibus celebrari ore eruditorum soleant. Quod dici non potuisse a MORERIO, ea de causa persuasum sibi habet BÆLIUS, quod, præter unam ad RAPH. VOLATERRANUM, *Lib. XII Epp.* POL. obviam, haud ulla Græce scripta Epistola occurrat universum Epistolarum ejus volumen pervestigantibus. Quasi vero, quas Græce scripsit POLITIANUS, necesse sit, omnes ac singulas in illud Epistolarum corpus migrasse, nec causæ existere complures potuerint, quibus adductus, aut ipse POLITIANUS, aut Epistolarum ejus primus, quisquis is fuit, editor, (non enim ab ipso has POLITIANO publicatas, infra dicam,) unam aut alteram, argumento forte, aut scribendi ratione, paululum invisam,

invisam, vel cujus ipse apographum non habuit, sejungendam a reliquis putaverit. Quis neget, fuisse & Latine scriptas a POLITIANO, quas minime legas inter has, quæ sunt conjunctim editæ? Exstant in Collectione illa eruditorum ad POLITIANUM Epistolæ haud paucæ, quibus quid responderit POLITIANUS, nos quidem ignoramus, etsi humanitatis hoc officio destituisse viros sibi amicissimos minime omnium videatur. Nec desunt nobis ejus generis Epistolæ Latinæ, quas certissime a POLITIANO scriptas constat, etsi in illo Epistolarum Volumine frustra quærantur. Quidni & cum Græcis ita actum putemus, in quibus publicandis eo fuisse cautior videtur POLITIANUS, quo facilius erat in Græcis errare, quam in Latinis? Neque tamen erroris inde arguendus MORERIUS, quod celebrata eruditorum præconiis dixerit, quæ nunquam edita. Salva hujus Scriptoris causa est, si vel soli laudarunt illi, ad quos scriptæ, quibus lectitatæ & inspectæ, quibuscum communicatæ, Epistolæ. Atque, hunc fuisse omnino verborum MORERII sensum, facile mihi persuadeo; nec audiendum puto BÆLIUM, qui, subdola verborum interpretatione, non nisi de iis, quæ vulgatæ exstant, Græcis Epistolis sermonem ei fuisse, comminiscitur. Sed acutus est BÆLIUS, & ipsum fontem indicat, unde error iste MORERII emanaverit. In lectione VOSSII *de Hist. Lat. p. 628* (quidni ipsius VOLATERRANI *de Comment. urban. Lib. XXI. p. 246?*) incidisse eum ait in verba VOLATERRANI, a nobis jam sub *not. (b)* hujus §. prolata: *Mihi solebat Politianus Epistolas cum Græcas, tum Latinas, scribere, &c.* Sed quis error inde MORERII? Putabimusne, male ab eo factum, quod inhæserit his verbis? Immo vero optime putem. Scilicet, non unam, sed plures scripsisse Epistolas Græcas POLITIANUM, illius patet testimonio, ad quem fuerant scriptæ; vulgatæ vero num una plures fuerint, non hic versatur in quæstione, neque id MORERIUS, quantumvis ea de re objurgatus BÆLIO, ausus est affirmare. Age vero, fortius jam jugulabimus BÆLIUM. Is, si diligentius in lectione Epistolarum POLITIANI versatus fuisset, vidisset tam in ALDI MANUTII ad POLITIANUM, (*Lib. VII. Ep. 7,*) hujusque ad illum, (*Lib. VII. Ep. 8,*) quam in aliis

JO. FICI ad POLITIANUM literis, *(Lib. I Ep. 8,)* mentionem injectam Græcæ Epistolæ, scriptæ a POLITIANO ad EMANUELEM quendam ADRAMYTTENUM, hominem Græcum, de quo dictum est paucis sub *not.* (*h*) hujus §. Auget hæc maxime numerum earum, quas & scriptas a POLITIANO, & laudatas admodum ab eruditis, dixerat MORERIUS. Ipsius EMANUELIS de literis hisce judicium *l. c.* produximus. Iisdem prorsus laudibus has prosequitur MANUTIUS, dicitque *ornate, & docte, atque copiose, scriptas, quæque non a Romano viro, sed a mero Attico, qui Athenis semper fuisset, elucubratæ viderentur.* Nec ipse POLITIANUS nihil iis pretii tribuit in literis *ad* ALDUM. Quod facit, ut mirer partim, noluisse harum literarum usum posteris concedere POLITIANUM, partim doleam, de elegantia earum nihil a nobis proferri ipsis posse. De illis vero ad VOLATERRANUM, quæ inspicienti cuivis patent, ita judicamus, scribendi rationem mollem esse, & verborum tam delectu, quam facili ac inaffectata compositione, parum discrepare ab ea, quam in Græcorum Scriptorum, quos imitari jubemur, præstantissimis animadvertimus. Pulchre has & concinne, ut cetera, quæ in scriptis POLITIANI Græca occurrunt, vertit in Latinum sermonem JACOBUS TUSSANUS, utraque lingua doctissimus, ubi, dum justas boni interpretis leges studiose sequitur, id præcipue cavet, ne castas aures oratio Latina offendat. Sed de his plura forte *Sect. II.*

(*l*) Latet omnis, qua POLITIANUS inclaruit, Græci sermonis vis atque eruditio in Græcis potissimum ejus carminibus, quibus meruit Noster, ut *Atticus fidicen insignis, multiscius,* diceretur JAC. GADDIO *de Script. non Eccl. p. 135.* Hæc, in unum collecta Volumen, ad calcem *Operum* POLITIANI, eorum certe, quæ post annum 1495 prodierunt, locum invenere. Pauca sunt; sed nihil id officit eorum pretio, utpote quæ *ponderari, non numerari,* voluit POLITIANUS ipse in literis ad MATTHIAM, *Regem Pannoniæ, Lib. IX. Ep. 1.* Nec pauca tantum, sed breviora quoque, sunt, & limites illos habent, quos amant Epigrammata. Horum nonnulla ex Latino sermone in Græcum transtulit; cetera omnem ab ipso formam & gratiam suam habent. Est tamen in his, in quo nihil

hil juris habet POLITIANUS, quippe ab ALEXANDRA SCALA, BARTHOLOMÆI filia, & MICH. MARULLI uxore, compositum responsionis instar ad illa POLITIANI, in honorem SCALÆ, quam is tenerrime amasse dicitur, conscripta. Genus carminis, quo utitur in illis POLITIANUS, varium est. Nunc meris Hexametris, nunc Elegis, nunc Jambis, nunc & Hendecasyllabis, composita Epigrammata videas. Horum pleraque, ut ante dictum est, aut puer adhuc, aut juvenis, scripsit; atque hæc ipsa acumine & dictionis elegantia, vel ipso SCALIGERI in *Hypercrit. p. 802* judicio, vix superari ab illis putes, quæ ætate adultiore scripserat. Id vero præcipue mirandum videtur, non deesse in his talia, quæ ex tempore, & agitante quasi calescens Apolline, in via publica, aut mediis amicorum congressionibus, recitaverat. In quibus *ipsis*, ut verba sunt ZENOBII ACCIAJOLI, *Epigrammatum* horum Editoris, *ejusmodi multa sunt, quorum si facilitatem ac copiam reputaris, magni quidem ingenii Politianum, sed & multæ lectionis, fuisse, ostendant.* Hujus generis, ni fallor, octo, breviora tamen partem maximam, leguntur. Proferri hic merentur, quæ de mira hac POLITIANI facultate poetica scribit JO. BAPT. PIUS in *Annot. poster. Cap. 38: Sed quo, Dii boni*, inquit, *nitore, quo examine, versus Græcos pronuntiaverit, & ex tempore quandoque cuderit, supra fidei captum erit, si ausim prædicare.* Monuisse hæc generatim hic de Græcis POLITIANI Epigrammatis, sufficiat. Reliqua huc non pertinent, sed *Sectioni II*, quæ scriptis POLITIANI destinata est, reservanda ducimus.

(m) Ludit ita fortuna cum doctissimis eruditorum laboribus, ut nec laudatoribus eos destituat, nec vituperatoribus. Ut quisque judicio pollet & cognitione rerum, ut memoriæ viri bene cupit, ita judicantem cernimus. *Epigrammata* POLITIANI alii nimis deprimunt, alii ita extollunt, ut magis vix possint. Morosus admodum eorum æstimator est, ac de trivio fere sumta putat DAN. HEINSIUS in *Dedicatione*, præmissa *Peplo Græc. Epigr.* quod vide in ejus *Poemat. p. m. 328. Politianus*, inquit, *vir cœlesti præditus ingenio, — — ne quid Græcis ejus temporis concederet, quorum auditoria & famam jam invaserat, poetari quoque*

quoque lingua eorum voluit. Ceterum hæc quoque, pauca si excipias, quale est, quod in Emergentem Venerem conscripsit, & fortasse alterum, quod in Armatam, illo genio destituuntur, qui in antiquorum Epigrammatis elucet. Ut omittam, pleraque ne Græca quidem satis esse. Jam vero in temporibus & syllabarum modis ea sæpe alibi committit, quæ non raro in Latinis aliorum acerbe & crudeliter traducit. Nam, qui omnia licere Græcis arbitratur, næ profecto mecum & cum priscis Autoribus non facit. Ergo, nihil prorsus habere pretii *Epigrammata* POLITIANI, dicendum foret, si ab HEINSII, acutissimi alioqui Criticorum, id unice autoritate penderet. Sed habemus, quos opponere possimus viro docto, & quorum ille vix robur sustineat, gravissimorum Scriptorum bene multos. In his præcipuus est CASP. SCIOPPIUS, qui, *Græcos versus ea elegantia scripsisse* POLITIANUM, dicit in *Ep. ad* JUL. CÆS. CAPACCIUM, inserta ejus *Paradox. liter. p.34 seq. ut Græcorum nemini priores relinquere judicaretur.* Cui simile est judicium LIL. GREG. GYRALDI in *Dial. I de Poet. nostr. temp. p. 635. Opp. ejus T. II: Græca Epigrammata laude digna sunt; Græcos enim provocat.* JUL. CÆS. SCALIGER, Criticorum alioqui acerrimus, *tam bona* dicit POLITIANI *pueri Epigrammata Græca, ut ne virum quidem Latina æque bene scripsisse putet.* Quin CASP. BARTHIUS tanti fecit hæc *Epigrammata*, ut digna judicaret, quæ ipse Latinis numeris exprimeret. Vertit enim eorum *Decada*, *I in Invidum, II in Corydonem, III ad Carolum, IV ad Amicum, V ad Amicum, VI in laudem Sapientiæ, VII de morte Theodori Gazæ, VIII in eandem, IX in Demetrium, X in Carolum, ea quidem,* ut ipse putat, *elegantia, ut Latinis numeris numerosius transferre illa vix ausit quispiam.* Leguntur hæc in ejus *Adversar. Lib. XXI. Cap. 17. p. 1055.* Quæ scripserat POLITIANUS *in Venerem emergentem, in armatam Venerem, in Lacænam, in Organum, in Puerum, & in Hermaphroditum* Poetæ PULICIS, ea ipse speciminis loco, antequam in lucem ederet (id enim agitavit omnino, etsi his cogitationibus immortuus,) *Græcorum Epigrammatum* Volumen, miserat ANT. CODRO URCEO, homini in Græcis literis egregie versato, qui tunc temporis Bononiæ vi-

vebat

vebat non ſine magna nominis exiſtimatione, & omnium maxime idoneus putabatur a POLITIANO, ad ferendam de laboribus his ſuis ſententiam. Fecit id Noſter in literis ad CODRUM, *Lib.V. Ep.* 7. Reſpondit ei literis ſtatim ſubſequentibus CODRUS, & de *Epigrammatis* his tam ſenſit honorifice, ut *Græci facundiſſimi* laudes eo nomine tribuere POLITIANO non dubitaverit. Addit, omnes ineſſe illis Græci ſermonis lepores, *partes multas apte cohærentes, frequentiores dactylos*, parcius uſurpata in Hexametris verba longiora nimiſque extenſa, *ſententias* autem *fortaſſe argutiores*, quam in Græcis priſcorum Autorum animadvertere liceat carminibus. Laudat inprimis ſingularem in epithetis adhibendis vim ingenii, quæ ſatis eluceat in illo *ὄμφακα μαστὸν*, quod eſt in *Venere emergente;* verba etiam apte poſita, & proxima proximis eleganter reſpondentia, ut in illo *μόρον μόρος Epigrammatis in Hermaphroditum.* Acumen vero incredibile inveniſſe ſibi viſus eſt in ultimo verſu *Veneris emergentis*, ubi Poeta, Martem, fingit, ſi talem in vinculis habuiſſet Venerem, nunquam cuſtodia manuque terribilis Vulcani exiturum fuiſſe. Non diſplicent hæc, fateor, ſed quis credat, unius omnes palati eſſe lectores? A CODRO certe nihil diſſimulanter ſcriptum, facile credas, ſi legas verba: *Angele mi obſervande, non tibi blandior, ſed ex animo loquor: in aliis quidem non es Græcis inferior, in hoc vero etiam es (ut ſentio) ſuperior.* Impenſiſſime ideo rogabat POLITIANUM, ut in lucem quam primum exire juberet integrum, quem prelo deſtinaverat, *Epigrammatum* apparatum. Legi merentur integræ CODRI literæ, quæ in laudandis *Epigrammatum* virtutibus admodum ſunt copioſæ. Vide de his *Memoires Liter. T.I. P.II. p.*295, & *Menagiana T. III. p.*434. Fuit & aliud Criticorum genus, qui, Græca POLITIANI carmina in aliquo forte pretio habentes, in uno tamen vel altero aut ingenii acumen, aut Græci ſermonis deſiderarent elegantiam. PHILIPPUS MASSON in Diario *Hiſt. Crit. de la Rep. des lett. T. IV. p* 281 Epigrammatum POLITIANI tria peculiaribus de cauſis ſcripta nollet a POLITIANO. Iſta vero quæ ſint, quamve illis putarit ineſſe turpitudinem, hariolari nobis non licet, propterea quod paginæ, ab illo citatæ, in quibus legi hæc ait, minime reſpondeant

 edi-

editioni *Operum* POLITIANI, qua ipſe utor. Forſan amorem nimis laſcivum & indecorum redolere ipſi videbantur bina *Amatoria*, & quod *in Puerum* compoſuit. Nec frigent profecto, quibus ALEXANDRÆ SCALÆ blanditus eſt, ſed eſſe in his aliquid putarim, quod ſupra benevolentiæ & amicitiæ igniculos adſcendat. Illud in *Culicem*, quod in *Volumine Epigr.* ultimo apparet loco, acerrimum obtrectatorem habuit BARTHOLOMÆUM SCALAM, ſatis aſſuetum tunc temporis ignominioſis dicteriis, quibus famam POLITIANI proſcinderet. Suſceperat hic Noſter cauſam culicum tuendam, & fœminis magis amandos, quam viris, commendaverat, propterea quod Amoris Venerisque in blandiendo naturam imitarentur. Occaſionem huic *Epigrammati* dederat SCALA, cujus exſtabant verſiculi, neſcio quales, ubi *Culicem* muliebri genere uſurpaverat, cum maſculo deberet; uti patet ex literis POLITIANI *ad* SCALAM, *Lib. XII. Ep. 8.* Primo igitur SCALÆ miſit *Epigramma*, ſex Dyſtichis comprehenſum, idque eo inprimis, ut & pungeret hominem, & judicium ejus exploraret. Vid. *Ep. ejus cit.* Exacerbatus ille, & invidia correptus, miſere debacchari in POLITIANUM cœpit, & uno velut ictu omnem *Epigrammatis* gratiam ac dignitatem proſternit. En, quid reſponſi dederit POLITIANO: *Græcum Epigramma, quod ad me miſiſti, tanta inopia linguæ eſt Græcæ, vix verbis interpretor, nedum elegantiam perſpicere poſſim carminis, ſed puto, tuum eſt.* Claudit his verbis literas; ſed novas ſtatim irarum flammas concipit, novosque in *Culicem* impetus facit, hunc membratim diſcerpens ac dilanians. Non vero, ſi dicendum quod res eſt, tantum eſſe accuſationum robur videtur, ut non fortiora putanda ſint, quæ SCALÆ Epiſtola ſequenti POLITIANUS reſpondet. Sed nolumus immorari iis, quæ utrinque diſceptata ſunt; cum facile hæc, cui volupe eſt, ex mutuis utriusque Epiſtolis poſſit cognoſcere. Ita quidem de Græcis carminibus pro ſuo quisque ingenio, pro ſua erga POLITIANUM voluntate, judicat. Negandum autem minime videtur, vinci alterum ab altero, tam poetica inventione, quam Græci ſermonis copia. HEINSIO in eo aſſentior, quod *in Venerem emergentem*, & *in armatam Venerem*, *Epigrammata* ſuis non defraudanda ſint laudibus; ſed debebat

his

his omnino plura jungere. Quæ ſcripta ſunt ad ALEXANDRAM SCALAM, venuſtatis ſatis habent, verbisque & dictionibus maxime Græcis inſtructa ſunt. Gravis etiam eſt & compoſita illa ad Deum precatio, exquiſitæ illæ JO. ARGYROPYLI laudes. Nec amatoria, ſi Græcam facundiam ſpectes, poſtremo habenda loco putarim. De ceteris ita prudens quisque mecum judicabit, ſi non ad antiquitatis normam omni ex parte ſint compoſita, in illa tamen renaſcentium literarum infantia, cum ab homine ſcripta ſint peregrino, extra Græciæ quippe fines progenito, laudem non omnino nullam mereri. HEINSIO autem, tam rigide de illis ſentienti, ut ne grammatice quidem ſcripta putet, & in temporibus ac ſyllabarum modis ſæpius offendiſſe POLITIANUM contendat, cum primus hoc ei probrum objiceret, id maxime incumbebat, ut ipſis ſpeciminibus hæc nobis manifeſtiora efficeret, firmisque rationibus accuſationi ſuæ pondus adderet. Etenim fruſtra hi agunt, & autoritate, in qua verſantur vulgo, abutuntur nimis, qui, famæ magnorum virorum inimici nimis, multos eorum errores, multa abſone dicta, multa inficete, clamitant, quæ vero illa demum ſint, lectores conjectura jubent aſſequi. Equidem, non deeſſe, fateor, tales in Carminibus POLITIANI Græcis voculas, vel dictiones, ſyllabarumque menſuras, quarum ratio forte inconveniens, nec ad priſcorum Autorum elegantiam comparata, videri poſſit; ſed ita erat ingenium hominis, ut, ſive Græce, ſive Latine, ſcriberet, inſueta auribus, obſoleta inprimis, & apud Scriptores raro obvia, modo eſſent utique obvia, ſectaretur, quam par eſſet, ſtudioſius.

§. 10.

Ex inſigni hac Græcarum literarum cognitione recto fonte emanavit admirabilis illa POLITIANI in vertendis, quos priſcum tulit ævum, Græcis Scriptoribus (*a*) felicitas; quæ, communi eruditorum judicio, tanta fuiſſe dicitur, ut & ipſi ſplendidum ſummi interpretis

nomen (*b*) vulgo tribueretur, &, quicunque ad hoc ſcriptionis genus ſimili conatu ſe converterent, horum plurimi (*c*) infra POLITIANI longe collocandi ſubſellia putarentur. Quod negotium ut ex voto laudabiliterque ſuccederet POLITIANO, hanc ipſe ſibi legem ſcripſit, ut, quoad fieri poſſet, mentem Scriptoris ſenſumque verborum diligenter inveſtigaret, tumque concinna & ad naturam rei comparata oratione exprimeret. (*d*) Qua in re cum potiſſimæ, ſi recte judico, boni interpretis partes vertantur; his probe defunctum POLITIANUM dicet, quisquis pervolutandis ejus, ſive Græcis, ſive Latinis, interpretationibus aliquantum temporis & ſtudii tribuerit. Etenim mira id arte vir ille ſummus non ſolum in ſolutæ orationis Scriptoribus Græcis præſtitit, in quorum numero principem tenet locum Herodianus, (*e*) præclarus Hiſtoriæ Romanæ Scriptor, pura terſaque latinitate donatus, quem longo ordine excipiunt Epictetus (*f*) ac Theophraſtus (*g*), morum magiſtri, Alexander Aphrodiſeus, (*h*) acutus Problematum Phyſicorum artifex, Plutarchus, (*i*) jucundus eorum, quæ ab amantibus geſta ſunt, narrator, Plato, (*k*) autor Dialogi, qui Charmides inſcribitur, Athanaſius, (*l*) pius carminum Davidicorum explanator, aliique

que forte; (m) ſed, quod magis mireris, ad Poetas etiam Græcos pari induſtria converſus, Homeri libros nonnullos, (n) Moſchi carmen in Amorem fugitivum, (o) Callimachi in Lavacra Palladis Elegiam, (p) Sibyllæ de Ludis ſecularibus præcepta, (q) & alia aliorum Epigrammata, (r) Latinis verſibus, ſervato eodem carminis genere, eademque menſura, perſpicue admodum eleganterque interpretatus eſt. Nec id unum egit, ut Græcos Latine redderet, POLITIANUS, ſed, eandem ex Latinis captaturus gloriam, vetuſtioris Poetæ Pulicis de Hermaphrodito (s) Epigramma, hujusque generis alia, ſive ſua, ſive aliena, (t) breviora cumprimis, in Græcos numeros tranſtulit haud infeliciter. In his vero, vel Græcis, vel Latinis, interpretationibus etſi altera alteram elegantia & dictionis robore omnino ſuperet; hoc tamen æquiore lectorum judicio dignæ videntur ſingulæ, quo rariore exemplo ad tam multiplices variosque labores primus fere atque unus POLITIANUS ingenium operamque contulit.

(a) Non poſſum non in limine ſtatim hujus §. miſerabilem BAILLETI caſtigare ignorantiam, qui, certiorem facturus lectorem de verſionibus POLITIANI, in *Jug. des Sav. T. II. P. III. Art. 817. p. 313 ed. nov.* dupliciter Lectorem fallit, & luculenter oſtendit, quam parum ipſi fidei habendum ſit, eruditorum vitas & ſcripta enarranti. Verſiones non niſi binas, easdemque falſo ex parte, commemorat; Latinam nempe HERODIANI,

& *Idyliorum* MOSCHI. Poterat autem vel ipſa *Operum* POLITIANI inſpectione edoceri BAILLETUS, nec verſionum POLITIANI numerum tam fuiſſe exiguum, nec niſi bina *Idyliorum* MOSCHI, *in Amorem fugitivum & arantem* nempe, Latine a POLITIANO reddita, quæ reliquis majoris momenti interpretationibus, a Noſtro concinnatis, vix præferri merebantur. Eundem BAILLETI errorem reprehendit BERN. DE LA MONNOYE in *Not. ad* BAILL. *l. c. n. 6*, qui tamen ipſe in eo fallitur, quod unum tantum, in *Amorem fugientem*, MOSCHI *Idyllion* Latino ſermone donatum a POLITIANO doceat. Videntur autem in hunc errorem induxiſſe BAILLETUM verba PETRI NANNII *Lib. I. Συμμικτ. Cap. 3*: *Pro exemplo eſſe poſſet A. Politiani Moſchus, ubi verbum verbo, &c.* Ad hunc ipſum enim Scriptorem dicta ſua refert in *Notis* BAILLETUS.

(b) Magni facit POLITIANI in vertendo *facilitatem* & *ſimplicitatem*, *ſummumque in vertendo artificem* dicit ERASMUS in *Ep. ad* NIC. MALLURIUM, quam vid. in *Collect. Epp.* ejus *Lugdunenſi p. 1389*. *Summus*, inquit, *in vertendo artifex eſt Angelus Politianus. Mihi in vertendo ſemper placuit fidelis & erudita ſimplicitas.* Nec deſunt alii, qui ſummis laudibus celebrarunt, qua excelluit Noſter, interpretandi artem, ut LUDOV. VIVES *Lib. IV. de Tradend. Diſcipl. p. m. 577*: *Politianus in vertendo opus ſuum facit*; & HUETII, aliorum magis, quam ſuum, proferentis judicium, præclara ſunt verba *Lib. VI. de Interpr. p. 207*: — — *Hos conſecutus eſt Ang. Politianus, homo non unus e multis, ſed cum paucis potius comparandus; in omni pæne facultate, quæ virum eruditum deceat, ſuæ princeps ætatis, in ſcribendo vero potiſſimum. Hinc adeo in interpretationibus cum Autore ſuo non certat modo, ſed eum etiam ſæpe ſuperat; ut Eraſmus ipſe, ejusmodi lucubrationum egregius ſpectator, ſummum eum artificem dicere non dubitarit.* Addo his, qui nullum in hac arte parem POLITIANO credit, JO. HENR. BOECLERUM, in *Hiſt. univ. IV. prim. Sec. p. 279*, & in *Bibliogr. Crit. Cap. 10. §. 4. p. 255. ed.* KRAUS, ita judicantem: *Politiano merito in verſionum nitore palma danda eſt.* Quæ, de verſionibus POLITIANI univerſis cum maximo

præco-

præconio prolata a viris doctis, ad laudes singularum præparare possunt Lectores nostros. Earum enim haud est ulla, quæ non laudatores invenerit prorsus innumerabiles.

(c) Viros doctrina maximos & in re literaria principes inter se comparare, &, quis alteri præferendus sit, definire, mei res non est ingeniosi; sed fecerunt id alii, quorum judicia, per me licet, expendat, cui placet. GUIL. BUDÆO, magnæ alioqui famæ & in his literis doctrinæ viro, & in scriptis suis Nostrum pessime habenti, in Græcis vertendis longe præfertur POLITIANUS *a* FRANC. FLORIDO SABINO in *Lect. Subcis. Lib. II. Cap. 8,* ubi ita: *In Politiani certe scriptis major apparet, quam in illius* (BUDÆI) *operibus, ingenii vis, major Latinæ linguæ candor. Nam in Græcis vertendis Noster multo fuit felicior. &c.* Eidem BUDÆO ita POLITIANUM anteponit ERASMUS, ut *illum* dicat *huic viciniorem, l. c.: Budæus vicinior est Politiano.* SIGISM. GELENIUM, GUILLELMUM XYLANDRUM, & FRIDERICUM SYLBURGIUM, notissimos Scriptorum Græcorum interpretes, longe anteisse POLITIANUS in sua HERODIANI versione dicitur ANT. BORREMANSIO in *Var. Lect. Cap. 11. p. 121.* Quin, nec GEORG. ACAC. ENENCKELIUM, quem constat mira Liviani stili venustate THUCYDIDIS Historias in Latinum transtulisse, nec ISAACUM CASAUBONUM, POLYBII *Historiarum* libros miro labore ac studio interpretatum, ad illam, quæ POLITIANI HERODIANUM ornat, elegantiam accedere, judicat JO. HENR. BOECLERUS in *Bibliogr. Crit. Cap. 10. §. 4. p. 256 & 259 edit.* KRAUS.

(*d*) Præcipuas, quis nescit, boni interpretis partes esse, primum ut Autoris mentem accurate, deinde ut concinne & ornate, exprimat. Oportet igitur, non Græci minus, quam Latini, sermonis esse peritissimum. In lectione Græcorum Scriptorum ita esse versatum volo, ut varios multiplicesque verborum significatus in numerato habeat, multiformes dictionum juncturas nervosque familiares sibi reddat, quæque peculiaris esse cuique Scriptori solet, scribendi rationem probe habeat cognitam. Latini vero vim sermonis ne simul nesciat,

nesciat, ideo requirimus, ne, quam satis assecutum se putat, Autoris mentem vocibus reddat aut dictionibus ineptis, & ad rem ipsam parum accommodatis, aut Græcum magis, quam Latinum, verborum ordinem instruat, sed linguæ cujusque probe distinguat genios, & eandem Autoris Græci gravitatem, eosdem lepores, Latino indutos habitu, præ se ferat. Arctioribus nolim limitibus artem interpretandi circumscriptam. Quod enim tam rigidis legibus interpretandi officium adstringunt nonnulli, ut minutissima quæque Autoris verba, quæ nihil prorsus ad rem spectant, quæque supervacanea dicere possis, leviores omnes voculas & literarum apices, religiose observandos doceant interpreti; in eo & morosi nimis, & in Latinæ linguæ dignitatem quodammodo injurii, videntur. Indulserim hanc iis severitatem, ubi, retentis singulis, Latinæ dictioni suum constare robur possit. At, cum Græcæ Latinæque linguæ non eadem sit, ut constat, ratio, vocesque sæpius in Græca oratione adhibeas, quas in Latina frustra; Græco, non Latino, ore loqui interpretem jubent, qui eandem in omnibus sermonis indolem, eandem servari compositionis rationem, postulant. Similiter veniam facile dederim interpreti, quæ exulabant in Autore Græco, voculas, quin & dictiones integras, menti Scriptoris nihil adversas, pondus tamen & suavitatem Latino sermoni afferentes, dictionis causa in interpretationem inferenti. Quæ præmonenda hic ea de causa duximus, ne, si quis forte recessisse interdum POLITIANUM, in HERODIANI inprimis interpretatione, a verbis Scriptoris Græci, nec eundem dicendi ordinem secutum, animadverterit, remotum statim ab accurati interpretis gloria contendat, artisque hujus imperitum existimet. Non enim poterat aliter homo Latinus, cui, quicquid Latine scriberet, pure, caste, & eleganter, scribendum erat.

(e) Nitidissima omnium, quæ POLITIANI debentur industriæ, interpretationum, fatentibus peritis omnibus, illa HERODIANI est, Scriptoris gravissimi, cujus *octo*, quos *de Historia Romana* scripsit, vulgo *Libri* exstant. Discas ex hac artificem, &, quid valeat hoc scriptionis genere POLITIANI ingenium, intelligas. Defixi statim in illa, simul ac prodiit, Italorum oculi stetere, tantaque eam admiratione excepere omnes, ut, quanto quisque eloquen-

eloquentior, tanto in illius laudibus copiosior esset. Scatent his eruditorum ad POLITIANUM Epistolæ, nec eæ semper adulationis fucum redolent. Instar omnium esse potest illa AUGUSTINI MAFFEI, (*Lib. VI. Ep. 6. Epp.* POL.) cujus inexsatiabile fuerat videndæ versionis desiderium. Nos pauca inde delibabimus; etsi legi mereatur integra. *In Herodiani tui*, inquit, *historia, præter elegantiam concinnitatemque sermonis, ac sententiarum varietatem, illud inprimis non solum præcipua laude, sed esse singulari admiratione dignissimum conspicatus sum, quod concionibus adeo crebris, adeo sublimibus, abundat, ut in ea parte insignis ipse historiarum scriptor, Herodianus, Cornelio Tacito nostro ne primo quidem loco cessisse videatur. In quo non minor profecto laus tua & felicitas esse debet, cum in eo vertendo opere illud plane fueris assecutus, ut, servata ubique veræ historiæ majestate, nihil, quod ad candorem, ad sublimitatem, ad decus, Romani sermonis, aut ad sententiarum gravitatem, vel totius operis ipsius concinnitatem, pertineat, aut requiri abs te, aut desiderari posse ullo modo videatur.* Simili verborum gravitate laudes POLITIANI, eleganti HERODIANI versione partas, concelebrat MICH. ACCIARIUS, Utianensis, in *Ep. ad* POLITIANUM, *Lib. XII. Ep. 23. Epp.* POL.: *Præterirem Herodianum; sed ecce mihi iratus aurem vellit, qui se ait in Latinum te duce honestissime translatum. Itaque in Romanam civitatem omnibus quasi punctis allectum, ut pene patrii sermonis oblitus, melius multo latine libentiusque loquatur.* Ipse vero Pontifex Max. INNOCENTIUS VIII, cui laborem hunc esse sacrum jusserat POLITIANUS, explorato peritorum hujus artis judicio, non solum dignum judicavit in literis ad POLITIANUM, *Lib. VIII. Ep. 2*, cui ducentorum aureorum præmium decerneretur, sed honestissimo etiam eundem ornavit elogio, ac *tum propter rei novitatem, tum quod doctrina & ingenio ita cultus esset multorum judicio, quos apud se doctos habebat, ut Bibliothecæ suæ magnum ornamentum esset allaturus, gratissimum* sibi librum dixit. Pari gratia idem Pontifex POLITIANUM complectitur in literis ad LAURENTIUM MEDIC. *Lib. VIII. Ep. 3. Epp.* POL. Hos vero, quos famæ suæ inimicos habebat POLITIANUS, perspecta hujus interpretationis concinnitate,

 tam

tam male ea res habuit, ut, omni, quam conceperant olim, ejus reprehendendæ ſpe deſtitutos ſe intelligentes, aliunde peterent obtrectandi materiam, &, alienum hunc eſſe, non POLITIANI, laborem, imprudenter perſuadere eruditis conarentur; de quo non eſt hujus loci plenius diſquirere. Conf. interim ADR. BAILLETUM in *Jug. des Sav. T. II. P. III. Art. 817. p. 313. ed. nov.* Nec vivente tantum POLITIANO in elegantiſſimis habuerunt hanc HERODIANI interpretationem eruditorum multi, ſed, plures in dies laudatores nacta, poſt illius etiam mortem, inter labores præclariſſimos eminuit, nec noſtris temporibus ore doctorum virorum celebrari, & tanquam exemplar, quod imitentur, rectioribus ingeniis proponi, deſiit. *Herodianum*, inquit JOVIUS in *Elog. Cap. 38. p. m. 73, Romane loquentem publicavit, cunctis haud dubie erepta laude, qui id generis munus ante ſuſceperant. Luculentam* hanc *verſionem* G. J. VOSSIUS *de Hiſt. Lat. Lib. III. Cap. 8. p. 628, optimam, ac ſupra, quam dici poteſt, elegantem*, ANT. BORREMANSIUS in *Var. Lect. Cap. 11. p. 121, ſatis pulchram terſamque* judicat JO. BURCH. MAJUS in *Obſervat. ad* MORHOF. *de Epiſt. conſcrib. rat. Cap. 4. p. 127.* Quibus accedit Polyhiſtor incomparabilis, CONR. SAM. SCHURZFLEISCHIUS, in *Colleg. Stili MSto*, ubi, *Politianus*, ait, *Herodianum in Latinum vertit, qui certe optimus ob ſtili elegantiam.* Utrum POLYBIO, an HERODIANO, venuſtior interpres contigerit, definire, ſi VARILLASIUM audias in *Anecd. de Flor. Lib. IV. p. 195*, huc uſque auſus eſt nemo. At auſus id eſt BOECLERUS, ut dixi ſub *not. (b)*, qui, meliorem HERODIANO obtigiſſe, contendit. Fuit autem BOECLERUS maximus interpretationis hujus & præcipuus admirator, eoque majus huic cauſæ afferre pondus poteſt ejus autoritas, quo elegantiore in his literis eruditione fuit. Frequentiorem illius in ſcriptis ſuis mentionem facit, maxime vero ſub finem *Annotatorum in Herodianum*, a ſe editum, ubi totus eſt in enarrandis interpretationis hujus virtutibus. Pertinent huc illa inprimis: *Prorſus egregie factum eſt, quod elegantiſſimus ſcriptor Herodianus elegantiſſima interpretatione a Politiano in Latinum converſus eſt: nec minus præclare ceſſit, quod Henr. Stephanus multa induſtria typisque mundiſſimis utriusque curas publicavit.* Et paulo poſt: *Videtur una Politiano cura*

fuiſſe,

fuisse, si Latina elegantia posset, etiam in versione cum Græca Herodiani venustate certare; adeoque plus, quam translationis, nomine æstimari. Quod quidem ita illi successit, ut rectissime de Herodiano translato judicaverit Ludovicus Vives, non ab homine Græco videri genitum, sed a Latino. Taceo reliqua. Quin fuerunt etiam, qui superatum a POLITIANO suavitate sermonis ipsum HERODIANUM crederent,& majorem in Latina, quam Græca,dictione elegantiam animadverterent. Sententia hæc fuit FRANC. BENCII, sicut patet ex *Ep.* ejus ad MARIUM BONCIARIUM, quam vide in hujus *Epist. Vol. I. Lib.III. Ep. 36. p.m. 195: Sic loqui desiit Herodianus inter Græcos, ex quo illum Angelus Ethruscus docuit melius Latine.* Cui simile fuisse judicium ERASMI in *Dial. Ciceron.* refert ADR. BAILLETUS *l.c.* sed locum invenire non potui. Hic ipse vero BAILLETUS, si forte fortuna contigisset, ut scriptor Græcus, HERODIANUS, oculis hominum subduceretur, POLITIANUM, putat, facili negotio impetraturum fuisse, ut sua in illius locum interpretatio substitueretur,eidemque vetustatis gloria tribueretur. Nec ipse aliter potuit HENR. STEPHANUS, parcus alioqui versionis hujus laudator, quin honorifice scriberet in *Præfat.* ad HERODIANUM: *Quantus vir fuerit Politianus, cum alia pleraque ejus scripta ostendunt, tum vero hæc ipsa Herodiani interpretatio. Ejus enim sermonem, si plerisque in locis cum Græcis Herodiani certare dixero, non dubito, quin assensores sim habiturus, quicunque judicio valent.* Et habuit sane proprium hoc sibi decus POLITIANI interpretatio, ut nihil in ea adsciti leporis, nihil affectatæ dictionis, a qua nesciunt plerumque satis sibi cavere interpretes, lectorem offendat, sed æqualis ubique gravitas, æqualis venustas, servata sit, quæ facile in eam adducere te sententiam possint, si vel ipse ad scribendam Historiam Romanam animum appulisset, vix scribi ab eo elegantiorem potuisse. Idem mecum sentit DEGOREUS WHEAR *de rat. & meth. leg. histor. Sect. 22. p.m. 90. Legat igitur,* inquit, *censeo, sive græce, sive latine, hunc Autorem; nam haud scio, uter majorem laudem mereatur, Herodianusne, quem in lingua sua ubere vena fluere non negaverim, an Politianus, qui Herodiani scripta tanta felicitate interpretatus est, ut non transtulisse, sed ipse composuisse,*

poſuiſſe, videri poſſit. Concinunt cum his verba JO. LUD. VIVIS, quæ refert CONR. GESNERUS in *Bibl. Univ. p. 318. B.*: *Herodianus Autor candidus ex ſe ac facilis eſt: ſed ea gratia Politianus tranſtulit, ut non ab homine Græco videatur genitus, ſed a Latino.* Unde, ſi de dictionis genere, quo uſus hic POLITIANUS, ferendum ſit judicium, facile aſſentiar JO. FRANC. PICO, cui TULLIUM LIVIO adglutinaſſe in vertenda HERODIANI Hiſtoria POLITIANUS videtur in *Ep. ad* GIB. BARB. *Lib. III. Epp. ejus Ep. 10.* Sicut enim non fuit ex eorum numero POLITIANUS, quos ſervum peeus imitatorum dicere cum HORATIO poſſis, ſed, quicquid in ſingulis Autoribus venuſtatis eſt & elegantiæ, id imitandum ſibi duxit; ita & in hoc labore, ubi Hiſtorici æque, ac eloquentis viri, partes ſuſtinebat, nec ampla nimis, nec nimis conciſa, oratione uſus, abundantem CICERONIS gravitatem cum LIVII concinnitate, quin & cum aliorum quorumvis Scriptorum lepore & facilitate, egregie conjunxit. Quantas quantas autem eruditorum laudes tulerit ſermonis robore & caſtitate hæc interpretatio, non defuere tamen, qui, omnium verborum apices curioſius examinantes, Græcis non ubique reſpondere Latina, nec interpretis hic, prout par erat, functum officio POLITIANUM, contenderent. Horum præcipuus vehementiſſimusque fuit HENRICUS STEPHANUS, Typographus in Gallis haud ignobilis, quem conſtat HERODIANI Hiſtorias cum ipſa POLITIANI verſione typis nitidiſſimis excudendas curaſſe. Is, ut præſtitiſſe plus, quam ſolent vulgares librorum editores, videretur, & aſperitatem ingenii ſequeretur, acerbioribus verbis laborem POLITIANI perſtringere, nec molli ſatis brachio interpretem noſtrum auſus eſt objurgare. Fecit id non ſolum in *Præfatione*, HERODIANO ſuo præmiſſa, ampliſſimo harum obtrectationum campo, ſed per ipſius quoque libri ſingulas fere paginas, ubi nunc omiſſa multa, nunc contra mentem Autoris addita, nunc Græco, nunc Latino ſermoni minus accommodata, incredibili, quam amat Criticorum ordo, audacia lectorum ante oculos exponit. Quin & peculiari libello, cui titulum fecit *de fidei interpretis officio*, quem THEOD. JANS. AB ALME-

LOWEEN

LOWEEN in *Diss. de Vitis Stephan. p. 92* nihil differre putat ab illo, quem de toto interpretandi genere meditatus dicitur, POLITIANUM depugnandum sibi sumsit. Quæ etsi ita comparata sit accusatio, ut cœcum esse oporteat, qui non odio plus, quam veritati, hic datum animadvertat; inventus tamen est, qui commendaret maximopere conatum STEPHANI, Gallo favens Gallus, PETRUS DAN. HUETIUS, (frustra enim a BAILLETO *l. c.* citari videas ISAACUM CASAUBONUM, quem talia loquentem tantum fingit HUETIUS, sicut jam monuit BERN. DE LA MONNOYE in *Not. ad* BAILL. *n. 3,) Lib. II. de Interpretatione*, qui est *de Claris Interpretibus, p. 267*, ubi, quod risum movere potest, in dictionis genere POLITIANEÆ nimiam concinnitatem reprehendit, Græcosque errores ideo, quod STEPHANO ita visum fuerit, acerbe notat. En verba ejus: *Id genus multorum movit approbationem; at non proinde meam, nec, ut spero, item vestram; morigeram enim & ad imitandum accommodatam orationem, non circumfluentem, & altius exaggeratam, interpretem, non Oratorem, postulamus. Multa adhæc viro magno humanitus excidisse, si dixero, id socer meus in suis in Herodiani interpretationem Animadversionibus comprobabit.* Cum his facere videtur idem, cui laudatam modo diximus hanc versionem ob stili elegantiam, C. S. SCHURZFLEISCHIUS in *Schurzfleischianorum*, (si quidem hæc vere *Schurzfleischiana*,) ante paucos annos vulgatorum, *Spec. III. p. 34*, ubi hæc leguntur: *Herodianus scriptor Atticus & elegans, & eleganter a Politiano conversus — — sed, dum stili ornatum consectatur, mentem Herodiani interdum non est assecutus interpres, quod boni interpretis munus requirit*; &c. & ibidem: *Etiam Politiani interpretatio Herodiano nihilo inferior est, si veneres Latinas specto, tametsi Græcis fontibus non semper respondet.* At non defuere causæ POLITIANI patroni sui. *Aliter*, inquit TH. CRENIUS in *Animadv. Philol. & Hist. T. III. p. 51, catuli longe olent, aliter sues.* Contra STEPHANUM fortiter stetit ingens illud Germaniæ decus, BOECLERUS, qui, diligentissime versatus in lectione hujus interpretationis, id facile assecutus est, ut, in plerisque aut falsum prorsus, aut certe parum benignum, fuisse STEPHANI judicium, sicque cum HERO-

DIANO æque, ac ejus interprete, injustissime actum, appareret. Succensentem tantæ STEPHANI audaciæ BOECLERUM videas inprimis *l. c.* ubi, postquam pro merito laudavit STEPHANI in edendo HERODIANO, tam Græco, quam Latino, industriam, addit statim: *At, quod idem ille doctissimus vir* (H. ST.) *Politiani versionem, cui similem hactenus in nullo Scriptore habemus, tot castigationibus non necessariis in ordinem redigere conatus est, id ego nec ex Græci scriptoris, nec ex Latini interpretis, merito arbitror accidisse.* Utque fortius compesceret hominis licentiam, & re ipsa convelleret, quæ in POLITIANI versione Criticus ille reprehenderat; ipse curam convertit ad novam HERODIANI versionem, eamque ita instruxit, ut non solum, quæ STEPHANUS interpolandi & emendandi causa interpretationi POLITIANI adsperserat, ab illa abesse jusserit, sed peculiares etiam, easque eruditissimas, in STEPHANI Examen versionis hujus Animadversiones subjunxerit. In quibus hoc egit potissimum, ut, per singula eundo Criticarum Observationum, quas STEPHANUS vulgaverat, capita, ostenderet, in interpretandi arte nihil sani expectandum a judicio STEPHANI, utpote qui Græce, quam Latine, longe fuerit doctior. Unde &, quos ipse ediderit, Autores culpa ejus pessime sæpius sint depravati, nec immerito dicendum sit, eruditas rationes, quas secutus sit in vertendo POLITIANUS, minus perspectas a STEPHANO fuisse. Mentem BOECLERI discas ex ipsius verbis in *Hist. univ. Sec. IV. prim. p. 279*: *Henr. Stephanus in præstantissima sua editione subinde voluit corrigere versionem Politiani, sed ridendum se præbuit, cum eruditas rationes, quas Politianus secutus est, non intellexerit: sicut vir fuit Græce, quam Latine, doctior.* Et in *Animadversionibus in H. Steph. Examen,* HERODIANO ejus annexis: *Efficit equidem tam critica manus, ut dicendum mihi nunc sit, quod, nisi instituti ratio efflagitaret, nollem dictum: Henricum Stephanum tum alibi, tum hic præsertim, prodidisse, se minus Latine, quam Græce, eruditum. Ut taceam, quod de Latino proposito ne ullam quidem videtur cogitationem suscepisse.* Legat vero, cui in his litibus arbitrum agere placet, ipsas, quæ huc maxime faciunt, BOECLERI Animadversiones. Certe non primus fuit BOECLERUS, qui

dili-

diligentiam in STEPHANO, & Latinæ linguæ cognitionem, desideraret. Modestius hæc ab eo dicta putet, qui legerit, quæ in *Scaligeran. prim. p.55* hanc in rem scripta leguntur: *Lexicon Erotiani exstat Genevæ apud H. Stephanum, apud quem invenias Autores mire depravatos, quippe qui, φιλαυτία laborans, temere, quicquid displicet, immutat, & corrumpit.* HUETIO autem, contrariam maxime in partem eunti, STEPHANUMque omnium fere principem interpretum judicanti, *Lib. II. de Interpret. p.214* nimius erga Gallos affectus oculorum quodammodo hebetasse aciem videtur. Ex BOECLERI qui starent partibus hac in causa, fuerunt sat multi, in quibus potissimos existimo ANT. BORREMANSIUM *l.c.* TH. CRENIUM in *Animadv. Philol. P. III. p.51 seq.* JO. FABRICIUM in *Hist. Biblioth. suæ P. VI. p. 233 seq. §.59.* Conf. etiam A. BAILLETUS *l.c.* & T. J. AB ALMELOWEEN *l. c.* Cum HUETIO vero atque SCHURZFLEISCHIO disputationem ingredi nullam licet, propterea quod accusationem suam nec testimoniis, nec argumentis, ex re sumtis, confirmarunt, sed STEPHANI ille, hic sua, autoritate, qua frustra utimur in re literaria, dicta suffulsit. Prodiit vero aliquot ante annos novus, qui STEPHANI causam ageret, & sopitam dudum suscitaret controversiam, laudum POLITIANI obtrectator, Autor nempe *Bibliothecæ novissimæ Observationum ac Recensionum*, Halæ olim editæ, qui *Sect. IV. n.2* singulari Dissertatione *Defectus ac nævos, quibus Herodiani versionem, ab Angelo Politiano adornatam, quamplurimis scatere* credidit, ostendere conatus est. Ridiculum Lectori sub illius statim initium videri potest, mirum in modum blandiri POLITIANO, & elegantissimi interpretis ei gloriam concedere Autorem, mox tamen, mutata fronte, immensos errores clamitare, in vertendo HERODIANO commissos, in defectus & verborum compendia debacchari, fidem interpretis & industriam desiderare, atque sexcenta proferre specimina, unde mala mens interpretis cognosci possit. BOECLERUS, qui in sua HERODIANI editione neque emendaverat, quæ emendanda putat Autor in POLITIANI versione, neque lacunas expleverat, ipsi minus recte in eo fecisse videtur. Eodem ex parte laborare vitio editionem HERODIANI *Sheldonianam* dolet, quam-

quamvis in reliquis BOECLERIANA, ut ipſi videtur, accuratiorem. Tum magnum opus aggreditur, &, oſtenſurus defectus nævosque verſionis, priores HERODIANI *Libros quatuor* percurrit, & ex ſingulis, quæ in rem ſuam putat facere, ſtudioſe adducit. At, qui totus in eo eſt, ut malam POLITIANO fidem exprobret, ipſe eandem facile apud Lectores ſuſpicionem incurrit. Promittere in rubro alia, alia in nigro exhibere, dubito, an ſit viro bono dignum ſatis. Dum totus eſt in defectibus enumerandis Autor, non, quos oſtenſurum ſe promiſerat, nævorum recordatur. Igitur, quod unum præ ceteris expoſcebamus, in eo maxime fallit expectationem noſtram. Quodſi autem fortaſſe nævorum vocabulo ipſos, quos retulit, defectus complexus eſt; vereor, ne multi id factum ab eo arbitraturi ſint inhumanius. Non erraſſe hunc ſtatim dicimus, quem omiſiſſe quædam, forte non ſine cauſa, animadvertimus; nec, qui ſupplevit Scriptorem, is ab erroribus eundem purgaſſe dicitur. Quod vero ad defectus illos, hi non tam vitio vertendi POLITIANO, quam ſtili elegantioris ſtudio, cui operam dedit in hac verſione Noſter, aut codici Græco, quo is uſus eſt, valde mutilo & depravato, imputandi erant. Non hæc pluribus contra Autorem diſputari neceſſe eſt; quandoquidem egregie POLITIANI adverſus eundem cauſam egit Vir celeberrimus, JO. GOTTLIEB. KRAUSIUS, in *Novis Literariis*, Latine editis Lipſiæ, *A. 1719. n. 6. p. 64 ſeq.* ubi pleraque, quæ ſupplenda Autor duxerat, ita dicit comparata eſſe, ut vix ipſe, ſi in conſilium vocari poſſet, agniturus has lacunas POLITIANUS videatur. Etenim, cum id præcipue operam dederit in vertendo HERODIANO, ut, quantum poſſet, eleganter omnia & Latine verteret, nec tam ſtudioſæ pubi, quam maturioribus ingeniis, conſuleret, fruſtra negligentiæ POLITIANUM accuſari iis in locis, ubi, quæ omiſſa ſunt, manifeſtum ſit, ſtili & concinnitatis cauſa omiſſa eſſe. Faciet cum KRAUSIO, quicunque diligentius expenderit ſingula, quæ ſpeciminis loco memoratus Autor ex HERODIANO protulit. Non latius illa percurro; in principio hærenti prima ſtatim, quæ ex *Lib. I. Cap. 8.* HERODIANI petita ſunt, hanc notam habere videntur. Quid opus erat, ut affinitate junctus COMMODO POMPEJANUS diceretur, cui jam COMMODI ſororem in matri-

matrimonium datam dixerat POLITIANUS? Quidni paucioribus verbis comprehenderet, quæ amplioribus non indigebant? In iis, quæ deinde ſequuntur, quæque deſumta ſunt ex *Libri ejusd. Cap. 16*, conferas, quæſo, Lector, POLITIANI verſionem cum illa Autoris, &, utra magis ſit accommodata delicatis auribus, hæcne verbis abundantior, an illa circumſcriptior, disquiras. Dubito, an dormitantem hic, quod ait Autor, Homerum ſis inventurus. De multis ita ſentio, neutiquam de omnibus. Unde Celeb. KRAUSIO, qui *l.c.* mecum hac de re conſentit, injuriam fecit, quisquis *Parte XV* Diarii: *Vermiſchte Bibliotheck, p. 267* in hac verſari eum ſententia putavit, in ſingulis, quæ adduxerat Autor ille *Bibliothecæ*, HERODIANI locis, dedita opera voces quasdam aut ſententias a POLITIANO neglectas. Convellere hanc accuſationem ipſa, quibus uſus fuerat KRAUSIUS, verba poterunt. Qua de re ipſe mentem ſuam clarius expoſuit in *Novis Literar. German. A. 1719. n. 81. p. 646. in not.* Negare enim vix quisquam auſit, omiſſa interdum a POLITIANO talia, quæ ſupervacanea haudquaquam videbantur, ſed ad res geſtas ſpectabant, quarum ne ſit negligens, cavendum eſt interpreti. Igitur hic aut muneris ſui non ſatis memorem fuiſſe POLITIANUM dices, aut, ſi æquior placet ſententia, culpam in mutilum & corruptum, quo uſus eſt ille, codicem HERODIANI Græcum conjicies. Meminit hujus ipſe, & multo labore a ſe emendatum dicit in *Ep. ad* ANDR. MAGNANIMUM, verſioni HERODIANI præfixa. Finge, in hoc ipſo corrupte ſcripta, aut omiſſa plane fuiſſe, quæ in verſione POLITIANI deſiderantur; parcius & hæc ipſa profecto viro bono objicienda putabis. Atque hac ratione fides conciliari poteſt verbis POLITIANI, quæ de ſuo ipſe labore profert in *Ep. ad* INNOCENTIUM VIII, verſioni itidem præmiſſa, unde ſcilicet omne, quo uſus eſt in vertendo HERODIANO, conſilium cognoſci poteſt. *Quæ ſane*, inquit, *noſtræ fuerunt partes, tentavimus profecto, utinamque etiam effecerimus, uti omnia ex fide reſponderent, ne inepta peregrinitas, ne græculæ uſquam figuræ, niſi ſi quæ jam pro receptis habentur, Latinam quaſi polluerent caſtitatem, ut eadem propemodum eſſet linguæ utriusque perſpicuitas, eædemque munditiæ, idem utrobique ſenſus, atque indoles, nulla vocum moroſitas, nulla anxietas.* Ceterum, rebus ita comparatis, POLITIANI interpre-

tationem, consultius duxerim, singulari libello, Scriptoris Romani habitu, quam, ut vulgo fieri cernimus, cum Græco HERODIANI, edi. Visum & ita KRAUSIO *l. c.* cui, rem eam docte edisserenti, quis non assensum præbeat? Cum enim addi Autoribus versiones in commodum maxime juventutis soleant, literis Græcis parum adhuc excultæ, quæque verborum singulorum, etiam minutissimorum, accuratam sibi dari interpretationem postulat; multum dubito, an is fructus expectari teneris ingeniis ab ea interpretatione possit, quæ, unice studens elegantiæ sermonis, non tam verba, quam mentem Autoris expressam exhibet. Quin potius operæ pretium facturum existimo cum KRAUSIO, si quis novæ hujus Autoris interpretationi manum admoveat, hancque ita instruat, uti e re esse illorum possit, qui Græcis vel Latinis literis nondum adeo sunt innutriti. Factum id ante aliquot annos a STEPHANO BERGLERO, A. M. homine Græco, quem Lipsiæ olim aliquamdiu commoratum, postea, unde venerat, eo reversum, constat. Hic multo studio, nec infeliciter profecto, dum Lipsiæ ageret, teneræ juventutis causa, id operis suscepit, susceptumque cum laude perfecit; &, quamvis ad hunc usque diem labor iste prelum non subierit, sed chartis suis involutus, diu latitaverit in B. Parentis Bibliotheca, (vid. *Biblioth. Mencken. p. 817. edit. nov.)* unde, nescio, an in dignas satis tanto munere manus pervenerit, optandum tamen commodi publici causa, ut cum nova, si quis eam meditetur, HERODIANI editione lucem aliquando videat publicam. Restat, ut, quod caput rei est, & in quo interpretis munus præcipue versatur, an mentem Autoris ubique assecutus sit interpres noster, aliquantum dispiciamus. Neque hic omnia, quæ POLITIANI sunt, adeo amplector, ut non facile in his talia agnoscam, quæ justam Lectorum animadversionem incurrant. Ut taceam, non omnia, quæ HENR. STEPHANUS notaverat, frivola esse, & injuria prolata; alii quique doctissimi viri talia POLITIANO exprobrarunt, quæ levioris momenti haud videntur. Recte monuit JO. BRODÆUS in *Miscellan. Lib. VI. Cap. 11*, illud ἐκ μυλίτȣ λίθȣ, quod *Lib. III.* HEROD. *Cap. 1 legitur*, non *ex Milesio*, sed *ex molari lapide*, vertendum. JO. BAPT. PIUS in *Annotat. poster. Cap. 94* erudite ostendit, ***promercale imperium*** a POLITIANO *Lib. II. Cap. 6*

Cap. 6 male dictum pro eo, quod *venale* eſt, cum vox *promercalis* apud priſcos Autores, quorum ſat multa affert loca, certis circumſcripta fuerit limitibus, nec omne id, quod venditur, ſed illud ſaltem, quod, reſervatis his, quæ uſui eſſe poſſunt familiæ, tanquam ſuperfluum & minus utile, venundare ſolet prudens paterfamilias, ſignificaverit. Nec nihili putanda, quæ a MURETO in *Not. in Taciti Annal. p. 434. ed. Pariſ.* HENR. VALESIO in *Not. in Excerpta Dion. p. 117 ſeq.* & FRID. SYLBURGIO in ſuis paſſim ad HERODIANUM *Notationibus*, quas vid. *T. III. Scriptorum Hiſt. Rom.* ab ipſo editorum, notata & emendata legimus. Nec ipſe BOECLERUS, alioquin ad defendendum, quam accuſandum, POLITIANUM paratior, negare auſus eſt, *aliqua a Politiano aliter reddi & potuiſſe & debuiſſe.* Vid. ejus *Animadv. in Henr. Steph. Exam. ſub fin.* In his ſi erraſſe POLITIANUM dixeris, non abnuo. Neque, id qua ratione factum ſit, judicatu admodum difficile eſt. Ipſe fatetur POLITIANUS in *Ep. ad* ANDR. MAGNANIMUM, cujus modo mentio injecta, *hoc* ſibi *munus* interpretandi *quaſi levioris operæ* fuiſſe, *utpote qui diebus pauculis dictaverit, ſic deambulans;* & in *Ep. ad* AUGUSTIN. MAFFEUM, *Lib. VI. Ep. 7, hunc ſe librum,* ait, *pene ex tempore Latinum feciſſe.* At raro bona ſatis ſunt, quæ maturata nimis. Unde & modeſtior, an cautior, POLITIANUS in *Ep. cit. ad* MAGNANIMUM *amicis ſuis omnem hujus operis defenſionem non remiſit ſolum, ſed etiam prope interdixit*, & alia, quæ deinceps ſit editurus, majoris forte pretii, opera expectare eos juſſit. Ne tamen, quæ Græco minus reſpondere videntur, eorum omnium in ipſum culpa transferatur; eadem in Epiſtola tres POLITIANUS quatuorve locos memorat, ubi res fuerit plane deſperata, ob corruptum nimis, quem ſequi neceſſe habuerit, Græcum HERODIANI codicem. Exemplum affert in *Miſcellan. Cap. 58*, ubi, *vereri ſe*, ait, *ne perverſa ſit lectio in Herodiani Lib. III. Cap. 8*, in quo de tribus illis ætatibus dictum eſt, quas veteres ſtatuerunt celebrandis ludis ſecularibus, ideoque rogat lectores, ut ſibi, in interpretandis illis Græcum ſequenti codicem, veniam indulgeant. Quis neſcit autem, quam laborioſa, quantique tædii plena, res ſit, in ordinem redigere laceratos mutila-

tosve codices, lacunas explere, menda tollere, & Autoris ubique mentem, ſola plerumque conjectura, aſſequi? Adeo miſerari potius, quam indignari, Interpretis noſtri ſortem convenit. Nihil hic certi definio. Unde vero conſtare nobis poteſt, non eandem eſſe rationem eorum, quæ notata fuerant viris iis doctiſſimis, quos nominavimus modo? De voce *promercalis* alia res eſt; at vocem μυλίτε, finge, vitio ſcribentis ſpeciem præbuiſſe vocis μιλήτε in codice HERODIANI, quod & STEPHANO ſubobuit; ſic habebis, puto, quo excuſari POLITIANUS poſſit. Denique, quicquid hujus rei ſit, non ideo ex numero præſtantiſſimarum verſionum exturbari hanc HERODIANI fas exiſtimo, etſi ſuis illa, ut res humanæ omnes, laborare maculis dicenda ſit. Sunt enim hæ virtutibus tót ac tantis compenſatæ, ut earum gloria levioribus nonnullis labeculis everti vix poſſit. Qua in re mecum conſentit PHILIPPUS MASSON in *Hiſt. Crit. de la Rep. des Let. T. IV. p. 278.*

(*f*) Suo jure HERODIANUM excipit EPICTETUS, præclarus Stoicæ Philoſophiæ & morum magiſter, cujus præcepta in nucleum contracta ſub titulo *Enchiridii*, ſive ab ipſo, ſive, quæ conſtantior eruditorum eſt opinio, ab ARRIANO, doctiſſimo ejus diſcipulo, in vulgus ſunt edita. Ipſe cum his, qui ARRIANUM autorem putant, facit POLITIANUS in *Epiſt. ad* LAURENTIUM MEDICEM, Præfationis inſtar verſioni præmiſſa. Idem vero ARRIANUS elaboratiorum, ut conſtat, in EPICTETUM *Diſſertationum*, ſeu in omnem Philoſophiam EPICTETEAM Commentariorum, *Libros IV*, qui nunc leguntur publice, conſcripſit. Quos dum ipſos BOECLERUS paſſim in ſcriptis ſuis, maxime in *Comment. de Script. Gr. & Lat. p. 54*, in *Diſp. ad Lipſii Politica p. 85*, in *Hiſt. univ. Sec. IV. p. 164*, & in *Bibliogr. Crit. Cap. 43. §. 4. p. 625*, refert a POLITIANO latine redditos, idque *verſione*, ut ait, *puriſſima atque elegantiſſima*; neſcio, an huic uni, tacentibus rerum monumentis omnibus, hac in re adjungi fides poſſit. BOECLERUM quidem tuto, recitatis ejuſdem verbis, ſequitur TOB. MAGIRUS in *Eponymol. Crit. p. m. 312*, forte etiam, qui idem tradit, CHRISTOPH. HENDREICH in *Pandect. Brandenb. p. 295*; at nihil ille, quod rem confirmet, ſingulare affert, hunc vero erroris eo nomine accuſat JO. ALB. FABRICIUS in *Biblioth. Gr.*

Gr. T. III. Lib. IV. Cap. 7. p.264, qui cur BOECLERI hunc errorem (ita enim vocari utique meretur) intactum prorſus reliquerit, aliquantum miror. Neque enim iſta in *Operibus* POLITIANI exſtat interpretatio; neque uſquam hujus Noſter in reliquis ſuis ſcriptis mentionem facit. Nec Scriptorum, qui de libris POLITIANI diligentiſſime commemorarunt, obveniſſe mihi ullum memini, qui de verſione iſta vel verbum attulerit. JACOBUM SCHEGKIUM quidem, Medicum, ſcimus, *Diſſertationes* haſce interpretatum, (eſt enim hæc interpretatio cum ipſis *Diſſertationibus* vice plus una conjunctim edita,) a POLITIANO vero ſimile quid concinnatum, unde colligam, nusquam veſtigium apparet. Quam vero profert BOECLERUS editionem hujus Operis *Cantabrigienſem, A. 1655, 8*, cura LUCÆ HOLSTENII vulgatam, cui additam perhibet POLITIANI utramque, & *Enchiridii*, & *Diſſertationum*, interpretationem, etſi viſam mihi non recorder, ideoque nec affirmare certi quidquam, nec negare, de illa liceat; vereor tamen, ne nihil complectatur eorum, quæ ineſſe illi BOECLERUS perhibet. Etenim Celeb. JO. ALB. FABRICIUS, diligentiſſimus harum rerum inveſtigator, in *Bibl. Gr. l. c.* ubi editionis hujus Cantabrigienſis mentionem facit, de POLITIANI interpretatione prorſus tacet, nec per omnem illam, qua de EPICTETO & ARRIANO agit, tractationem quidquam de ea commemorat. Addo, nec a FABRICIO *Cantabrigienſem* illam editionem tribui HOLSTENIO, nec, præter BOECLERUM, quemquam eſſe, qui tale quid HOLSTENIO curante exiiſſe in lucem doceat. Quo fit, ut exulare jubeam numero verſionum POLITIANI iſtam uni fere dictam BOECLERO, uſque dum exſtiterit, qui de ea nos certiora edoceat. Sed revertimur ad *Enchiridion* EPICTETI, in quo, ſi reſpicias interpretandi rationem, ſeveriorem ſibi, quam in vertendo HERODIANO, videtur legem ſcripſiſſe POLITIANUS. Cum enim ipſe *Enchiridii* hujus autor *ſtilo*, ut judicat POLITIANUS in *Ep. ad* LAURENTIUM MEDICEM, uſus ſit *conciſo, dilucido, quique omnem reſpuat ornatum, ac Pythagoræorum præceptis, quas illi diathecas vocant, quam ſimillimus ſit*; eandem Noſter Autoris ſui in vertendo ſecutus eſt indolem, nec elegantioris dictionis tam ſtudioſus hic fuit, quam quidem in HERODIANO, in quo major

 emine-

eminebat Græci ſermonis vis atque concinnitas. Unde, quam id fieri potuit, diligentiſſime curavit, ut ſimplicem ubique planamque Autoris mentem redderet, ad omnia, ſi liceret, verba ſtilum accommodaret, & ad juventutis inprimis uſum comparatam interpretationem exhiberet. *Quodſi non verba*, ipſe ait *l. c. ad unguem, (id nullo modo fieri poterat,) at ſenſum certe ipſum purum, ſincerumque, Latinum a nobis redditum arbitror.* Id quod præſtitum ab eo re ipſa eſſe, non negabit, qui cum Græcis Latina ſolerter contenderit. Ubi vero incideris forte in locos ejusmodi, in quibus res aliter ſe habet; tum, POLITIANI, cave, hanc putes culpam eſſe. Namque id operis aggredienti in manus venerunt bina hujus libri exempla mendoſiſſima, maximamque partem mutilata, quæ non minus vertendi celeritatem retardarunt, quam fallacibus conjecturis occaſionem præbuerunt. Cumque, eodem modo comparatum eſſe cum reliquis, qui paſſim exſtabant, codicibus, audiviſſet; neceſſe habuit, eorum, quæ codices negabant, ex SIMPLICIO, priſco EPICTETI Commentatore, ſupplementa haurire. Qua de re ipſe querelas movet in *Ep. cit.* Factum id inprimis vides, Lector, ſub finem *Enchiridii*, ubi Capita aliquot a Græco EPICTETI tam longe abeunt, ut vix EPICTETUM agnoſcas. Quæ cauſa fuit, cur, qui EPICTETUM cum Latina POLITIANI interpretatione *Genevæ A. 1694, 8*, edidit, SEBAST. SIGMARA SCHLUSSEBERG, tribus *Enchiridii* Capitibus poſtremis, rejecta illa POLITIANI, notam WOLFII interpretationem ſubjecerit. In reliquis laudabis diligentiam POLITIANI, quæ tanta eſt, ut interpretationem hanc eodem jure commendandam juventuti putem, quo alias quasque EPICTETI, maxime HIERON. WOLFII, quam jungi ut plurimum videas Græco EPICTETI, etſi non deſint hic, quæ, ſi verum fateri liceat, planius longe atque ſimplicius a POLITIANO reddita videntur. Jucundiſſimæ ſunt de hoc POLITIANI labore & lectu dignæ JO. PICI ad POLITIANUM literæ, *L. I. Epp.* POL. *Ep. 5*, ubi, eleganti & faceto laudandi genere, EPICTETUM inducit de omni morum & honeſti diſciplina latine philoſophantem, idque gravius longe & excelſius, quam in Græco, utpote *qui Latine ipſe* (ita ſunt verba PICI) *beneficio* POLITIANI *luculentius ſaperet.*

(g) De

(g) De *Characterum* THEOPHRASTI versione, quam, sunt, qui tribuant POLITIANO, fateor, mihi huc usque parum innotuisse. Atque hæc ipsa tamen valere aliquid possunt, si memineris, in CLAUSII & MOLLERI libellis de ea prorsus nihil legi. Exstare eam, magis mihi compertum est, quam cujus illa notæ fuerit, cujusve pretii. In *Operibus* POLITIANI, conjunctim editis, hanc frustra quæras, eaque de causa a BERN. DE LA MONNOYE in *Memoires de Literat. T. I p. 250* in eorum numerum refertur, quæ in nova, si qua olim proditura sit, editione *Operum* POLITIANI locum mereantur. Ejus mentionem faciunt CONR. GESNERUS in *Biblioth. univ. p. 614. B.* & MICH. MAITTAIRIUS in *Annal. Typogr. T. III. p. 787.* Alter editam *Basileæ* tradit ab ANDR. CRATANDRO cum Græco THEOPHRASTI, (negant cum Græco editam Autores Diarii *Memoires de Liter. l. c.* addentes, forma octava prodiisse librum,) alter *Parisiensem*, cui Græca accesserunt, editionem profert, a FEDERICO MORELLO, Typographo regio, curatam & recognitam, editamque *A. 1583*, 4, quam habet etiam *Catalogus Thuaneus T. II. p. 14.* Conf. FABRICII *Bibl. Gr. T. II. Lib. III. Cap. 9. §. 13. p. 241.* Præter dictas num aliæ exstent editiones, me quidem fugit; sicut nec mihi tam esse felici contigit, ut has ipsas, quippe in rarissimis habendas, atque adeo ad hunc usque diem frustra mihi vestigatas, meis ipse lustrare oculis potuerim. Unde fit, ut, quid præstiterit in hoc opere POLITIANUS, cum multis aliis ignorem, & a judicandi negotio hic prorsus mihi sit abstinendum. Nec eam provinciam ante me eorum, qui *Characteres* THEOPHRASTI ediderunt, quisquam suscepit; ut hinc valde sit optandum, si quis vel nostratium, vel exterorum, secum servet hanc interpretationem, nostra omnium causa eam, propterea quod POLITIANI est, denuo edendam curet. MAITTAIRIUS *l. c. not. a.* profert partem verborum editoris MORELLI, quæ in Præfatione leguntur, unde discas, non integrum *Characterum* Opus a POLITIANO Latine redditum, sed octo posteriorum interpretationem ab ipso MORELLO additam. Docent id verba: *Lectori. Huc usque* (scilicet ad *octo* posteriores *Characteres*) *processit Latina Theophrasti notarum*

tarum interpretatio, quam Politiano tribuit Lycoſthenes in ſua Bibliotheca. Octo, qui deinceps ſequuntur, characteres, a nobis utcunque verſi, ex antiquo libro Græco primum additi ſunt ab M. Stephano in Græca hujus libelli (anni 1557) *editiône; quam ut emendatiorem ſecuti ſumus.* &c.

(*h*) ALEXANDER APHRODISIENSIS, ARISTOTELICÆ Philoſophiæ ſectator & Commentator acutiſſimus, præter quamplurima, quæ ſcripſit in ARISTOTELIS maxime libros, duo inprimis nobiliſſima Opera poſteris reliquit, re ipſa magis, quam titulo, diverſa. Alterum *Phyſicorum Scholiorum per dubitationes & ſolutiones Libros IV* complectitur, quos ipſe POLITIANUS *Quæſtiones naturales* vocat *Cap. I. Miſcell.*; alterum *Problemata medica & phyſica* libris duobus exhibet, quod a multis, qui THEODORUM GAZAM ſecuti ſunt, ob argumenta partim, partim ob dictionem, negatur ALEXANDRUM hunc habere autorem, ſed ad ALEXANDRUM TRALLIANUM potius, aut alium quemque ALEXANDRUM, refertur; quam controverſiam meam hic non facio. Conf. FABRICII *Bibl. Gr. T. IV. Lib. IV. P. II. Cap. 25. p. 73.* Utrumque Opus latine redditum eſt ab ANGELO; alterum quidem, ſi fides JAC. PHIL. BERGOMENSI in *Supplem. Suppl. Chron. p. 435*; ex altero Problemata 151, quorum duo forte aut tria ex libro ſecundo deſumta ſunt, latine verſa exſtant in *Operibus* POLITIANI. Hæc, etſi a POLITIANO, fere adhuc juvene, quippe annum ætatis quartum & vigeſimum egreſſo nondum, ut facile colligas ex *Epiſtola* ejus *ad* PANDULF. COLLENUCIUM, quæ legitur in fronte verſionis *Amatoriarum Narrationum* PLUTARCHI, concinnata interpretatio, ipſo vivente, neſcio, qua de cauſa, in lucem non exiit; ſed tribus demum poſt mortem ejus annis edita eſt a PETRO CRINITO, ejus diſcipulo, qui, haud parum profuturum juventuti libellum iſtum, exiſtimabat.[1] Titulus autem, quem præfixit huic verſioni, *Solutionum ſuper nonnullis phyſicis dubitationibus*, quin & ille, quem in editione CRATANDRI *Baſileenſi* conſpicias, alteri, de quo diximus, magis, quam huic, Operi convenire videtur. Ceterum id perquam ſimile vero eſt, ad laborem hunc ſuſcipiendum æmulatione inductum POLITIANUM, utpote qui binis jam viris doctis, THEODORO

GAZÆ,

GAZÆ, & GEORGIO VALLÆ, id muneris susceptum noverat. Nimirum, quam jucunda POLITIANO cum hominibus Græcis fuerit æmulatio, jam alibi dictum est. Nec paucos fore confido, qui, diligenter perspectis singulis, & cognita inprimis POLITIANI in dicendo suavitate, atque in interpretando solertia, hanc versionem quodammodo præferandam reliquis existiment. Habet enim hæc præcipuum quoddam decus a pura & inaffectata sermonis elegantia, cujus non ita in ceteris POLITIANUS fuisse studiosus videtur. Prodiisset tamen hoc, quicquid est operis, politiore longe habitu, si per fatorum necessitatem ipse curare ejus editionem POLITIANUS potuisset. Communem hanc esse sortem librorum, quos insciis, forsan & invitis, si viverent, autoribus in lucem protrudimus, quis non intelligit? En perorantem pro causa POLITIANI PETRUM CRINITUM in *Epist. ad* JO. FRANC. PICUM, huic operi adjecta: *Ceterum, quod ad Politiani pertinet interpretationem, tantum pro tempore illud admonuerim, Politianum ipsum, si paulo plus in humanis egisset, multa fuisse vel his additurum, vel inducturum, omnino pleniora hæc essent omnia decoctioraque.*

(*i*) Exstat & hujus libelli, quo *Amatorias* aliquot *Narrationes* complexus est PLUTARCHUS, luculenta in *Operibus* POLITIANI interpretatio. Eundem postea latine vertit GUIL. XYLANDER, nec id infeliciter, ut omnia fere, quæ vir ille græce doctissimus vulgavit olim. Parum a juventute provectus, eodem circiter tempore, quo versionem *Problematum* ALEXANDRI adornatam diximus, ad hunc POLITIANUS laborem conversus est, teste Epistola ejus, quæ in fronte libelli legitur, data ad PANDULFUM COLLENUCIUM, cui, roganti, ut sibi eximium aliquid ex Græco in Latinum transferret, ipse lubenter id laboris præstiterat, eundemque, jam confectum, amoris ergo dedicaverat. Stilus hic facilis est & jucundus, quique in amoris argumento versanti maxime conveniat. Ipsa vero interpretatio accurata est, &, quantum mihi judicare licet, Græco optime respondens.

 (*k*) In-

(k) Inter complures, quibus omnem fere Philoſophiam, moralem inprimis, complexus eſt PLATO, Dialogos, POLITIANUM maxime delectaverat lectio illius, quem *de Temperantia,* ſeu *Charmidem,* inſcripſit Philoſophus. Egregie enim in hoc præparantur, caſtisque inſtruuntur virtutibus, animi eorum, qui ad Philoſophiæ ſe convertunt ſtudia. Ne igitur his, qui illotis, ut ajunt, manibus tum temporis in hæc ſacra ſe abdere conſueverant, deeſſet, quem meliora docentem audirent diligenter & legerent, PLATONEM, de temperantia diſputantem, *pauculis admodum diebus* POLITIANUS, ut ipſe memorat in *Epiſt. ad* LAURENTIUM MEDICEM, Dedicationis inſtar huic verſioni præmiſſa, *Latinum ſermonem edocuit.* Integrum a POLITIANO translatum hunc *Dialogum,* vix eſt, cur dubites. Non enim mancum quid & mutilum dicaſſe videtur LAURENTIO; & ipſa Dedicationis verba id luculenter ſatis oſtendunt. At merito dolemus, exiguam valde tenuemque laboris hujus particulam,quæ ne tot quidem,quot Epiſtola præmiſſa, paginis conſtet, ad poſteros veniſſe. Quicquid hujus verſionis adhuc ſupereſt, pauculum illud ad finem *Libri XII Epiſtolarum* POLITIANI legitur. Reliqua autem,ſumma cum diligentia quæſita,inveniri non potuiſſe, monet ibidem, quisquis hæc primus edidit. Forte ad hunc diem hæc latent in Bibliotheca Medicæa, ubi,nullum eſt dubium, unum atque alterum ſcriptorum POLITIANI, nondum editorum, ſervari. Ea enim,quæ ipſi ſacra eſſe juſſerat POLITIANUS, vix putarim, temere abjecta a LAURENTIO. Quodſi eadem fuit reliquorum, quæ in paucis his apparet, indoles ſermonis; ægre jacturam iſtam toleramus, & ereptum nobis id conquerimur, quod ceteris POLITIANI ſcriptis multum additurum decoris fuiſſet. Narrationes loquentium conciſæ ſunt & perſpicuæ, quales in ipſo PLATONE leguntur, ſale etiam conditæ, & molli ſententiarum ubertate affluentes. Neque dubitandum adeo, quin maximam ab eruditis ad unum omnibus gratiam initurus fuiſſet POLITIANUS, ſi in reliquis PLATONIS *Dialogis* eandem ponere induſtriam, & eadem illos elegantia transferre in Latinum, inſtituiſſet. Etſi enim id præſtitum jam ſit a MARSILIO FICINO, POLITIANI præceptore, ejus tamen tam facile, tamque molliter, verba non fluunt,

fluunt, ut non his præferendas multum veneres POLITIANI putem.

(*l*) Scripſit ATHANASIUS, Alexandrinæ civitatis Epiſcopus, vita & ſcriptis nobiliſſimus, breve, at lucubratum, *de Pſalmis* Opuſculum, quo cantiunculas DAVIDICAS ad hominum cujuscunque generis ingenia & actiones accommodavit. Quod cum ad omnes omnis ætatis homines pertinere recte judicaret, pietate inductus POLITIANUS, id effecit, ut, qui Græca ignorarent, hi latine redditum Autorem eodem, quo reliqui, legere cum fructu poſſent. Patet cuilibet interpretatio iſta in *Operibus* POLITIANI. Accurate ſatis in illa verſatum interpretem, ne mirum quidem iis eſſe poteſt, qui norunt, quam plana, quamque ad intelligendum accommodata, dicendi ratione ipſe hic uſus ſit ATHANASIUS. Dedit enim is operam, ut, quem ſibi ſumſerat interpretandum, ſancti vatis ingenium ac perſpicuitatem exprimeret. Idque adeo ſibi datum POLITIANUS exiſtimabat, ut absque omni verborum ornatu res ſacras ipſe interpres enarraret, ſuamque in eloquendo artem & elegantiam, cujus jam alia extabant ſpecimina, hic quaſi de induſtria diſſimularet.

(*m*) Præter jam memoratas, alias POLITIANI interpretationes Latinas in medium profert JAC. PHILIPPUS BERGOMENSIS in *Supplemento Suppl. Chron. p.* 435, de quibus judicium expecto eorum, quibus videndi illas, aut legendi, unquam contigit felicitas. Contigiſſe vero aut paucis puto, aut omnino nulli. Illarum enim, dubito, an ulla lucem viderit publicam ; nec ſatis illud mihi liquet, an tribuendæ ad unam omnes ſint POLITIANO. De ALEXANDRI APHRODISIENSIS *Libris IV Quæſtionum naturalium* dictum jam ſub *not.* (*h*) hujus §. Præterea HIPPOCRATIS *Aphoriſmos cum Commentariis* GALENI a POLITIANO in Latinum translatos, BERGOMENSIS refert. Quæ ſi in lucem prodiiſſet interpretatio, haberent omnino, de quo multum arti ſuæ gratularentur, Hygiææ filii. Totum in concinnanda illa deſudaſſe, multumque temporis & artis illi impendiſſe ANGELUM, manifeſta ſatis res eſt. Teſte utor PETRO CRINITO, æquali POLITIANI & diſcipulo, cujus ex *Epiſtola ad* JO. FRANC.

 PICUM

PICUM, adjecta POLITIANI versioni ALEXANDRI *Problematum*, huc verba transferemus, ut, quicquid nobis de labore isto scire datum est, innotescat Lectoribus. *Jam nec illud*, inquit, *humanissime Princeps, omiserim, quod oracula quoque ex Hippocrate, cum Claudii Galeni Commentariis, (ita enim τὰς ἀφορισμοὺς appellabat,) Latini homines legerent. Nam & pars adhuc aliqua exstat, ac plurimum in ea laboris & vigiliarum, quod is olim mihi referebat, exhausit. Sed hunc laborem quidam e charis suppleruNt.* Tandem in vertendo etiam XENOPHONTIS *de Socratis memorabilibus* libro occupatum aliquando POLITIANUM, nescio, quo autore, idem tradit BERGOMENSIS. Mihi, Scriptores, qui de POLITIANO commemorant, perscrutanti reliquos, qui idem memoriæ prodiderit, ne unus quidem occurrit. Neque hujus rei per singula POLITIANI scripta facile animadvertas vestigium. Adeo incerta res est, an unquam huic operi manum admoverit POLITIANUS.

(n) De versione HOMERI, quem aut integrum, aut ex parte saltem, primis pueritiæ temporibus, Latinis versibus reddidit POLITIANUS, multa aptiore loco dixi supra *§. III. not. 5.* Tunc scilicet rationibus sat idoneis evicimus, vulgatam huc usque non exstare. At, de ejus concinnitate certissime sibi persuasum habens, CASP. BARTHIUS in *Adversar. Lib. LVIII. Cap. 14* vehementer optat, e latebris aliquando protractam, exire in doctorum hominum conspectum publicum. Quid senserint de ea eruditi, quibus legendam dederat POLITIANUS, addendum hic paucissimis. Nisi quid datum adulationi existimes a JACOBO, Cardinale Papiensi, in Epistola ad POLITIANUM, *Lib. VIII. Epp.* POL. *Ep.* 7, quæ laudibus hujus interpretationis unice destinata est, hoc judice *splendidissimam* dixeris, *& ad omne venustatis genus compositam. Orationem* inprimis *Latinam* esse *& illustrem, plenos etiam versus, & suis numeris magnifice auribus servientes*, inde discimus. Nec minus honorificum de illa est judicium MARS. FICINI in *Ep. ad* LAURENTIUM MEDICEM, quam vid. *Lib. I. Epp.* FICINI *Ep. 17*, quod tanto plus habere momenti videtur, quanto est ab assentationis studio remotum longius. *Nutris domi*, inquit, *Homericum illum adolescen-*

lescentem, Angelum Politianum, qui Græcam Homeri personam Latinis coloribus exprimat. Exprimit jam, atque, id quod mirum est, in tam tenera ætate ita exprimit, ut, nisi quis Græcum fuisse Homerum noverit, dubitaturus sit, uter naturalis, & uter pictus Homerus. Delectare iis pictoribus, Medices, ut cœpisti, nam ceteri pictores parietes ad tempus ornant, hi vero in ævum habitatores illustrant. Ipse POLITIANUS satis magnifice de hoc ingenii sui partu in *Elegia in Albieræ Albitiæ immaturum exitum:*

Ipse ego, qui dudum Reges magno ore canebam,
Dardanaque Argolica Pergama rapta manu,
Heu nil dulce sonans, taceo jam bella, tubasque,
Et refero ad nigros carmina mœsta rogos.

Laudat etiam JAC. SANNAZARIUS, æqualis POLITIANI, brevi Epigrammate, quod est *Lib. II. Epigr. ejus Ep.* 47, versionem quandam HOMERI, quæ forsan eadem est Nostri. Fuit is alioqui partibus POLITIANI parum addictus, quin variis carminibus acerbissime in eum debacchatus est; at, cum ejus erga POLITIANUM odium eo demum tempore coortum sit, quo BARTH. SCALÆ & MARULLI adversus eundem iræ efferbuerunt, creditu haud difficile videtur, primis pueritiæ annis, quibus nihil POLITIANO cum binis illis contentionis fuit, nec inimicum ei fuisse SANNAZARIUM. Sed, utcunque se res habeat, parum refert.

(o) BAILLETI errorem, qui singula MOSCHI *Idyllia*, quotquot horum sunt, a POLITIANO translata in Latinum dixerat, notatum jam vides sub *not.* (*a*) hujus §. Neque hic denuo edifferenda puto, quæ de ipsa hujus Elegiæ interpretatione commemoravi sub *not.* (*t*) *§. III.* Jam, priusquam in versionis indolem inquiram, ridendum Lectori propinabo lepidum errorem Abbatis DE MAROLLES, in alleganda illa commissum. Is *p. 62* MOSCHI a se editi provocat ad POLITIANI *Traductionem Moschi ex Theocrito.* Quasi scilicet THEOCRITUS *de Moschi amore* scripserit *Idyllion.* En vero originem erroris. In antiquis nonnullis THEOCRITI editionibus, e. g. quæ *Francofurti A. 1545, 8,* prodiit, THEOCRITI *Idyllion XXI* in Græco inscriptum est:

Μόχȣ

Μόσχου ἔρως δραπέτης, & in Latina EOBANI versione: *Moschi Amor fugitivus*; in utriusque vero paginæ extremitate legis: THEOCRITI *Idyllion XXI.* In quem locum cum forte incideret MAROLLUS, falso sibi persuasit, THEOCRITI esse aliquod *Idyllion*, cujus argumentum sit MOSCHI *Amor fugitivus.* Unde factum est, ut edoctus postea de POLITIANI versione carminis, cui idem titulus, hanc eleganti illo, quem diximus, habitu induceret. Relata hæc vide in *Menagian. T. III. p. m. 158.* Nacta duplicem est locum in *Operibus* POLITIANI ista *Idyllii* MOSCHICI interpretatio, alterum in literis ejus ad ANTON. ZENUM, *Lib. VII. Ep. 14*, alterum in Volumine *Carminum* ejus, ad calcem Operum adjectorum. Experta virorum in arte interpretandi versatissimorum censuras, obtrectatorem sui habuit nullum. PETRUS NANNIUS, postquam tria hæc probe observanda interpreti dixerat, ut verba, si fieri posset, prorsus eadem retineret, sententiam ubique servaret incolumem, & indolem orationis talem sequeretur, qualis rei maxime conveniret, *omne*, addit demum *Lib. I. Symmict. Cap. 3*, *tulisse punctum* ANGELUM nostrum in vertendo MOSCHI *Idyllio, ubi verbum verbo, sententia sententiæ, versus versui, servatis iisdem numeris, reddatur.* Qua in re non dissentit a NANNIO ANTON. BORREMANSIUS in *Var. Lection. Cap. XI. p. 113.* Quorum sequuntur vestigia JAC. GADDIUS *de Script. non Eccl. p. 137*, & A. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T. II. P. III. p. 313. ed. nov.* Id sane fateamur, necesse est, hoc inprimis animo ad laborem hunc accessisse POLITIANUM, ut, quantum posset, MOSCHI in omnibus ingenium & virtutes exprimeret. Videas enim exultantem vehementer, ubi, absoluto opere, feliciter satis rem successisse, & a Græcis parum differre versus Latinos, cognovit. *Amorem fugitivum*, inquit in *Ep. cit. ad* ANT. ZENUM, *quem pene puer adhuc e Græco in Latinum converti, non sententiis modo, sed numeris etiam, servatis, ac lineamentis pene omnibus, cupienti flagitantique diu tibi mitto tandem.* Propius investiganti versionem, apparebit, raro aliam usurpatam voculam, quam qualem poscere MOSCHUS videbatur, nisi forte id sibi licere in illis

epithe-

epithetis, quorum non eadem in Græco & Latino ſermone vis eſt, exiſtimaverit ANGELUS; eandem porro verſuum menſuram, nec verborum ordinem, modo per Latii indolem id fieri poterat, alium facile animadvertes, quam cujus habuiſſe rationem Scriptor Græcus intelligitur. Quæ cum ita ſint, illud inprimis in hoc labore miror, carminis genus tam facile planumque eſſe, tam ſuaves, tamque ſonantes, fluere verſus, non aſperas, non hiulcas, aut diſtortas, auribus voces obſtrepere, ſed molles maxime, & quales a fingente, non interpretante, poeta expectes, numeros audiri. Neque tamen ipſe tam amans fuit operis ſui POLITIANUS, ut non, quæ emendare & debuiſſet & potuiſſet annis provectior, facile quædam in illo agnoverit. *Multa*, inquit ibidem, *longo poſt intervallo retractanti diſplicuerunt, quæ tum fortaſſe, cum ſcribebam, viſa ſunt optima. Corrigere nimis durum, quod ita diu jam inveteraverat.* Quæcumque autem illa fuerint neutiquam ita comparata puto, ut non pretii gratiæque ſatis verſioni, qualis nunc eſt, ineſſe videatur. Illud adhuc moneo, ſimilis argumenti carmen exſtare, quod autorem habere dicitur LUCIANUM, & in Latinos numeros a neſcio quo tranſlatum legitur in FRANC. SYLVII *Commentar. ad* POLITIANI *Epiſtolas p. 130. b.* Quæ & ipſa interpretatio multum habet venuſtatis, & proxime accedit ad POLITIANI in vertendo MOSCHO elegantiam.

(p) Ex pauciſſimis, qui ſuperſunt hodie, CALLIMACHI, poetæ Græci, hymnis politiſſimis, miro inprimis ingenii acumine & ſuavitate rerum ſe commendat ille, cui titulum fecit εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος. Quem, utpote plenum gratiæ & boni ſenſus, edidit POLITIANUS ex MSto Codice vetuſtiore, in quo nuda, ſine accentibus, verba legebantur, comitemque illi dedit Latinam verſionem poeticam, tot comprehenſam Diſtichis, quot habet Græca Elegia CALLIMACHI, quam videlicet unam exſtare apud Græcos, POLITIANUS affirmat. Utrique locum dedit in *Miſcellan. Cap. 80.* De POLITIANI verſione, libere dicam, quid ſentiam. Sunt, quæ laudanda ducam, ſunt &, quæ vituperanda. In interpretando, hoc eſt, aſſequendis Poetæ ſententiis & gratiis, ſi quæras, quid præſtiterit POLITIANUS; fateor, vix talem reperiri carminis

ullius

ullius Græci verſionem, quæ, ſi ad examen revocetur, Autoris Græci omnia tam exacte referat non rerum minus, quam verborum, lineamenta. Nihil dictum CALLIMACHO, quod non itidem POLITIANO. Eadem ſententia, idem aculeus, idem dictionis nervus Latino, qui Græco, clauditur Diſticho. Cui rei vel documento eſſe poteſt, quod numerum Diſtichorum, ut diximus, eundem ſervarit POLITIANUS, quem CALLIMACHUS. Unde nec negare auſim, id præſtitum re ipſa a POLITIANO, quod ipſe præſtitiſſe ſibi viſus eſt. Ita enim ipſe in *Miſcell. l. c.: Vertimus igitur, pene ad verbum, &, quod Græce dicitur, παρὰ πόδα, non ſenſu modo, ſed numeris etiam, quod eſt difficillimum, coloribusque ſervatis.* Viſum ita & aliis, qui de verſione iſta judicium tulerunt, viris doctiſſimis. BONAVENTURÆ VULCANIO *ad* CALLIMACHI *Hymn. V adeo dextre feliciterque hunc hymnum Latinum feciſſe* POLITIANUS dicitur, *ut exiguum aut potius nullum novæ laudi locum reliquerit.* JAC. GADDIUS *eandem ferme in vertenda Callimachi Elegia,* quam in MOSCHI carmine, quod perquam accurate verſum dixerat, *rationem ſervatam* POLITIANO ait *de Script. non Eccl. p. 137.* Puto, idem ſenſiſſe Celeb. JO. ALB. FABRICIUM, dum *perelegantem* dixit hanc *Metaphraſin* in *Bibl. Gr. T. II. Lib. III. c. 19. p. 489.* Fuere tamen, qui de ſenſu verborum Græcorum ſubinde diſſentirent a POLITIANO, quod factum ab HENR. STEPHANO, ANNA DACERIA, aliisque, quorum animadverſiones criticas ſuæ *Hymnorum* CALLIMACHI editioni adjecit EZECH. SPANHEMIUS. Id vero minime negandum, dum arctis nimis ſe ipſe legibus circumſcripſit interpres noſter, ſtrictimque ſingulis inhæſit verbis, factum hinc eſſe, ut difficilius ipſi procederet cantandi negotium, nec tam favente hic Apolline caneret, quam in carminibus, quæ compoſuit, reliquis. Adeoque pulchram, quæ naturam imitatur, dictionis indolem, maximam interpretis virtutem, præcipuumque decus, hic deſidero. Aſperæ vocum, quas vocant, eliſiones & implicationes legentem remorantur fere innumerabiles; nihil hic ſpiritus aut ignis poetici, niſi pauculum forte in principio; nihil, quod auribus placeat; omnia quaſi vi contorta, quaſi murmurantibus Muſis arceſſita. Pentametri, quos eleganter diſſyllabis clau-

claudimus, hic fere ſinguli verba poſt ſe trahunt non ſine oſcitatione eloquenda. Taceo alia, quæ non niſi in auguſto & magni ſpiritus carmine cum venia admittas. Nolim tamen, hæc ideo a me proferri putes, ut, qui bene de labore iſto ſentiunt, nunc demum mutent ſententiam; nec hæc ſevere nimis exprobranda arbitror POLITIANO, utpote qui ipſe *cum venia* & *conniventibus oculis* hæc legi optat *l. c.*; ſed illud tantum volo, ut vel hoc exemplo appareat, quanti laboris res ſit, in vertendo iisdem numeris carmine Græco cum accuratione elegantiam conjungere. Venuſtam & ornatam dices POLITIANI verſionem, ſi cum binis aliis JO. CHECCOTII, Vicentini, & Anonymi cujusdam Germani, quæ juxta illam POLITIANI leguntur in JO. ANTON. VULPII *Carminibus p. 268*, eam contenderis. Illorum jejuni, aridi, & exſucci, hujus in nonnullis certe tolerabiles ſunt numeri. Vertit & CALLIMACHI hanc *Elegiam*, ſicut ceteras hujus Poetæ omnes, NICODEMUS FRISCHLINUS, ediditque id operis *Genevæ A. 1577*, ſed liberior eſt hæc interpretatio, nec ita preſſo pede Græcum CALLIMACHI, quam illa POLITIANI, ſequitur. Accedit huc, quod extemporalis fuerit hæc lucubratio, quam magis expoliturus erat POLITIANUS, ſi plus ei otii fuiſſet. Eo ipſo enim temporis articulo, quo typis imprimenda erant, quæ *Capite 80. Miſcellan.* de hac CALLIMACHI *Elegia* ediſſeruerat, autor ipſi & monitor exſtitit JO. PICUS, Dux Mirandulanus, ut Latine verſam ad calcem Capitis adjiceret. Cujus ut aliquid tribueret amicitiæ, etſi minus faveret extemporalitati, haud invitus tamen laborem aggreſſus eſt, &, ut potuit, celerrime abſolvit. Sed, ut fieri plerumque ſolet in iis, quæ ex tempore modulamur, non hic paratum, qui venas inflammaret, Apollinem expertus eſt, ſed ſatis habuit, ſi intra breve temporis ſpatium hoc aſſequeretur, ut CALLIMACHI diceretur mentem expreſſiſſe. Uberius hæc ipſe docet *l. c.* Quamvis igitur non abſolutiſſima putanda ſit hæc CALLIMACHI interpretatio, meliorem tamen huc uſque non habemus, nec conſecuturos nos ſperamus, niſi exſtiterit aliquis, qui POLITIANI huc ingenium, &, quo deſtitutus ille fuit, otium, afferat. Curam enim & vigilias hæc poſcunt, non uno, ut alia quæque, ſpiritu effundenda.

(*q*) Neſcio, qua fronte CLAUSIUS in *Vita Polit. Cap.* 24.*p.* 48 *Carminis Sibyllini* verſionem in eorum numerum librorum referre potuerit, quos ſcriptos quidem a POLITIANO, ſed nunquam editos, conſtet. Quo ipſo manifeſto ſatis prodidit, in lectione & inveſtigatione ſcriptorum POLITIANI, quæ vulgo exſtant, tantum ſibi ſtudii poſitum non fuiſſe, quantum conveniat Biographo. Etenim Sibyllina hæc *de Ludis ſecularibus* præcepta, tam Græca, prout exhibentur a ZOSIMO *Lib. II*, ſine literarum faſtigiis, quam Latinis a POLITIANO Hexametris reddita, leguntur ſub finem *Cap.* 57 *Miſcellan.* Habet iſta POLITIANI interpretatio in eo ſingulare quid præ ceteris, quod ipſa carmine Græco quinque verſibus ſit conciſior, etſi, quæ ad rem ſpectent, ne minimas quidem ſententiolas deſideres. Inſigne in his artificium cognoſcas hominis, in negotio verſantis, quod explicari magis amat, quam coarctari. Quod probe intelligens vir magnus, CASP. BARTHIUS, plurimi fecit hanc interpretationem, & aliis aliorum in hoc argumento laboribus longe prætulit in *Animadv. in* STATII *Sylv. T. I. p.* 171. *Pertinent huc*, inquit, *Sibyllæ præcepta de Ludis ſecularibus, quæ ſunt apud Zoſimum Lib. II, ab Angelo Politiano olim latinitate donata, cujus interpretatione ſpreta, qui ſuas intulerunt, βαλανοφαγεῖν nos juſſerunt.* Neque durum adeo carminis genus eſt, quam in CALLIMACHI forte Elegia, licet, quod indulgemus interpreti, non deſint plane, quæ lectorem offendere poſſint. In ſyllabarum metro forſan, quæ carpas, habes; ſed, de his, non eſt hujus loci, diſpicere. In quibusdam vetuſtatis ſtudioſior videtur; ſed tales operi colores ideo ſunt illiti, ut ad carminis Græci magis effingeretur imaginem. Sunt vero & hi ex tempore effuſi verſiculi, unde nec fieri potuiſſe, ut elegantiam præ ſe ferrent, ipſe contendit *l. c.* POLITIANUS. Ut conſtet, quo ipſe pretio hunc laborem æſtimari voluerit, en ejus verba: *Cur autem non & Latinos eos tentemus reddere, ſi non eleganter, utpote extemporales, ex fide tamen, ſervato etiam, quantum liceat, incomtæ illius, ſed venerandæ, vetuſtatis colore nonnullo, aut ſqualore potius? Igitur ita, qui volet, eos togatis illis adhuc quidem ruſticanis adſcribat.*

(*r*) In

(r) In Volumine *Carminum* POLITIANI Latinorum Epigrammata bene multa reperias, in quibus, præter metrum & interpretandi artem, nihil debetur POLITIANO, ſed ea breviora pleraque, & magis exercitationis, quam famæ, cauſa, ex Græco in Latinum translata. Habes hic PLATONIS *Epigramma in Archeanaſſam*, SAPPHUS *Epitaphium in Timadem*, ANTIPATRI *in Homerum*, *Epigramma in Ptolemæi Geographiam*, *in Herculem Antæum*, MOSCHI *in Amorem arantem*, paucosque ex THEOCRITO & HESIODO verſus. In quibus etſi ſingulis aliquid leporis & artis ineſt; facilitatis tamen & elegantiæ laudem, ſi meo res ageretur arbitrio, illis PLATONIS & MOSCHI præ ceteris tribuerem.

(ſ) POLITIANUS, ut teſtatum faceret eruditis, non minus eleganter ſcribere ſe Græce, quam Latine, poſſe, nonnulla, in quibus & artem ſuam oſtendere, & delectare lectores poſſet, transferre ex Latino in Græcum cœpit. Dignum inprimis, in quo laborem poneret, duxit vetuſtius illud *in Hermaphroditum* Epigramma, quod vulgo ANTONIO PANORMITANO, a doctioribus vero PULICI DE CUSTOZA, Vicentino, quem inconcinne alii PULLICEM, alii DUPLICEM, quin & POLLUCEM alii, vocant, Poetæ non adeo magnæ famæ, nec, ut puto, niſi Epigrammate hoc, quod elegantiſſimum multis viſum eſt, illuſtri, tribuitur. Converſus ad hujus interpretationem Græcam POLITIANUS, id maxime dedit operam, ut, carminis genere uſus, quo PULEX, eodem, *totidem verſibus, ac pæne verbis, immo vel ſyllabis*, quod *laborioſiſſimum fuit, eandem gracilitatem redderet*, quæ ipſius ſunt verba in *Ep. ad* ANT. URC. CODRUM, *Lib. V. Ep.* 7, ubi & verſioni huic cum Latino PULICIS carmine locum dedit. Reperitur eadem in *Volumine Epigr. Græc.* POLITIANI, & in *Menagian. T. IV. p.* 434. Excepta eſt cum plauſu, ſimul ac prodiit in conſpectum hominum; quod ægre ferens JANUS LASCARIS, homo Græcus, doctus quidem, at invidus, ut manibus extorqueret POLITIANO partam hac verſione gloriam, aliam ipſe ſuſcepit Epigrammatis hujus interpretationem, cui illam POLITIANI concinnitate longe ceſſuram ſperabat. Eandem ex Pariſienſi *Epigrammatum* LASCARIS editione

 profert

profert BERN. MONETA in *Menagian. l. c.* En ejus principium:

Γαςρὶ μὲ βαςάζουσα, θεῶν νόον εἴρεται μήτηρ &c.

Utramque comparavit inter ſe,&,quid notandum ducat in ſingulis, nos docuit *l. c.* idem, quem modo dixi, MONETA. POLITIANUM in eo carpit, quod non ipſum inducat loquentem *Hermaphroditum*, ſicut factum eſt a PULICE, ſed hiſtorico ſaltem ſcribendi genere in pingenda *Hermaphroditi* imagine utatur; quo ipſo multum putat de gratia & venuſtate operis decedere. Nec prætermittendam fuiſſe putat POLITIANO illam conſcenſæ ab *Hermaphrodito* deſcriptionem arboris, quæ ad ripam fluminis poſita Poetæ dicitur. Jungere his MONETA potuiſſet alia, in quibus liberius a verbis PULICIS evagatus POLITIANUS putari poteſt; quo illud pertinere videtur, quod ſub initium ſtatim ipſa Deorum, quos conſuluiſſe fingitur mater Androgyni, nomina memoret, quæ elegantius celaverat PULEX, ne, repetitis ſæpius iisdem nominibus, delicatas aures offenderet. Hos ſcopnlos etſi evitaverit interpres alter, LASCARIS; neque ipſe tamen ſatis ad palatum eſt ſcriptori Gallo. Hujus nec tam faciles molleſque numeros, nec tantam putat in ſyllabarum quantitate diligentiam. Vocis κάρα ſyllabam alteram correptam monet a LASCARE contra omnium antiquiorum Poetarum uſum. Atque hæc in ejus verſione cum & ii forte animadverterent, quos ipſe æquales habebat, quique de palma interpretis utriusque arbitrium ferre poterant; inveterato in POLITIANUM odio jam fræna laxavit, & acerbis in eum verſiculis luſit, quos ſuo loco protuli ſupra. Cognitis utriusque interpretationis maculis, dubius MONETA, cujus ſe magis addiceret partibus, id ſibi datum putavit, ut ſuas ipſe ea in re vires periclitaretur, & novæ, quæ binis illis concinnior longe accuratiorque eſſet, verſioni manum admoveret. Abſolutam hanc nobis dedit *l.c. p. 445.* Dicendum omnino eſt, feliciter ceſſiſſe Viro docto laborem ſuum, nec quidquam facile ab eo prætermiſſum, quod verſioni gratiam conciliare poſſet. Apparet tamen, ſi penitius inſpicias, varias & huic interpreti in negotio iſto obveniſſe difficultates, quas ut ſuperaret, non dubitavit alia interdum ſubſtituere, quam PULEX ei Poeta ſubminiſtraverat. Sic in Apollinis

linis & Junonis Deorum locum Saturnum & Jovem ſufficere ipſi viſum eſt. Ita enim ſingula melius faciliusque noverat verſu poſſe exprimi. Neſcio, an hujus rei veniam, ut ſperat, impetraturus ſit ab omnibus. Multi enim tum demum judicabunt boni interpretis laudem meriturum fuiſſe MONETAM, ubi Græcis concinne numeris reſpondere juſſerit ea ipſa, quæ PULICI placuerat confingere. Non verti tunc, dicent, quando, abjectis Autoris fictionibus, novas excogitamus. Mihi certe hic magis placeat POLITIANUS, qui eadem retinuit Deorum nomina, nec ideo quidquam interprete Gallo invenuſtior videtur. Habes igitur, Lector, trium doctiſſimorum virorum de eodem argumento labores, alterum altero elegantiorem, ſingulos habentes præcipuum aliquid ac ſingulare. Palmam in medio poſitam relinquo; modo POLITIANUS meus non defraudetur laude ſua. Ut enim largiar, quædam ab illo reddi potuiſſe aut accuratius, aut elegantius; tamen, cum primus fuerit, ni fallor, qui huc animum appulerit, officio ſuo ſatis defunctus egregie videtur. Neque defuerunt omnino, quibus cum plauſu & voluptate excepta hæc fuerint. Talis eſt MICHAEL BENTINUS, qui in *Animadverſ. ad* PEROTTI *Cornu Copiæ, Epigramma Pulicis, antiqui Poetæ,* ait, *pari verſuum numero & venuſtate græcum factum ab Angelo Politiano.* Quin ipſe MONETA, a quo diximus notata nonnulla, fateri neceſſe habuit *l. c. p.* 442, non exiguæ id gloriæ cedere POLITIANO, quod carminis tam venuſti pulchram ſatis dederit interpretationem; idque Græci ſermonis copiæ, qua abundavit POLITIANUS, unice fere tribuendum putat. Quodſi tamen ſint, qui ob levia illa, aut neglecta ibi, aut prætermiſſa, omnem prorſus abjiciendum laborem putent; hos, velim, ad ſimile opus ſe accingere, ut propria demum experientia diſcant, quam facilius ſit in his rebus videre meliora, quam perficere. Multa enim in numerato habeat, neceſſe eſt, qui Græcis numeris reddere carmina Latina inſtituit. In *Ephem. liter. Belg. Maendelyks Uittrekſels Anni 1716. Menſ. Octobr.* Poetæ etiam Belgæ invitantur, ut, comparatis inter ſe horum Triumvirorum interpretationibus Latinis, vernacula ipſis lingua vertere *Epigramma* PULICIS conentur,

 tum-

tumque ingenii ſui fœtum Diario huic inſerendum permittant. Sed id nemo Belgarum auſus eſt ad hunc diem; certe in Diario illo tale nihil obveniſſe mihi memini.

(*t*) Indulſit interdum ingenio ſuo POLITIANUS, &, quid in eodem argumento poſſet tam Græca, quam Latina, Poeſi, expertus eſt. Habemus bina ejus in *Vol. Egigr. Græc. in Corydonem* & *in Pamphilum*, unius ſaltem Diſtichi, *Epigrammata*, latine primum conſcripta a Noſtro, (ejus enim eſſe, colligo ex eo, quod nulla Autoris alieni in titulo facto ſit mentio, ſicut obſervamus in aliis, aliunde arceſſitis,) poſtea eadem gratia, eodem verborum ordine, græce reddita. Eandem operam impendit alienæ Muſæ tam vetuſtis, quam recentioribus, *Epigrammatis* Latinis. Tale eſt Anonymi cujusdam, *in domum quandam*, quod Græcum fecit POLITIANUS rogatu CIAMPOLINI, qui ſuis id poſtea ædibus in honorem POLITIANI inſculpi curavit. Referas huc etiam, ſi placet, illud POLITIANI *in Puerum Thracem*, ubi non tam vertiſſe, quam imitatus ſaltem, videtur GERMANICI de eodem argumento Latinum, quod illi præmiſſum legitur. Non enim copioſius tantum eſt numeris, ſed in fictionibus etiam aliam ſæpius, quam in Latino animadvertas, indolem ſequitur.

§. II.

Ex Græcia in Latium progreſſus POLITIANUS, ampliſſimum hic, in quo doctrina ejus libere excurrere poſſet, apertum ſibi campum vidit. Quandoquidem, converſus primum ad ingenuarum artium ſtudia, ſuarum id maxime eſſe partium judicavit, ut impigre liberaliterque eorum juvaret conſilia, qui torpenti miſere, jamque tetrica barbarie infuſcatæ penitus, Italiæ perditum Romanæ eloquentiæ decus reſtituere, in animum induxerant;

xerant; (*a*) relictis sordidis majorum vestigiis, rectiorem secutus viam, ex limpidissimis Latii antiqui fontibus Latini præcepta sermonis hausit. Ad quorum exercitationem cum maximam ingenii vim atque singularem attulisset industriam; ad eam facile Romanæ linguæ elegantiam pervenit, ut & in maxima eo nomine apud suos celebritate nominis versaretur, (*b*) &, multorum judicio, a veterum Autorum maturitate haud adeo abesse longe putaretur. (*c*) Factum hinc est, ut genus scribendi, quo usus est in libris suis POLITIANUS, ad omnem antiquitatis elegantiam comparatum, non potuerit non collaudari mirifice a viris doctis, atque commendari. (*d*) Cujus ipse, quippe a serva aliorum imitatione multum alienus, eam maxime secutus rationem intelligitur, ut optimam cujusque veterum Scriptorum indolem, &, quæ propriæ cuique essent, veneres, pro rerum scribendarum diversitate, oratione eleganti & concinna exprimeret. (*e*) Quo nomine an justam eorum animadversionem incurrerit, qui universam stili compositionem, verborumque omnium ordinem & conformationem ad unius ingenium Autoris accommodatam voluere, dubitari potest ab istarum rerum intelligentibus. Fuerunt alii, qui, nimis, ut existimo, invidiose omnem ejus dictio-

ctionem ad nescio quas leges Critices exigentes, animadvertisse sibi hic vitia & probra verborum visi sunt. (*f*) Vetustiorum vocabulorum quodammodo studiosus fuit Noster, quod ægrius ferret, eorum, quæ cum Urbe veteri æqualem fere ætatem ducerent, nostra demum culpa penitus obliterari memoriam. (*g*) Barbara vero & peregrina si qua forte in ejus scriptis delicatas aures offendant, pauca illa aut, si ita placet, de industria inspersit, aut, si diutius vixisset, emendaturus sponte fuisset. (*h*)

(*a*) Quam profundis immersæ tenebris per longam seculorum seriem Musæ latitaverint in Italia, disturbantibus omnia ac misere pervastantibus barbaris, abunde rerum monumenta loquuntur. Extulere primum caput e squalore suo Seculo post C. N. decimo quarto, adhuc tamen quasi titubantes ac formidolosæ, nec nisi unius forte FRANCISCI PETRARCHÆ, incomparabilis Poetæ, suffultæ auxilio. Tumque, excusso magis magisque torpore, efflorescere in dies lætius cœperunt, vixque seculi spatium emensæ, splendorem suum per omnem latius circumtulerunt Italiam. Tulit hæc ætas largam præstantissimorum ingeniorum segetem, quæ, auspicato prognata sidere, conjunctis viribus, fortissimoque impetu, in exstirpanda omni, quæ latius regnaverat, barbarie, & reconcinnanda omnium literarum dignitate, elaborarunt. Habuit quælibet doctrinæ pars suos & amatores & vindices, quorum opera si non ad extremum statim fastigium provecta, eo tamen perducta est, ut proprio facile nisu extollere se altius potuerit. Cœpit inprimis pristino nitori suo restitui perditus fere Romanæ linguæ honor, cui exornando operam tunc temporis doctissimus quisque dedit. Quorum sicut alius alio ad nobilissimum hoc opus perficiendum aptior, alius animosior, fuit; ita principes illorum, meritisque istis præ ceteris conspicuos, HERMOLAUM BARBARUM atque ANGELUM

LUM POLITIANUM omnis ætas judicavit. Etsi enim in hisce studiis haud parum præstitisse dicendi sunt Italorum alii, PICUS, FICINUS, MERULA, LEONICENUS, CRINITUS, hisque plures; hi tamen omnes aut non id unice egerunt, ut priscæ eloquentiæ decus repararent, aut ad illius incrementa non tantum certe, quantum BARBARUS ille & POLITIANUS, attulere. Excepti sunt horum Duumvirorum egregii conatus bonorum omnium plausibus & admiratione, finibusque Italiæ egressa horum fama, ad exteras gentes, ad Gallos confines, ad Belgas, & si qua alia gens non a literis abhorruit, perlata est. ERASMUS sane, ipse non ultimus in hoc studiorum campo, utrumque horum in *Epistola ad* GUIL. BUDÆUM, quam vide inter *Epp. ejus p. 172. edit. Lugd. egregios Heroas* dicit, *& omnium consensu prorsus inimitabiles.* Rursus honorificam eorum mentionem facit in *Vita* HIERONYMI: *Eximios viros nostra vidit ætas, & qui ne Ciceronis quidem seculo inter elingues habiti fuissent, quorum præcipui sunt Laurentius Valla, Herm. Barbarus, Ang. Politianus, & noster Rod. Agricola.* Similiter *Heroes excellentissimi* vocantur FR. FLORIDO SABINO in *Lection. Succisiv. Lib. II. Cap. 9.* Egregie etiam horum virorum laudes conjungit QUINTIANUS STOA in *Elegia funebri Phil. Beroaldi:*

Atque eadem invadet, quæcunque volumina verbis
Barbarus antiquis edidit Hermolaus;
Quicquid & antiquis mandaverat ipse papyris
Angelus, erosis stabit in Archetypis.

Nec immerito junguntur hac laude bini illi literarum vindices, quos ipsos, remotis quasi arbitris, mutuis Epistolis ad suscitandas bonas artes conspirasse cernimus. Offert se socium POLITIANO BARBARUS in literis ad eum, *Lib. I. Epp.* POL. *Ep. 9,* his fere verbis: *Postulo a Te quasi meo jure duo. Primum, uti vivere diu studeas, non tibi, sed & tibi sane, dum literis primum, & bonis artibus, quibus hercule succurrendum est, ruinosis & nutantibus, brevique casuris, nisi per solertissimos homines ope summa prospiciatur. Alterum, uti aut tu me socium in hæc adhibeas, aut, a me adhibitus, æquo animo patiare.* Lætus vero, tam fortem contigisse sibi commilitonem, POLITIANUS, ivit statim

 cum

cum eo in fœdus, omnemque ei promisit operam suam in *Epist. ad* BARBARUM, illam subsequente, cujus maxime delector verbis: *Si Hermolai mihi dentur decem, sub quibus meream, facile sperem, literas, cum Græcas, tum Latinas, e barbaria media receptum iri.* Præclara inprimis, &, quæ hic recitentur, digna admodum, sunt verba GERMANI BRIXII, disertissimi Gallorum, qui, nullo necessitudinis aut familiaritatis vinculo illis junctus, in veneranda eorum memoria totus est in *Epist. ad* DES. ERASMUM, quæ legitur in *Epp.* ERASMI *p. 192. Habuit nostra hæc ætas*, inquit, *bonarum literarum proceres duos, Hermolaum Barbarum, atque Angelum Politianum, Deum immortalem! quam felici ingenio, quam acri judicio, quanta facundia, quanta linguarum, quanta disciplinarum omnium, scientia præditos! Hi Latinam linguam, jam pridem squalentem, & multa barbariei rubigine exesam, ad pristinum revocare nitorem conati sunt, atque illis suus profecto conatus non infeliciter cessit, suntque illi de Latina lingua tam bene meriti, quam qui ante eos optime meriti fuere. Itaque immortalem sibi gloriam, immortale decus, paraverunt, manebitque semper in omnium eruditorum pectoribus consecrata Hermolai ac Politiani memoria, nullo ævo, nullo casu, nullo fato, abolenda.* POLITIANO certe hanc uni gloriam tribuere solebat JUL. CÆS. SCALIGER, quod *primus erecto capite ad exules respexerit literas*, & facem prætulerit reliquis, qui idem postea saxum volverunt, uti nos docet filius, JOSEPHUS JUSTUS, in *Scaligeran. p. m. 272.* Idem in *prim. Scaligeran. p. m. 103* POLITIANUM jungit duobus illis bonarum literarum restitutoribus, THEODORO GAZÆ, & JO. PICO, quibus unis *invidere* se dicit. Nec inter primos tantum, sed inter maximos etiam, elegantioris doctrinæ reductores, Noster locum occupavit. *Politianus*, ait JAN. RUTGERSIUS in *Var. Lect. Lib. IV. Cap. 20, non suo tantum ævo, quo literæ caput vix extulerant, sed eo etiam, quo plenissime revixerunt, principatum pæne tenuit.* Concinne etiam Vir egregius, APOSTOLUS ZENUS, in *Notis ad* JO. CASÆ *Vitam P. Bembi*, præmissam *Tomo II* Collectionis *Historicorum Venetorum (degli Istorici Veneziane) p. 4. n. 6, Politianum*, dicit, *iis fuisse instructum ingenii viribus, ut regnantem per illa tempora barbariem totius*

Latii

Latii, totiusque Italiæ, finibus potuerit depellere. Unde & *maximus Italorum* audiit PETRO COLVIO *ad Lib. I. Floridor. Apuleji*, & SCALIGERO in *Castigat. Catull. vir cum nullo nostræ ætatis comparandus.* Quin MARSILIO FICINO, Præceptori suo, tantum præstitisse videtur in expugnanda barbarie, quantum Hercules forte in debellatis a se mille monstris. Magnifica profecto ejus ad GUICCIARDINUM oratio est in *Apologia, Libris de tuenda valetudine* subjuncta: *Tu vero, Guicciardine carissime, ito nunc, ito alacer, Politianum Herculem accersito. Hercules quondam, ubi periculosius certandum foret, vocitabat Iolaum, tu nunc similiter Herculem. Nosti profecto, quot barbara monstra, Latium jam devastantia, Politianus Hercules invaserit, laceraverit, interemerit, quam acriter expugnet passim, quam tuto propugnet. Hic ergo vel centum Hydræ capita, nostris libris minitantia, contundet statim clava, flammisque comburet.* Quæ cum legisset forte in libro FICINI ANGELUS, divinum illud *Herculis* nomen modeste ab sese deprecatus est in literis ad FICINUM, *Lib. VI. Ep. ult.* cujus, etsi integra in hoc versetur argumento, verba saltem prima dabo: *Herculem me vocas in libro tuo de Vita, quod monstra domem, puto, illa intuens monstra, quæ veterum libros nimis obsident, in quibus ego purgandis diu multumque laboro. Magnifica laus, præsertim a Philosopho illo, qui sit princeps in secta principe. Sed ego tanti nominis pondus sustinere non queo, non magis, quam cœlum, quod ipse tamen Hercules sustinuit.* Addo hic, tanquam in transitu, istam *Herculis* appellationem, quasi non invito ipsi auditam, acri stilo exprobratam esse POLITIANO ab assiduo famæ ejus obtrectatore, BARTHOLOMÆO SCALA, in literis ad eum datis, *Lib. XII. Epp.* POL. *Ep. 16;* unde simultates enatæ sunt & diuturnæ & maxime acerbæ, de quibus infra fusius dicendi occasio recurret. Id saltem hic ex verbis FICINI cognoscimus, ne viventi quidem POLITIANO reductæ in lucem Latinæ linguæ gloriam negatam fuisse. Neque hæc a nobis ipsis negari poterit, si recte consideremus ardentissimum illud studium, quod vel in emendandis, vel inter se conferendis, vel ipsa oratione exprimendis, Scriptoribus Latinis pæne omnibus, per omne vitæ suæ tem-

pus, posuerat. Etenim huc studiorum ejus rediit pars maxima, & in plurimis, quæ posteritati reliquit, ejus scriptis luculentissima hujus laboris vestigia deprehendimus, studiosissimumque ejus sermonis, quo usi Autores veteres, cognoscimus.

(*b*) Vix ex omni ætate hominem quantumvis bene meritum de literis proferas, quem tanto apud suos in honore fuisse ob doctrinam singularem constet, in quanto apud Italos suos ob excitatas ab inferis Latinas literas POLITIANUS fuit. Is simul ac priscos illos omnis eloquentiæ magistros in manus sumere, versare diligenter, accurate investigare, eorum præcepta juventuti exponere, elegantiamque exprimere oratione, cœpit; defixi in eo omnium hæsere oculi, non illorum modo, quibus parum in his rebus judicare datum erat, sed eorum maxime, qui iisdem ad propugnandas bonas literas armis præcincti stabant. Plausus tunc & acclamationes ipsi frequentissimæ auditæ sunt; laudare quisque eum, admirari, suspicere, & in ejus castris stipendia mereri. Cujus rei tot fere documenta exstant, quot suppetunt eruditorum ad eum Epistolæ. Ex quibus ea saltem delibabimus præconia, quæ a viris prorsus doctissimis collata POLITIANO, maximum huic rei afferre pondus possunt; ne, quod præcipuum videri potest eorum, quæ ad ornandam POLITIANI memoriam pertinent, id prætermisisse videamur. Audiamus primum JO. PICUM, ex intimis, ut videtur, cordis penetralibus effundentem verba in *Ep. ad* POLITIANUM, *Lib. I. Ep. 8: Is es, mi Angele, (facessat adulatio,) cui ex nostris unus, aut alter, ne dicam, nemo, conferendus sit. Quodsi plures essent tales, non haberent hæc secula, cur inviderent antiquitati. Incumbe quæso, & literas, quantum potes, a situ recipe, ne nitor ille Romanæ linguæ injuria temporum penitus obsolescat.* &c. Omnibus, qui ante POLITIANUM ad hoc genus studiorum animum converterant, Nostrum longe præfert LUCIUS PHOSPHORUS, Pontifex Signinus, in *Epist. ad* ALEXANDRUM CORTESIUM, *Lib. III. Epp.* POL. *Ep. 10. Accipe,* inquit, *in aurem velut μυστήρια, cave, enunties. Ego Politianum nostrum, mi Alexander, summopere amo, & admiror, atque ei omnia summa tribuo. Et, ut libere, quod sentiam, dicam, non magis istum damnandum censeo, quam illos laudandos, qui quadringentis abhinc annis papyros & chartas,*

tas, velut maculis prætextas, & encausticas tabellas, inusserunt potius, quam ulla egregia forma atque imagine illustrarunt, præter unum aut alterum,&c. Idem rursus in *Epist.ad* POLITIANUM, *Lib. III. Ep. 14: Ego, te plane Latinum esse, judico. Nam illud ne inimici quidem negant, te supra, quam dici possit, curiosissimum ac diligentissimum esse, & omnes forulos excussisse, teque doctrinæ quidem singularis hominem fatentur — — Ergo omnes docti te unum admirantur, & fatentur, te omnes, qui sexcentis abhinc annis scripserunt, facile superare*, &c. Summa POLITIANI in Autores veteres merita terse enarrat MACARIUS MUTIUS, Eques, in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. VII. Epp.* POL. *Ep. 1. Inde frequentes*, ait, *maculas clarissimis Autoribus inustas cernimus, quas modo Politianus si polit, si abstergit, si emendat, & ad propriam reducit dignitatem, merito sane cum illis æternitatem assequitur.* Cum multa possim, unicum addo MATTHÆI BOSSI, Veronensis Canonici, præclarum de POLITIANO testimonium, obvium in *Epistola* ejus ad ROB. SALVIATUM, *Lib. VII. Epp.* POL. *Ep. 9: Dulci Politiano nostro, optimarum literarum magno gravique magistro, insignis & læta est omnis Hetruria.* Plura hujus generis hic cumulare, facile supersedeo, tum quod molestum id fore Lectori putem, tum quod vel eorum, quos protuli, Scriptorum testimonio valere aliquid potest POLITIANI, in studiis humanitatis posita, industria. FICINO quæ sederit de Nostro sententia, patet ex *not. (a)* hujus §. Spectant hæc generatim ad universa POLITIANI de literis Latinis merita; speciatim, de stilo ejus, si quæras, quid senserint illius ætatis literatissimi quique, hunc & ipsum eruditis æstimatum plurimi putamus, si fides habenda est iis, quæ ipse hac de re cum quodam, ut nonnullis videbitur, animi tumore scripsit ad MATTHIAM, Regem Pannoniæ, *Lib. IX. Ep. 1: Tantum dixero, me — — stilum denique sic ipsum per omnia pæne materiarum diverticula duxisse feliciter, ut, (quod erubesco, quanquam pæne testatum, referre,) cunctos ferme, quicunque in literis ætate mea claruerunt, habere meruerim laudatores.* Suffragatur verbis POLITIANI testimonium RAPH. VOLATERRANI, qui *Lib. XXI. Comment. urban.* cautissimum fuisse in scribendo, & frequentiores vernaculo sermone ad Amicos dedisse

literas, refert, POLITIANUM, *ne nasus aliquis, stilo offensus inpræmeditato, præjudicatæ jam de eo opinioni officeret.* Conf. G. J. VOSSIUM *de Hist. Lat. Lib. III. Cap. 8. p. 628.* Nec desunt hic eruditorum, quos æquales habuit POLITIANUS, judicia, Nostro gloriosissima, quorum nonnulla paulo post recensebimus.

(*c*) Vix majus aliquid dici posse crediderim de homine in Latinis literis sedulo versante, quam adscendisse eum ad tantum eruditionis fastigium, ut antiquos omnes eloquentiæ Romanæ autores & magistros aut æquet prorsus, aut omnino superet. Atqui fuere tamen, qui de POLITIANO honorifice ita graviterque senserint. *Divinum A. Politiani ingenium,* inquit FRANC. FLORIDUS in *Lect. Succis. Lib. I. Cap. 5, summamque eruditionem magnopere semper sum admiratus; illum cum præstantissimis Scriptoribus, quos recentiores vocamus, optimo jure collocandum, multisque antiquioribus vel æquandum, vel præferendum, ducam.* Cui facile assentitur CASP. BARTHIUS, tantum non omnia POLITIANI probans & suspiciens, in *Adversar. Lib. XXI. Cap. 17. p. 1055,* ubi, *stilum Politiani Romanos ipsos adire,* contendit, & *Lib. XLVII. Cap 5. p. 2192,* ubi ita: *Ego fateor de me, cum Romanis etiam optimis latine, cum Græcorum veterum non postremis Græce, scribentem, idque utrumque utroque stilo, æstimare hunc Angelum, nec rationem ullam videre, cur judicium hoc mutem,* &c. Quibus præivisse hoc judicio videtur FRANC. PUCCIUS, amori forte, quo præceptorem complexus est, nimium indulgens, in literis ad POLITIANUM, *Lib. VI. Epp.* POL. *Ep. 4: Etenim, si quid mihi de literis judicii est, non juniores modo omnes longo post te intervallo reliquisti, sed veterum etiam Scriptorum laudem in hoc quidem genere haud dubie adæquasti.* His ipsis vero, tam liberalibus POLITIANEÆ laudis præconibus, si id negotii daretur, ut, per singula eundo Romanæ eloquentiæ capita, ostenderent, quam prope in quolibet accesserit ad veterum Autorum dignitatem POLITIANUS; vereor, ne ab eorum præstantia aliquo adhuc intervallo remotum POLITIANUM inventuri sint in nonnullis, reque melius inspecta, aliquam illis præ Nostro singularem laudem concessuri.

(*d*) De

(d) De ſtili ratione, quo uſum in varii generis ſcriptis ſuis POLITIANUM cognoſcimus, jam plenius dicturus, ſive laudantium, ſive reprehendentium, me adjungam partibus, utrinque mihi cum multis, qui contra ſentiunt, pugnandum video. Adeo non eadem omnibus de illius dignitate & virtutibus ſententia ſedit, nec idem omnibus naſus, idem palatum, fuit. Quorum diſſonis opinionibus eo difficilius expedire te poſſis, quo frequentius rem eandem laudi vertere POLITIANO cernas alterum, quam vitio alter verterat. Evitabimus vero hos ſcopulos, ea in judicando ratione ſervata, ut, nullius Scriptoris adſtricti imperio, & quaſi ignorantes, quas quisque partes ſecutus ſit, libere & ex ingenio noſtro, quid nobis videatur de ſtilo POLITIANI, doceamus Lectorem. Quandoquidem vero non noſtrum tantum, ſed aliorum etiam noſſe judicia, Lectoris intereſt; priuſquam a nobis ipſis ſententia dicatur, illos prodire in medium, quos laudatores POLITIANUS habuit, jubebimus, facturi paulo poſt convenientiore loco illorum mentionem, qui inveniſſe ſibi, quod carperent, in POLITIANI dictione viſi ſunt. MARCO ANTONIO MAJORAGIO in *Orat. X. p. 227 facundus* dicitur POLITIANUS *& oratione politus*. JAC. GADDIUS *de Script. non Eccl. p. 135 orationis ſolutæ Dædalum* vocat. ERASMUS, qui POLITIANUM *delicias ſeculi ſui* vocat in *Ep. ad* ANNALAM BERSALAM, (vid. in *Epp.* ejus *p. m. 84*) hujus ſtilum unice amplexus, fatetur in *Dial. Ciceroniano p. 90. edit.* HALLBAUER. *Angelum prorſus Angelica fuiſſe mente, rarum naturæ miraculum, ad quodcunque ſcripti genus applicaret animum; ſed nihil ad phraſin Ciceronis, diverſis virtutibus ſuſpiciendum eſſe.* Nec alio nomine ZASII genus ſcribendi ſuſpexit, quam quod POLITIANI veneres ac lepores redolere videretur, uti docent verba in *Epiſtola* ejus *ad* ZASIUM, obvia in *Epp.* ejus *p. m. 1531*: *Nullius ſtilo magis capior, quam tuo, non tantum ob id, quod caſtiſſimus eſt, & ab omni nævo puriſſimus, verum etiam ob id, quod Politianicam illam venerem ac delicias mire referre videtur, cujus viri ingenio ſemper ita ſum delectatus, ut nullius æque;* & RUD. AGRICOLAM magni fecit, (vid. ejus *Adag. p. m. 337,*) quod *in oratione Politianum quendam lepore retulerit.* LUDOVICUS

VIVES,

VIVES, etsi non in omnibus ferendum putet sermonem POLITIANI, *elaboratum* tamen,*verbaque ejus bona, & usui communi apta*, dicit in libro *de Trad. discipl. Lib. III. p. 540*, ibidemque *p. 524, magnas habere* eum *argutias*, fatetur, quin ipsi eum PLINIO ita jungit *Lib. IV. p. 576*, ut utrumque dicat *ad comitatem stili facere.* Placuit multis inprimis mollis ejus in dicendo suavitas, amabiles argutiæ, & ingenii acumen singulare prorsus. CASP. BARTHIUS in *Advers. Lib. XLVII. Cap. 5. p. 2192 ejus in scribendo singulares gratias* prædicat, quamvis & alias hic ejus virtutes commemoret *ibid. Lib. XIX. Cap. 17*, ubi, *inventionum*, ait, *acumine, lectionis varietate, judicii dexteritate, singularem illius hominis felicitatem fuisse, eamque, quo rarior in utroque genere orationis pari laude cui contingere soleat, eo in isto gratiorem.* MARTINUM A SCHAUMBERG, Principem & Episcopum Eystadianum, refert ROB. TURNERUS DEVONIUS in *Orat. de hujus vita & morte*, quæ est in Volumine *Orationum p. m. 218, invenisse in Politiani arguto scitoque genere, quod hominis non omnino plumbei aurem mentemque mirifice afficiat & demulceat.* Easdem virtutes tanquam POLITIANO proprias & peculiares immensis laudibus effert Criticorum oculatissimus, CASP. SCIOPPIUS, in *Epist. ad* J. C. CAPACCIUM, præmissa PASC. GROSIPPI *Parad. lit. p. 34 seq.*: *Latina ejus oratio — — tantum habet veneris, tantumque argutiæ, ut nemini, quamvis decies relecta, satietatem afferat, aut, uti Plinius loquitur, tædio veniat.* Unde factum est, ut comparatus cum eruditorum sui temporis præstantissimis POLITIANUS, eorum multos superasse elegantia sermonis videatur Scriptorum non uni. Nihil contra eum valere MICH. MARULLUM, contendit JOS. JUST. SCALIGER in *Castigat. Catull.* huncque dicit *omnium maxime ridiculum, qui, cum nullum aut admodum exiguum sensum harum* (Latinarum) *literarum haberet, rideat Politianum, virum non solum se majorem, sed & cum nullo nostræ ætatis comparandum.* GUIL. BUDÆO, maximæ famæ Gallo, prælatum cernimus POLITIANUM a FR. FLORIDO in *Lect. Succis. Lib. II. Cap. 8. Si forte plura*, inquit, *a se, quam ab illo, observata diceret Budæus, in Politiani certe scriptis major apparet, quam in illius operi-*

operibus ingenii vis, major Latinæ linguæ candor. Floridiorem longe concitatioremque POLITIANI fuiſſe, quam JO. FRANC. PICI, *orationem*, perhibet JO. CELLARIUS, hujusque ſententiæ ſuæ rationem reddit in *Reſponſione contra Neminem Wittenbergenſem, ſub nomine Nullius Lipſienſis* edita, cui locum dedit Magnif. VAL. ERN. LOESCHERUS in libri: *Vollſtændige Reformations-Acten, T. III. Cap. 10. p. 802*, ubi hæc: *Franciſcus ille Picus nonne propterea eloquentiæ fuit aridioris, quod plus æquo in Philoſophiæ ſtudium ſe conjecerat? Angelus autem Politianus & vivacior & flammeus magis eſt oratione, qui a Philoſophiæ ſtudio quippiam remiſerat. Non enim fieri poteſt, ut ad miraculum uſque eloquens ſis, ſi Ariſtotelis Euripos exhaurire cogaris.* BARTH. SCALAM etiam, de quo plura paulo poſt, & PAULUM CORTESIUM, cum quo amica Noſtro de imitatione Autorum veterum interceſſit controverſia, in ſcribendo inferiores longe fuiſſe POLITIANO, libere decernit ERASMUS in *Ciceroniano p. m. 124: De Bartholomæo Scala dicam, cui Hermolaus & Politianus viſi ſunt parum Ciceroniani, ipſe ſibi Tullianus eſt viſus, utcunque diſſimulat. At ego malim ſomnia Politiani, quam quæ Scala ſobrius ſummoque ſtudio elucubravit. Paulus Corteſius non diſſimulat hujus affectationis ſtudium; ſed, Deum immortalem! quanto longius illius Epiſtola diſcrepat ab imagine Ciceronis, quam Politianica, cui reſpondet.* Generatim hæc de ſtilo POLITIANI prolata eruditis; jam, quid in ſingulis ejus ſcriptis cuique viſum ſit optimum præſtantiſſimumque, dicamus. Non enim eadem omnium dicendi ratio eſt, ut ſunt argumentis ipſis inter ſe diverſiſſima. In unoquoque horum quantum ſibi vindicent Autores veteres, ſatis graviter exponit JO. FRANC. PICUS in *Epiſt. ad* GIB. BARB. *Lib. III. Ep. 10: Politianus in Epiſtolis omnes priſcos expreſſit; in Miſcellaneis Gellium feliciter imitatus; in Herodiani vertenda Hiſtoria Tullium Livio adglutinavit;* de reliquis ejus ſcriptis liberum cuique judicium permittens. Sed jam ordine rem exequamur. *Epiſtolarum*, quæ dignitate & præſtantia primum ſuo jure in *Operibus* POLITIANI locum tenent, *admirabilem* eſſe *ornatum*,

ait BARTH. SCALA in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. V. Ep.* 4, forte alia quæque animo ſentiens homo invidus, *doctrinam novam plane atque incredibilem, inuſitatam incomparabilemque facundiam.* ROL. MARESIO in *Epiſt. Lib. II. Ep.* 1 *inter novos Epiſtolarum ſcriptores Politianus valde politus & elegans* videtur, idemque *Lib. II. Ep.* 4, *cum Politiano & Eraſmo*, fatetur, *errare ſe malle, quam cum Bunello & Manutio*, qui ipſe POLITIANI ſtilum epiſtolarem damnaverat prorſus, *ſapere, quorum Epiſtolæ rerum* ſint *inopes, verbis canoræ.* Cui judicio non omni ex parte ſubſcribit DAN. GEORG. MORHOFIUS in *Polyhiſt. P. I. Lib. I. Cap.* 23. §. 30. Sed facit cum MARESIO PAUL. COLOMESIUS in *Præf. ad* G. J. VOSSII *Epiſtolas*, ubi *egregia* multa, *quæ incaſſum alibi quæras, edoctum ſe* dicit *Angeli Baſſi, a patria Politiani, & Roterodamenſium Phœnicis, Epiſtolis, reclamante licet Paulo Manutio, viro quidem politiſſimo, ſed in cujus Epiſtolis præter verba nihil habeas. Epiſtolis* Noſtri *nihil exiſtere politius*, putat Vir egregius, CHRISTOPH. COLERUS, in *Diſſ. Ep. de Studio Politic. p.* 210. Quam Latinas, quamque facetas, duxerit JAC. CRUCIUS, patet ex literis ejus *ad* THEOD. BOELIUM, *Lib. II. Epp. ejus p. m.* 246: *Politiani literis quid politius dari poſſit, non video, qui, quot habet verba, tot illecebris leporibusque abundat, & Latium illud vetus ita ſapit, & Atticas veneres, ut vel hic unus omnium inſtar eſſe poſſit ei, qui in commercio hoc literarum ductorem deſiderat.* Ob pulcherrimum earum ſermonem dignas, quæ legantur, putavit RICH. SIMON in *Bibl. Crit. T. III. Cap.* 22. *p.* 236. *in not.* Jungo his honeſtiſſimum de *Epiſtolis* POLITIANI teſtimonium SEBAST. MURRHONIS, Junioris, in *Epiſt. ad Studioſos*, quam præmiſit editioni *Epiſtolarum* POLITIANI *Argentinenſi anni* 1513: *Si vultis Epiſtolas ſcribere & concinnas & doctas, Politianum vobis ducem proponite. Quem ſi continget feliciter imitari, meo quidem teſtimonio eloquentes abibitis. Eſt enim proprius, eſt copioſus, eſt elegans, &, quod in Epiſtolis vel maxime commendatur, facilis, ac planus. Non illi deſunt joci, non ſententiarum gravitas, non adagia, quæ ſunt Epiſtolarum veluti gemmæ quædam, ſi loco, & apte, inſerantur. Itaque hunc vobis familiarem facite, operam non luſeritis.* Multas

inpri-

inprimis in illis virtutes ſermonis admiratur Jo. BURCH. MAJUS in *Annotat. ad* MORHOFII *Librum de ratione conſcrib. Epiſt. Cap. II. p. 84*, ubi ita ille: *Sane elegantes ejus Epiſtolæ ſunt ac eruditæ, multumque ingenii in illis apparet, multum doctrinæ, nec leporis minus. – – tum delectant ſuavitas, aculei, argutiæ, varia eruditio, quæ non ſecus, ac Veneres quædam, hic conſpiciuntur, ut credant quidam, ab eo premi veſtigia veterum, & ereptas elegantias uſui noſtro vindicari.* Argutiis præſertim & urbanitate commendabiles viſæ JO. LUD. VIVI in libro *de Conſcrib. Epiſt. T. I. Opp. ejus p. m. 83. Jo. Picus*, inquit, *& A. Politianus magni. Hujus verba facile complectaris, atque exoſculeris; illius non poſſis non probare. Ille – – hic acumine & feſtivitate amabilis*, &c. De *Epiſtolis* ei ſermonem eſſe, ex ſequentibus patet. Unde idem PLINIANIS illas jungit in libro *de Rat. ſtud. puer. T. I. Opp. p. 9*, quod & factum eſt a JUSTO LIPSIO in *Inſtitut. Epiſtol.* annexa *Operum ejus T. II. p. m. 1079*, ubi perquam honorifice de his *Epiſtolis: Plinio comitem novum do, ſed majorem novis, Ethruſcum illum Angelum, qui – – cum illis ipſis priſcis pari paſſu decurrere poſſe videatur epiſtolarem hunc campum.* Quin adeo liberalem in ſtatuendo illis pretio cernas FR. FLORID. SABINUM in *Apolog. p. 10*, ut PLINIANIS omnino præferat POLITIANI *Epiſtolas.* Nec uni ita SABINO viſum eſſe, diſcas ex OBERTI GIFANII *Apologia pro Poet. Lat.* quam habes in RICH. KETTELII *Script. ſel. de Eleg. Lat. compar. p. 201*, ubi verba ſunt: *A. Politianus quam facile veterem illum in ſcribendo candorem aſſecutus fuerit, cum omnia ejus ſcripta, tum Epiſtolæ, indicant, adeo cultæ, adeo elegantes, ut bona illas eruditorum pars, quam Plinianas, malit.* Reſtrictius aliquantum, quamvis & ſic magnifice ſatis, de illis dictum a PHILIPPO MASSON in *Hiſt. Crit. de la Rep. des Lettr. T. III. p. 250*, juventuti, literarum amanti, præter CICERONIS & PLINII Epiſtolas, elegantiores concinnioresque, quas imitetur, dari non poſſe illis POLITIANI. Et fuerunt ſane, quos conſtat ita in earum lectione verſatos, ſicut forte in Autoris cujusdam priſci, easque raro de manibus depoſuiſſe. De JO. GEORG. NEUMANNO, incomparabili Theologo, refert JO. HENR. SCHOENBACH in *Vita ejus*,

vix diem præteriisse ei, quo non legendis POLITIANI *Epistolis* horulam tribuerit, semperque in pulpito ejus fixas hæsisse. Nec eruditis tantum, sed, qui fovent eruditos ac protegunt, Principibus etiam summis Ducibusque, ad palatum fuisse has *Epistolas*, variis exemplis constat. In Gallia Dux Montausiensis, Princeps magni non minus animi, quam ad literarum studia propensionis, iis unice delectatus est, semperque in promtu habuit, quæ viris doctis muneris loco daret, illarum exempla, teste VIGNEUL. MARVILLIO in *Melang. d'Hist. T. II. p. 170*, & PHILIPPO MASSON in *Hist. Crit. de la Rep. des Lettr. T. III. p. 235*. Rem fere eandem in *Essais de Literature T. I. p. 292. not.** memoriæ proditam videas de Duce Rupisfucaldiensi, qui, ubicunque fuerit, secum gessisse *Epistolas* POLITIANI, illasque certo quotannis exemplorum numero dispertivisse dicitur amicis, quos noverat narium quadam sagacitate præditos. MARTINUS A SCHAUMBERG *Epistolas* hasce non solum lectitavit frequenter, sed *sua* etiam *manu notatas*, *& asteriscis præscriptas ad memoriam*, ROBERTO TURNERO DEVONIO ostendit, teste hoc ipso *l. c.* Hispani vero tanti eas fecere olim, ut in Academia Valentina publice juventuti prælectæ sint a nobilissimis Eloquentiæ doctoribus. Testatur id LAURENTIUS PALMYRENUS, publicus Grammatices ac Rhetorices in Academia illa Professor, in libello *de vera & facili imitatione Ciceronis, ad* HONORATUM JOANNIUM scripto, & ex eo GREGOR. MAJANSIUS, Hispanorum hoc tempore eruditissimus, in *Præfatione, Libris sex Epistolarum*, quæ sunt *Valentiæ A. 1732* editæ, præmissa, *p. 12*. Illud addo, literatissimum BERNARDUM MONETAM, in elegantissimis habentem POLITIANI *Epistolas*, dignas judicasse in *Menagian. T. III. p. m. 123*, quæ a docto aliquo Gallorum cive, linguæ utriusque gnaro, eadem elegantia in sermonem transferrentur Gallicum. Utque illis, quicunque id operis suscepturi olim sint, suo ipse labore præiret; primam omnium, quæ in fronte *Epistolarum* legitur, Dedicationis instar ad PETRUM MEDICEM datam, multo, ut videtur illi, apparatu doctrinæ scriptam, simulque lectu jucundissimam, ipse accurate vertit ac nitide, doctissimumque Commentarium, varias explicantem

cantem POLITIANI dictiones aut formulas Latinas, subjecit *ibid. p. 559 seq.* de quo copiosius forte infra *Sect. II.* Alia de stilo *Epistolarum* nos docent DAN. GEORG. MORHOFIUS in *Polyh. l. c.* & Magnif. JO. GEORG. WALCHIUS in *Hist. Crit. Lat. ling. Cap. XII. p. 649. edit. noviss.* quos vel indicasse Lectoribus, satis sit. Ad *Miscellanea* nos ordo vocat, in quibus cum aliæ quæque, præstantiores longe, virtutes admirandæ veniant, de stilo eorum qui mentionem injecerint, paucos recordor. Quisquis tamen intulit, ad laudandum pronior fuit, quam ad vituperandum. *Nihil mundius, nihil acutius, nihil doctius, esse ista una Centuria,* ait CÆSAR CARMENTUS in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. IV. Ep 3. Purum, erectum, elegans, perpetuoque sibi constans,* eorum dicendi genus commendat MACARIUS MUTIUS in *Ep. ad* POLITIANUM, *Lib. VII. Ep. 1.* Exquisitissimis inprimis laudibus dictionis tam castitatem, quam elegantiam, extulit FRANC. PUCCIUS in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. VI. Ep. 4*, quibus lectis, nihil erit, quod expetas præterea. *Per Deos immortales,* inquit, *quid ego primum in hoc Opere admirer? — — De ornatu illo ac lepore nitidissimæ orationis quid dicam? quæ vario quodam, & prope vermiculato, intertextu lasciviens, omnesque verborum flosculos captans, candorem tamen ubique latinitatis, & quasi pudicitiam, præfert, ut illa ipsa purpura, & muliebri mundo quam honestissimo, indefessum lectorem, uno prope decursu, a Præfatione ad extremam illam coronidem traducat.* JO. FRANC. PICUS, dum *l. c.* GELLIUM feliciter expressum dixit a POLITIANO in *Miscellaneis*, istam similitudinem magis, ut puto, in rerum, quæ ibi tractantur, varietate, quam in ipsa scribendi ratione, animadverterat; cujus itidem credo sententiæ fuisse CÆS. CARMENTUM *l. c.* ubi, POLITIANUM in *Miscellaneis non modo Gellium, & id genus alios, æmulatum,* ait, *sed longe superasse.* Pauca enim, quæ GELLII referant faciem, hic deprehendas, & aliorum quorumvis melioris notæ Scriptorum, quam hujus, imitatus Noster dictionem videtur. In Versionibus Autorum variis quantam vim sermonis & gravitatem inesse judicaverint passim eruditi, non opus est, hic commemorari; cum id factum sit copiose *§. anteced.* Orationum, seu, ut vocat PO-

LITIANUS, *Prælectionum*, quas publice recitavit ex cathedra, ſive Philoſophicarum, ſive Criticarum, quisquis laudavit ſtilum, ornatiſſimam laudavit facundiam, antiquam eloquentiam, Latinam dictionum indolem, verborumque gravem & ſonantem compoſitionem. Quæ notaſſe ſufficiat, ne in coacervandis hic eruditorum elogiis Lectori ad nauſeam uſque laborioſi videamur. De *Conjurationis* vero *Pactianæ Hiſtoria*, de qua non ubique obvia ſunt Scriptorum judicia, adhuc pauca proferam. PAULO JOVIO in *Elog. doct. vir. p.160 luculentiſſime*, eidemque *ibid. p. 23*, & G. J. VOSSIO in *Hiſt. Lat. Lib. III. Cap. 8. p. 628*, *latine ornatiſſimeque*, ſcripta putatur. Stilus ejus purus, & ad SALLUSTII rationem compoſitus, dicitur in *Caracter. des Auteurs anciens & mod. p. 122 & 149*, quem locum, ſingulari quadam ſuavitate commendabilem, ipſi, velim, evolvant lectores, ac legant. Fidem fere transgreditur notus homo, VARILLASIUS, in *Anecd. de Flor. Lib. IV. p. 194*, ubi, civitatis, in qua degebat POLITIANUS, eruditos, qui communium ſtudiorum cauſa in Bibliotheca Medicæa convenire ſolebant, lecto hujus *Hiſtoriæ* libello, omnes in eo conſenſiſſe, refert, ipſum, ſi ad talem ſcribendam Hiſtoriam animum applicuiſſet, omnis eloquentiæ magiſtrum, CICERONEM, quicquid demum ingenii adhibuerit & artis, haud felicius laudabiliusque labore iſto defuncturum fuiſſe. Imprudenter ab illis actum crediderim, ſi tantum ſibi in CICERONEM juris arrogaverint, ut de ejus ingenio & ſcribendi robore libere ita, quaſi divinitus hæc edocti, decernerent.

(e) Quis mirari auſit, non omnibus omnis generis eruditis laudatam probatamve, quo uſus eſt POLITIANUS, ſtili ac dictionis rationem, cum ejus leges Noſter ſibi longe alias præſcripſerit, quam ſecutos ætatis ſuperioris Scriptores quam plurimos apparet. Eorum, qui ad Romanæ eloquentiæ ſingulare quoddam decus adſpirant, genus, ut conſtat, duplex eſt; alterum illorum, qui non niſi unius Autoris priſci imitatione id aſſecuturos ſe ſperant, illorum alterum, qui optimos quosque Scriptores promiſcue imitandos ſibi arbitrantur. Illorum maxima pars in CICERONIS, omnis eloquentiæ principis, unice hærendum exemplo, hunc colendum unice,

unice, unice complectendum, docent; hi CICERONI LIVIUM, QUINTILIANUM, NEPOTEM, CÆSAREM, SUETONIUM, PLINIOS, & quotquot suis in dicendo virtutibus commendantur, ita jungunt, ut, in quo quisque Scriptorum fortior est altero, aut gravior, aut venustior, in eo præferendum reliquis existiment. Fecit cum his POLITIANUS, ab imitatione non omni quidem, at illa maxime, abhorrens, quæ uni tantum Autori serviliter adstricta est. Qui in PETRI BEMBI, CHRISTOPH. LONGOLII, JAC. SADOLETI, PAULI MANUTII, aliorumve, qui nefas duxere, a CICERONIS vestigiis, forma, imagine, transversum unguem recedere, scribendi ratione, quod admirentur, inveniunt, illos amovere oportet oculos a lectione POLITIANI, libertatis in scribendo amantissimi, qui, quicquid in singulis Autoribus pulcherrimum optimumque animadverterat, id æquali, suisque circumscripta numeris, oratione adhibere maluit, quam ad unius omnia vultum, colores, lineamenta, quin & maculas, effingere. Quæ res cum maximopere offenderet eos, qui, suo diffisi ingenio, & ductore ubique opus habentes, in uno defixi hærebant CICERONE, ex illius imitatione gloriam magis, quam eloquentiam, captabant, Autores alios quoscunque procul a se esse jubebant, nihil denique, nisi quod CICERONEM saperet, in manus sumebant; factum hinc est, ut illorum vituperationem incurreret POLITIANUS, & aperte dicerent nonnulli, sordere sibi stilum POLITIANI, ex se ipso natum, & nullas antiquitatis notas præ se ferentem. Fuit ex isto CICERONIANORUM grege BARTHOLOMÆUS SCALA, Scriba Florentinus, qui, quod refert Noster in *Epist. ad* SCALAM, *Lib. V. Ep. 1*, & ipsi in faciem dixerat POLITIANO, & coram aliis multis jactaverat, *non placere sibi genus scribendi, quo ipse utatur*, consiliumque ei dederat, ut ad eorum transiret castra, quibus unus placeret CICERO. Affectavit enim & hic, quantumvis dissimulare id videatur in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. V. Ep. 2*, in stilo quosdam CICERONIS lepores & gratias, etsi hujus interdum, quando a dictandis forte Epistolis publicis rediit, nullam prorsus habuisse rationem videatur. Huic docte prorsus, & cum insi-

gni

gni quadam gravitate, respondet POLITIANUS in *Epist. cit.* non negari CICERONI summæ eloquentiæ laudem, utpote præclaris in omni dicendi genere virtutibus prædito, imitandum etiam esse iis in rebus, ubi superasse Scriptores reliquos nitore elegantiaque videatur; non autem unum imitandum, sed in consilium adhibendos Scriptores reliquos, in quibus & idem Latinæ linguæ candor, & peculiares quædam insint virtutes, quas a CICERONE abesse longius appareat; VARRONEM olim in orandis caussis CICERONI palmam cessisse, in latine dicendo non item; adhæc non idem semper scribendi genus convenire *vel materiæ, quam scribas, vel personæ, ad quam scribas, vel tempori, in quo scribas;* non idem os esse APULEJI, *Milesias fabulas* recitaturi, ac CICERONIS, pro rostris dicturi; aliam jocantis, aliam exprobrantis, vocem esse; cum puero aliter, ac cum erudito, aliter cum amico, ac cum ignoto, quin & cum Principe aliter, ac cum homine privato, loquendum; nunc brevitatem verborum sectandam, nunc ubertatem & copiam, nunc graviter & nervose dicendum, nunc acute & festive; hinc pro varietate generum scribendi ipsam variare Autorum imitationem, &, in qua quisque virtute superior sit reliquis, in ea adhibendum; quin ipsius interdum CICERONIS adeo dissimilem sibi orationem cognosci, ut non ab unius pependisse regula Autoris videatur. Ultimo loco eorum ridet audaciam, qui, male formati ad omne literarum genus, ac de imitandi inprimis ratione pessime edocti, cum CICERONIS se insolentius jactarent discipulos & imitatores felicissimos, plurima vel in ipsius (POLITIANI) oratione reprehenderant tanquam putida & inepta, a quibus nec abstinuerat CICERO, vel ipsi in sermone usurpaverant barbara, quæ CICERONI, si legeret, poterant stomachum lacessere. Rogas, quid ad hæc SCALA? Nihil utique. Is enim, etsi responderit literis POLITIANI, obmutuit tamen ad hæc ipsa, quasi sibi non dicta, aliaque omnia longioribus literis complexus est, *Lib. V. Ep. 2.* At gravior POLITIANO ea de re oborta est controversia cum fortiore hoste, PAULO CORTESIO, haud degenere profecto CICERONIS discipulo, qui magna contentione, magno etiam doctrinæ apparatu, id

id efficere laboravit, ut unus præ ceteris communi imitatione noſtra dignus judicaretur CICERO. Sunt hæc ab utraque parte diſputata in *Epp.* POL. *Lib.VIII. Ep. 16 & 17*, ubi, quicquid pro utraque cauſa cum quodam veritatis vel pondere, vel colore, proferri poteſt, abundantiſſime prolatum dices. Bene factum eſt a Viro Clariſſimo FRID. ANNDR. HALLBAUERO, quod utrique, tam POLITIANI, quam CORTESII, *Epiſtolæ* locum dedit in *Collectione Opuſculorum de Imitatione oratoria, Jenæ A. 1726* edita, *p. 275 ſeq.* Legiſſe neminem pœnitebit; quandoquidem tam eleganter, tamque docte, ſunt conſcriptæ, ut, niſi probe attendas, vix, utra ſit aſſenſu dignior, definire poſſis. Argumentorum autem ſi vim & momenta ponderes, apparebit, longe graviora brevi complexum Epiſtola POLITIANUM, quam copioſis & productis literis CORTESIUM. Age, jam in ſummam contrahamus omnem horum diſputationem, idque operam demus, ut, inſpectis utriusque rationibus, facile, uter veriora tradat, appareat Lectori. POLITIANUS quidem ſuam de veterum Autorum imitatione ſententiam his maxime verbis ediſſerit: *Cum Ciceronem, cum bonos alios, multum diuque legeris, contriveris, edidiceris, concoxeris, & rerum multarum cognitione pectus impleveris, ac jam componere aliquid ipſe parabis, tum demum, velim, quod dicitur, ſine cortice nates; itaque ipſe tibi ſis aliquando in conſilio, ſolicitudinemque illam, moroſam nimis & anxiam, deponas, effingendi tantummodo Ciceronem, tuasque denique vires univerſas pericliteris.* Latius deinde proſequitur haud toleranda ſermonis vitia, quæ incurrere, neceſſe ſit, eum, cui non niſi unus Autorum veterum dicendi normam præbeat in ſyllabis vocibusque omnibus. Carere, quæcunque demum ille componat, *viribus & vita*, carere *actu, affectu, indole; jacere* omnia, *dormire, ſtertere; nihil verum* eſſe, *nihil ſolidum, nihil efficax;* ſi demas ei Autorem, unde ſapiat, & elegantias ſuas, conquirat, *vix tria ipſum colligere verba* poſſe, eademque male juncta & barbara; *tremulam* tum ejus *orationem* eſſe, *vacillantem, infirmam, male curatam, male paſtam;* hebeſcere indolem, deficere ingenium, utpote nunquam dicendo exercitatum; exulare gratiam, acumen, ve-

neres; tale hominum genus rideri a QUINTILIANO; *imitatores*, nec quidquam aliud, quam imitatores, dici ab HORATIO; denique *infelicis* esse *ingenii, nihil a se promere, semper imitari.* Satis ex his, ut opinor, patet, non ab omni imitationis genere abhorruisse POLITIANUM, sed ab eo saltem, quod libertatem eximat ingeniis, & quasi vinculis nos alliget, ut nihil conemur dicere, nihil scribere, nihil ingenio excogitare, nisi quod CICERONI dictum, aut cogitatum, fuerit. Unde injuriam POLITIANO fecit CORTESIUS, dum hæc ita accepit, ac si nullam plane Autorum veterum in stilo putaret rationem habendam; sicut nec in CORTESIUM satis æquus est ANGELUS, cum in eorum gregem hunc rejicit, qui servæ hujus ac perversæ imitationis quodam amore tenentur. Uterque enim, si vera profiteri licet, in re conveniunt, & ipse fatetur CORTESIUS, *similem se velle, non ut simiam hominis, sed ut filium parentis*; quique *habeat in hac similitudine aliquid suum, aliquid naturale, aliquid diversum, ita, ut, cum comparentur, dissimiles inter se esse videantur.* In eo uno dissentiunt, quod unum saltem, eumque CICERONEM, hic imitandum ducat, ille, præter CICERONEM, optimos quosque. Sed & hic video inelegantem & pessime instructam aciem explicari a CORTESIO. Defendit CICERONIS imitationem, non contra POLITIANUM, qui ex optimis Scriptoribus optima quæque seligi, tumque hæc ipsa stilo maxime æquali, & rei explicandæ inprimis convenienti, accommodari, jusserat, sed contra eos potius, qui ex quolibet quidlibet rapiunt, nulla vel Autoris, ex quo desumas, vel rerum & dictionum, quas desumas, ratione habita, plurima ipsi inepte gignunt & confingunt, hisque omnibus in unum congestis cumulum, sermonem confingunt absonum, durum, membrisque suis misere cohærentem. Cum his ipsis rem esse CORTESIO, manifesto docent verba Epistolæ: *Qui neminem imitari, & sine cujusquam similitudine laudem consequi, videri volunt, nihil, mihi crede, roboris aut virium in scribendo præ se ferunt: & illi ipsi, qui se niti dicunt ingenii sui præsidiis & viribus, facere non possunt, quin ex aliorum scriptis eruant sensus,*

ſus, & inferciant ſuis; ex quo naſcitur maxime vitioſum ſcribendi genus; cum modo ſordidi & exculti, modo ſplendidi & florentes, appareant: & ſic in toto genere tanquam in unum agrum plura inter ſe inimiciſſima ſparſa ſemina. — — Quid enim voluptatis afferre poſſunt ambiguæ vocabulorum ſignificationes, verba transverſa, abruptæ ſententiæ, ſtructura ſalebroſa, audax translatio, nec felix, ac interciſi de induſtria numeri? Quod, neceſſe eſt, his omnibus accidere, qui ex ſingulis ſenſus & verba eruunt, & neminem imitantur. Quid vero hæc ad POLITIANUM, cujus nec ſcribendi genus hujuſcemodi, ut ita dicam, orationis monſtris deformatum facile dicas, nec ſententia hæc fuit in *Epiſtola* ad CORTESIUM, ut ad incomtam illam & minime Latinam ſermonis rationem adhortandam juventutem exiſtimaverit? Nunquam de eo ſperare victoriam poterat CORTESIUS, niſi, in uno CICERONE univerſas illas inveniri ſermonis virtutes, oſtenderet, quas in ceteris melioris ævi Scriptoribus ſingulis diſperſas animadvertimus. Mihi certe ipſe videtur CORTESIUS, dum CICERONEM ita dixit imitandum, ut aliquid noſtrum, *aliquid naturale, aliquid diverſum,* nobis relinquatur, nihil dixiſſe aliud, quam debere imitationi CICERONIS, ut ſtilus omnibus numeris reddatur abſolutus, tale quid accedere, quod vel ingenii noſtri ſit, vel ex aliis Scriptoribus, qui ad eandem fere Romanæ linguæ maturitatem pervenere, depromtum; quæ ipſa, ut dixi, eſt ſententia POLITIANI. Ecce vero, quam mutato vultu jam prodeat CORTESIUS! Cum eo jam perveniſſet, ut nihil a POLITIANO diſſentire videretur, mox, quaſi ipſum pœniteret dictorum, in alia omnia delabitur, &, *malle ſe,* ait, *aſſeclam eſſe & ſimiam Ciceronis, quam filium aliorum.* Quaſi vero non *longe honeſtior,* (utor verbis POLITIANI, quæ ſunt in ejus ad CORTESIUM literis,) ſit *tauri facies, aut item leonis, quam ſimiæ, quæ tamen homini ſimilior eſt,* & hominis pauperrimi filius non meliore ſorte fruatur, quam ſimia Principis. Egregie CORTESIO reſpondet ERASMUS in *Dial. Ciceronian p. 125. edit.* HALLBAUER. *Si vox hæc, aliorum,* inquit, *complectitur Salluſtium, Livium, Quintilianum,*

Senecam, quis non malit, se esse similem illis, quemadmodum filius similis est patri, quam sic esse similis M. Tullio, quemadmodum simia similis est homini? Nos abundare CORTESIUM facile patimur sensu suo, certissime persuasum nobis habentes, POLITIANUM, felicissimum imitatorem CICERONIS non minus, quam optimorum quorumque Scriptorum, re ipsa fecisse testatum, quam sit pulchra, quamque concinna, dictio, cui non unus gratiam decusque omne suppeditaverit CICERO. Neque tamen ipsi CORTESIO suam perelegantis sermonis laudem negaverim; etsi ERASMO *l. c.* videatur POLITIANUS, *qui audiit non Ciceronianus*, longe *melius*, quam CORTESIUS, *Ciceronianus*, *Ciceronem expressisse*, *breviore licet Epistola*, *non tantum sententiarum argutia*, *verum etiam verbis aptis*, *elegantibus*, *ac significantibus*. Puto tamen, tantum gratiæ habituram non fuisse ejus Epistolam, nisi suum etiam secutus ingenium, & ab aliis interdum Scriptoribus, utut hoc dissimulet, mutuatus elegantiam fuisset. Quicquid autem hujus rei sit, dolemus merito sortem ANGELI, qui ex amica hac & prudenter disceptata controversia id traxit incommodi, ut a multis posteræ ætatis eruditis, iis inprimis, quibus sacrosanctum habebatur CICERONIS nomen, in illorum referretur numerum, qui, imitationem detestati prorsus omnem, a CICERONIS majestate tantum se ipsos removerunt, ut novum plane, non nisi suo confictum ingenio, eloquentiæ genus nobis venditaverint. Fallitur ex parte, &, quæ distinguenda erant, minus accurate conjungit PAUL. JOVIUS in *Elogio Andr. Naugerii*, quod est in *Elog. vir. doct. p. 145*, ubi, *proposuit sibi*, inquit, *Ciceronem ad imitandum, quem Politianus & Hermolaus fastidisse videbantur, utpote qui omnis eruditionis exundante copia instructi, aliquid in stilo proprium, quod peculiarem ex certa nota mentis effigiem referret, ex naturæ genio effinxisse, nobilius putarint, quam servili imitatione enata ad novam frugem ingenia distorsisse.* Non unum idemque est profecto, fastidire CICERONEM, & imitationi servili collum non submittere. Hoc prudentiæ duxit POLITIANUS, illud stolidi, ac de literis perversissime judicantis. Cœcam CICERONIS imitationem reprehendit, non ipsum, quem imitamur, CICERONEM. Legat,

gat, cujus scire interest, quo erga CICERONEM animo fuerit POLITIANUS, ejus *Caput I Miscellaneorum*, ubi acerrime defendit illum adversus JO. ARGYROPYLUM, simulque in eos omnes acerbe invehitur, qui calumniari hunc *Latinæ copiæ*, ut vocat, *genitorem & principem* ausi sunt. Magnifice sane de CICERONE dicta putes, quæ habet sub finem hujus *Capitis : Sic adversus generosissimum leonem, procul despectis vocibus, etiam quidam sæpe lucernarii canes baubantur.* In *Epistola* vero ad PETRUM MEDICEM, *Lib. I. Ep.1, nihil sibi*, ait, *esse magis in votis, quam ut vel umbram Ciceronis assequatur.* Nimium dedisse partium studio, & præjudicatæ opinioni, videtur PETRUS BEMBUS in *Epist. de Imitatione*, scripta *ad* JO. FRANC. PICUM, *p.m.728*, ubi ita: *Rejecissem te ad Pauli Cortesii Epistolam, bellam illam quidem, & cum argutulam, tum etiam gravem, qua is Politiani, vicini sui, docti mehercule ac ingeniosi hominis, sed, ut mihi quidem videtur, non multum prudentis, levitatem fregit, qui, Ciceronianam illam scribendi rationem atque formam, a qua longiuscule absuit, sese assequi posse nullo modo, cum videret, ad eos damnandos, qui sibi illum exprimendum sumsissent, quique omnino stilum imitatione aliqua colerent, se convertit. Itaque Paulus, docte sane ac prudenter illius dissimulationes rejiciens, tibi etiam satisfacere potuisset, si cum illo sensisses.* Quasi vero, qui non unum exprimendum sibi CICERONEM sumit, illum, necesse sit, in omnes, qui aliqua stilum imitatione colunt, odium concepisse. At, BEMBUM illum, modo in imitatione Autorum secure POLITIANI secutus vestigia fuisset, non dubito, pleniores gratiæ & suavitatis daturum nobis libros fuisse. Parum enim in his, quos edidit, meo judicio, vitæ inest, nec roboris ingeniique multum. Qua in re dissentio etiam a Viro celeberrimo, JO. GOTTL. HEINECCIO, qui in *Fundam. Stili cult. P. III. Cap. 2. §. 3. p.374*, *ludibrium*, ait, *sectatoribus debere Ang. Politianum, qui in Epistola ad* CORTESIUM *omnem imitationem ausus sit explodere.* Non sane id docent verba Epistolæ. Idem Vir doctissimus *ibid. P. II. Cap.1. §. 3. p. 228 seq. legendum potius, quam imitandum*, juventuti POLITIANUM commendat, propterea quod is æque ac BEMBUS, (de quo miror id dictum,) aliique plures, *singulare quoddam dicendi genus affectarit*. Similiter PAULUS MA-

 NUTIUS,

NUTIUS, magnus ille CICERONIS imitator, *ſe, cum* POLITIANIS & ERASMIS *miſere olim errantem, in viam reductum a Petro Bunello,* dixit, ſicut refert MORHOFIUS in *Polyh. P. I. Lib. I. Cap. 23. §. 30 ſeq.* Nec ſatis accurate doctiſſimus FRID. ANDR. HALLBAUERUS in *Præfat. Collect. Opuſc. de Imitat. §. XII. p. 9* in illorum numerum POLITIANUM refert, qui, *nullius imitati ſtilum, ſui* ſaltem, quæ ejus ſunt verba, *ingenii indolem excoluerunt.* Tantum abeſt, ut nullum imitatus ſit Noſter, ut optimos quosque imitatus ſit, meo quidem judicio, feliciſſime. Nolim autem, quisquam putet, in iſta Autorum imitatione ita verſatum ANGELUM, ut, *cum ſcriberet, affectaret verbum Græcum, aut Hebraicum, interſerere*, atque *nil novum, nil altum, nil reconditum, niſi quod ex aliorum exſculperet libris, decoraretque fuco, afferret*, quæ verba ſunt TH. CAMPANELLÆ in libro *de Libr. propr. & recta ratione ſtudiorum*, quem vide in TH. CRENII *de Philologia* Opere *p. 203.* Inſpice, quæſo, ſcripta POLITIANI, nec ita, puto, inique judicabis. Eſt aliud accuſatorum genus, CORTESIO proxime accedentium, quibus ſorduit ſtilus POLITIANI, non tam ob id, quod nullum plane Scriptorum, quam quod non unice CICERONEM, imitatus ſit, nec dictiones voculasque omnes ex illius libris in ſuos tranſtulerit; qui ſcilicet hoc ipſo declarant, facere ſe quam maxime cum illis, quos POLITIANUS in *Epiſt. ad* CORTESIUM, ſatis quidem ex merito, perſtrinxerat. In his fuiſſe PHIL. MELANCHTHONEM, colligas ex iis, quæ habentur in ejus *Rhetorica II. p. 142 : Ego vel obſcura Ciceronis lineamenta malim, quam nativam Politiani & Gellii faciem.* His ſimilia ſunt verba EDM. CAMPIANI in *Tract. de Imitatione Cap. II. p. m. 68,* & JUSTI LIPSII in *Orat. Utrum a ſolo Cicerone petenda ſit eloquentia? p. 103 edit.* KROMAYER. quæ, ne longi nimis ſimus, ipſis evolvenda Lectoribus permittimus. Ejusdem ſententiæ fuiſſe illos ipſos puto, quibus refert LUCIUS PHOSPHORUS, Pontifex Signinus, in *Epiſt. ad* POLITIANUM, *Lib. III. Ep. 14, doctrinæ quidem ſingularis hominem* appellatum ANGELUM, *eloquentiæ vero nullius;* a quorum obtrectationibus idem PHOSPHORUS ita defendit POLITIANUM, ut, falli eos, exiſtimet, ſi *non eloquentem dicant* eum,

qui

qui *ſuo quodammodo utatur ſtilo, cum complura & varia ſint genera dicendi.* Et ipſe ſuam contra hos cauſam docte agit POLITIANUS in *Epiſt. ſequ. ad* PHOSPHORUM. Nec diſſentit ab illis Vir maximi nominis, C. S. SCHURZFLEISCHIUS, ſi fides habenda JO. CHRIST. RUDIGERO in *Vitis doct. vir. P. III. Cap. 16. p. 171*, qui, legi, ait, in ejus *Colleg. MS. in* HEINSII *Catalogum* verba: *Politianus ſæpe & in dictione, & — — arguendus. Non ſemper æqualiter ſcribit, nedum ut ſemper exprimat Ciceronem.* Inæqualitatem ſi eam reprehendit, quæ ſtilum *Epiſtolarum* a *Miſcellaneorum* ſtilo, hunc rurſus a ſtilo *Interpretationum*, & ſic porro, diſtinguit, ſatis inter omnes conſtat, laudandam hanc potius eſſe, quam vituperandam; ſi dictionis inæqualitatem in ſcriptis ſingulis, in eodem nempe orationis contextu, notavit, fateor, ejus me nulla animadvertiſſe veſtigia, & culpa hac POLITIANUM prorſus abſolvendum judicare. CICERONEM autem quod non ubique imitatus ei dicitur, id, ſi viveret, POLITIANUS ſibi neutiquam putaret probro vertendum, utpote reliquis bonæ notæ Autoribus tam amicus, quam CICERONI. Nihil hæc ſtilum POLITIANI dehoneſtant; quem ne temere arguere videretur, hoc maxime incumbebat SCHURZFLEISCHIO, ut, illa ipſa barbara eſſe, nec Latinis probata Autoribus, oſtenderet, quæ præter CICERONIS indolem ac normam adhibuerat Vir bonus. Nec defuerunt cauſæ POLITIANI patroni ſui. Faciunt cum eo, quotquot ſummo eloquentiæ magiſtro, CICERONI, jungendos docent in oratione Autores reliquos, quorum demum imitatione aliquam ſtili gravitatem & concinnitudinem aſſequimur. Horum potiores videntur, qui ſingularibus id genus imitationis ſcriptis propugnarunt, DES. ERASMUS, cujus *Dialogum Ciceronianum* antea memoravimus, HENRICUS STEPHANUS, cujus exſtat libellus, *Pſeudo-Cicero* inſcriptus, & FRID. TAUBMANNUS, qui multa hanc in rem diſſerit in *Diſſert. de Lingua Latina.* Addo ſummi nominis Theologum, cujus in his etiam rebus aliquid valere poteſt autoritas, JO. FRANC. BUDDEUM, qui hanc ipſam ſtili rationem maxime commendat in *Iſagog. Hiſt. Theol. ad*

Theol.

Theol. univ. Lib. I. Cap. 4. §. 4. p. 114. Præmittenda hæc de ſtilo POLITIANI generatim duximus, ut, quæ ſpeciatim de eo dicenda mihi videntur, facilius expediri poſſint. Nos igitur, parum laborantes, quam quisque Scriptorum tulerit ſententiam, noſtrum unice ſequentes ingenium, veritatis amantiſſimum, de dictione ac ſtilo POLITIANI ita decernimus, propius illum ad veteris Latii robur ac elegantiam accedere, ceterisque illius ætatis eruditis, qui aliquid dicendo auſi ſunt, omnibus caſtitatis ſuavitatisque gloriam facile præripere, hoc magis ſuſpiciendum & admirandum, quo rariora bonarum literarum ſemina per illam tempeſtatem ſteriles Italiæ agros occupaverant. Parum profecto ingenii & boni ſenſus haberet, qui, comparatis inter ſe POLITIANI ad quoscunque, & aliorum ad POLITIANUM, Epiſtolis, quæ Volumine *Epiſtolarum* ejus continentur, non illas POLITIANI ceteris fere omnibus longe præferendas diceret. Habes hic gravitatem orationis cum mira quadam lenitate temperatam; nunc, prout res poſcit, altius aſſurgere ſermonem videas, nunc dimittere ſe, ac velut humi ſerpere; nunc expandi orationis vela, nunc contrahi; nunc copioſius dici, nunc adſtrictius; inque his omnibus Autoris cujusdam priſci indolem ingeniumque exprimi. In verborum delectu prudentem & cautum animadvertas Sriptorem, maximeque de iis ſolicitum, quæ rei cuique optime conveniunt, & ſingularem exprimendi vim habent. Nihil hic durum, nihil horridum, nihil, quod delicatas aures offendat; ſed æquabiliter omnia molliterque fluunt, habentque inimitabilem quandam vel vocum, vel dictionum, urbanitatem & elegantiam. Ingenii inprimis feliciciſſimam amplectaris ubertatem, quæ, ſive rerum doctiſſimarum excogitationem, ſive in convincendis hoſtibus inſigne artificium, ſive jucundam argutiarum feſtivitatem, ſpectes, nemini non admirabilis exiſtit. In quibus & illud maxime præclarum habet Noſter, quod, quæ primus ipſe confinxerat, hoc ipſo, quod verbis prolata ſint vetuſtis & Latinis, antiquitatis quandam ſpeciem præ ſe ferant. Ad membrorum, quibus jungitur oratio, ſi ordinem, nexum, & compoſitionem, attendas, CICERONIS deprehendes indolem in *Epiſtolis*, *Prælectionibus*, & Græcorum Scriptorum *Verſionibus* nonnullis; in *Miſcel-*

Miſcellaneis aut CICERONIS, aut, ſi mavis, GELLII, in *Conjurationis Paćtianæ Hiſtoria* SALLUSTII, in HERODIANI interpretatione LIVII, ingenium agnoſces; ſi nervum verborum, dicendi ſuavitatem, & acumen ſententiarum, ſpectes, ſuam quisque Autorum veterum ſibi partem vindicabit. Adeo Scriptorum, in quibus ineſt linguæ Latinæ candor, nullus fuit, quem non imitatus ſit POLITIANUS; adeo nullus etiam fuit, quem ſit unice imitatus. Mihi præ reliquis ejus ſcriptis, vix dici poteſt, quantum placeant *Epiſtolæ*, in quibus tanto majus Latinæ linguæ robur, tanto fortior vis ingenii latet recondita, quanto aptius hoc ſcribendi genus ad explicandas omnes, tam linguæ, quam ingenii, divitias exiſtimatur. De his, ut libet, alii ſentiant; ego certe, ſive nimio POLITIANI amore deceptus, ſive vero *Epiſtolarum* pretio adductus, fateor, earum lectione tantum me huc uſque delectatum, quantum vix recentiorum, utut elegantes ſint lectuque jucundi, Scriptorum quoquam. Quin tanti illas facio, ut teneræ juventuti, cui literarum ſtudia curæ ſunt, apprime commendandas putem, inſignemque huic fructum ſpondeam, ſi frequentiori illarum lectione elegantiſſimam illam ſcribendi rationem plane ſibi familiarem reddant. Nihil dico de rerum præſtantiſſimarum, quæ ex omni doctrinæ genere, antiquitatibus inprimis, & ſubtiliori Critica, deſumtæ, ſcituque ſunt digniſſimæ, inſigni copia; id tantum contendo, ſi a CICERONIS forte aut PLINII *Epiſtolis* recedas, non eſſe, quæ cum ſermonis caſtitate tantam ingenii ubertatem gratiamque conjunctam habeant. Singulare hoc in illis artificium miramur, quod, licet magnum doctrinæ apparatum oſtendant, nec ſine ſtudio & induſtria multa conſcriptæ videantur, tantam tamen præ ſe ferant ſermonis facilitatem, tam pulchris ornatæ ſint naturæ coloribus, ut curam artemque prorſus omnem diſſimulent. Nec jejuni aut moroſi quidquam habet, ſed ipſa gratia & ſuavitate placet, earum rerum, quæ ad elegantiores ſpectant literas, tractatio. Neque male habebit, ut puto, quemquam ſtilus *Epiſtolarum* diſpar, & pro multiplici rerum ſcribendarum ratione admodum diverſus. Singulæ bene ſibi conſtant, & ex omni parte ſecum ipſæ conſen-

 tiunt;

tiunt; at non eadem omnium eſt ratio, nec eundem omnes vel dictionis, vel elegantiæ, modum ſervant. Qua in re non male a ſe actum, perſuaſum POLITIANUS habens, obtrectatorum, ſi qui futuri ſint, reprehenſionibus occurrit in *Epiſt. ad* PETRUM MEDICEM, *Lib. I. Ep. 1*, Præfationis inſtar *Volumini Epiſtolarum* præmiſſa, ubi hæc legas: *Eſt autem omnino ſtilus Epiſtolarum mearum ipſe ſibi diſpar. Quo nomine multum quoque, ſcio, reprehendar. Nam nec eadem mihi ſemper voluntas, nec idem cuique vel perſonæ, vel materiæ, congruebat. Non deerunt ergo, qui dicant, ubi tam varias Epiſtolas legerint, (ſi qui modo legerint,) iterum me Miſcellanea, non Epiſtolas, compoſuiſſe. Sed inter diverſas opiniones, & præcipientium de Epiſtolis, & Epiſtolas ſcribentium, ſperavi, fore profecto, necubi mihi patrocinium deeſſet.* Percurrit deinde varia accuſationum genera, quas imminere Epiſtolis ſuis præviderat, hasque omnes nova plane & inuſitata, etſi valde ingenioſa, ratione diluit, ut, ſive quis longas nimis, ſive breviores, apertas nimis, ſive obſcuras, negligentius ſcriptas, ſive cum cura elaboratas, ſeveras, ſive jocoſas, carpat, aliave omnia, maxime inter ſe contraria, reprehendat, illi priſci ſemper alicujus Scriptoris autoritas opponatur, qua munitus, fortiter ſe defendere POLITIANUS, & *uſquequaque*, ut ipſe ait, *tergiverſari*, poſſit. Primum ſuo jure ipſa hæc Epiſtola, ob miram prorſus dictionis ſuavitatem, & ſingulare acumen, locum tenet in *Epiſtolis* POLITIANI, ut, lecta ea, haud inviti ad reliquarum lectionem properemus. Major hic ampliorque, quam ſolet in Epiſtolis, doctrina latet; &, ut aperte loquar, magis ingenii periclitandi, & explicandæ doctrinæ cauſa, tot ſibi videtur depugnandos ſumſiſſe hoſtes, quam quod re ipſa exſtituros crediderit, qui moroſe ita de *Epiſtolis* ipſius dicere ſententiam auderent. De ea doctiſſimus MONETA in *Menagian. T. III. p. 597* judicat, placere quidem, quod docta ſit, magis tamen placere, quod diſſimulare videatur doctrinam. Ab eodem, ſupra diximus, dignam judicatam eſſe, quam & Gallice verteret, & copioſo luculentoque Commentario illuſtraret. Præterea elegantes ſatis & eruditas in illam Annotationes dedere bini illi Epiſtola-

rum

rum POLITIANI Commentatores, FRANC. SYLVIUS, & JOD. BADIUS ASCENSIUS, ille in *Commentariis* ſuis, hic in *Racemationibus*, utriſque cum *Epiſtolis* POLITIANI junctim *prelo Aſcenſiano* editis, *p.* 4 *ſeq.* Imitatus eſt hujus *Epiſtolæ* indolem JO. BAPT. EGNATIUS ad calcem *Racemationum* ſuarum, qui tamen, ne POLITIANUM ea in re ſecutus videretur, præmonuit ſtatim lectores, eorum ſibi exemplum ante oculos fuiſſe poſitum, quorum ipſe POLITIANUS presſerit veſtigia. *Quin aliquis*, ait, *nunc ex Politiani prima Epiſtola, ſcis, frater, inquiet, derivavit hunc locum is Egnatius; quaſi vero, unde Politianus, vir certe conſummatiſſimus, hauſit, non haurire poſſim & ipſe, atque aliquid me dicturum pollicear, quod nunquam ab aliis ſit tractatum.* Sed, nihil hæc facere ad excuſandam hominis audaciam, ideo perſuaſum ſibi *l. c.* MONETA habet, quod primo omnino POLITIANO fas ſit pulcherrimæ hujus feliciſſimæque inventionis gloriam tribuere. In *Miſcellaneis* ſtilo POLITIANUS uſus eſt tali, qualis docentis eſſe debebat. Gravitatem magis ſectatus eſt, quam acumina, ſimplicitatem magis, quam colores & fucum; atque ita plane comparata videtur oratio, ut, rerum, quam verborum, ſtudioſiorem fuiſſe Autorem, appareat. Quin ipſe ſub initium ſtatim laboris hujus id animo ſuo præceperat, ut abeſſe procul a ſcriptione iſta juberet dicta phalerata & laſcivientis ingenii argutias, nec unquam recederet a perſonæ, quam ſuſtinebat, gravitate, ſicut ex verbis ejus liquet in *Præfat. Miſcellan.*: *Nos iſta certe non foro & curiæ, ſed cubiculo & ſcholæ, paravimus, eoque ſtuduimus, neſcio, an & præſtiterimus, ut, ſi quæ hic eſſent, omnino faciles eſſent & ſimplices munditiæ, non operoſa & pigmentata lenocinia, color nitorque verus, & ingenuus, non adſcitus, & ex arcula congruens habitus, & expeditus, non oneroſus, & laciniosus.* GELLII hic in verbis potius imitatorem dixerim, quam in ipſa ſermonis ratione & indole, ubi CICERONI, qualis eſt in libris, in quibus docentis perſonam ſuſtinet, ſimiliorem exiſtimem. Videas enim hic orationem firmius cohærere membris ſuis, explicatius magisque compoſite prolata omnia, quam in GELLII ſat bonis quidem, ſed non ita elucubratis, *Noctibus*. At GELLIUM autorem ſuum non diſſimu-

ſimulant verba, *diſparilitas*, *enarrator*, *Ciceromaſtix*, *inenarratus*, *confuſaneus*, *defamatus*, *argutator*, *oblectatorius*, *adminiculatior*, *ſaltuatim*, *vellicatim*, aliaque hujus generis permulta, quæ vel unus habet GELLIUS, vel apud Scriptores GELLIO vetuſtiores haud facile invenias. Recte tamen GELLIUM, utpote argenteæ ætatis ſcriptorem, & in iſto ſcriptionis genere inprimis imitandum, ceteris ignobilioribus præpoſuit. Qualem autem imitationis hujus tenuerit modum, ſponte intelligent ii, qui ſatis eam in rem a me ſupra expoſitum meminerint. Nimirum, aliena interdum in eloquendo hic veſtigia preſſa, vel ipſe non diſſimulat ANGELUS in *Præfat. Miſcellaneorum*, ubi, *Si quem*, inquit, *nonnulla interim offendent eloquendi diverticula, minus fortaſſe homini nota, qui decem tantum Ciceronis paginas, nihil præterea, lectitaverit, utique ab hoc ego ad eruditos provoco, præcipue, credo, laudaturos, quæ ab ipſo improbabuntur.* Progrederer ad ſtilum *Verſionum*, niſi, quæ de ſingulis mihi ſententia ſedeat, jam ſupra dictum ſit copioſe ſatis. Illud hic addo de omnibus, vix, quæ ſimilis ſit alteri, reperiri ullam, ſed ſingulare cuique dicendi genus, ſingularem gratiam decusque, eſſe. Neque enim idem Hiſtoricis interpretandis, qui Philoſophis, aut Theologis, ſtilus conveniebat, neque hanc dictionis æqualitatem ferre videbatur ipſa Scriptorum Græcorum, quos interpretandos ſuſceperat POLITIANUS, ſcribendi ratio diverſiſſima. Idem judicandum puto de POLITIANI in Autores varios *Prælectionibus*, in quibus ipſis ſtilum videas vel rebus, quas exponunt, vel Autorum, quos in his ipſis laudare publice inſtituerat Noſter, indoli accommodatum. Me omnium maxime illa delectavit, quam *Lamiam* inſcripſit, etſi parum eloquentiæ & gravitatis habens, utpote *ſimplex*, quod ipſe fatetur ANGELUS, *& repens.* Sed ipſa hæc facit ſimplicitas, ut ſuavior ſit reliquis, ut mollior, ut delicatior. Rem ibi Noſter per fabulas agit, non quidem aniles illas, ludicras, & elumbes, ſed quibus nucleus ineſt ac nervus, haud diſſimiles multum illis, quibus veteres dicuntur Philoſophi doctrinas morales atque ipſiſſima ſapientiæ præcepta condiviſſe. Minus gratiæ altera habet, *Panepiſtemon* dicta, vix compoſitæ Orationis nomen ſuſtinens, ubi per omnia, quibus imbui ſolet humanum ingenium, doctrinarum genera latius vagatus Noſter, ab oratoriis plane ornamentis abſtinet,

ſtinet, campumque ſpatioſiſſimum gravitate quadam Dialecticis uſitata percurrit. Aliter tamen judicamus de ſimilis fere argumenti Prælectione, quam *Dialecticam* vocavit, ubi, quicquid de rationis humanæ facultatibus ARISTOTELES dilucide ac copioſe, quin & eloquenter, commentatus eſt, expoſitum luculenter legitur. Maximam vero artem ſermoniſque concinnitatem, cum gravitate, quæ Oratorem decet, conjunctam, præ ſe ferunt reliquæ *in Homerum, Perſium, Statium, Quintilianum*, & *Suetonium, Prælectiones*, in quibus ſingulis admirabiles ſermonis virtutes elucent, egregie Autoris cujusque dignitas, indoles, ac virtutes adumbratæ, denique ipſa oratio ita polita, ita tornata eſt, ut nihil effici rotundius, nihil ornatius elegantiusque, poſſit. Habent & reliquæ ejus Oratiunculæ, coram Pontifice, aliiſque Principibus illuſtrioribus, dictæ, pretium decusque ſuum, nec a LIVIANA ſermonis majeſtate, quantum ego quidem judico, ita longe ſunt alienæ. Quæ enim in his forſan offendere lectores poſſunt, nihil ad ſtilum ejus ſpectant, neque commemorari hic debent. Ex hactenus dictis facile, ut puto, quilibet cognoſcet, tanto præſtantiorem mihi pulchrioremque ſtilum POLITIANI exiſtimari, quanto majores illius virtutes jamjam enarratæ a me ſunt ac collaudatæ. Ne vero quis cœco hominis illius ſtudio nos ferri trahive clamitet; albis nunc atra admiſcebimus, quidque in hoc ſcribendi genere merito reprehendendum ſit, edocebimus Lectorem.

(f) Ita plerumque fieri animadvertimus, ut, quantumvis ſermonis elegantia ſcriptor aliquis excellat, non tamen is omnibus placeat. Habet enim ſuum quisque palatum, habet ſenſum ſuum, &, quam dicendi rationem amat maxime, ac reliquis anteponit, ad eam metiri uniuscujusque ſcriptoris dignitatem ſolet ac præſtantiam. Accedit huc, ignorantiæ multa, multa invidiæ & moroſitati, dari, quin & ſæpiſſime ex maximorum virorum vituperatione gloriolam ac voluptatem capi. Neque vero nullum plane inter hos locum iis concedo, quorum, ſi ad examen revocentur, judicia non leve veritatis momentum habent. Cuncta reprehenſorum genera unius ſtilus POLITIANI expertus eſt; aliis ruſtice nimis ac contumelioſe, aliis perverſe judicantibus ac imperite, aliis denique ſolo veritatis ſtudio non negli-

 genda

genda prorſus aut inutilia notantibus. Uno quaſi ictu omnem POLITIANI exiſtimationem proſternere laboravit exſiccatior ille, quam ut Noſtri in dicendo gratiam & leporem ferre potuerit, COEL. SEC. CURIO, dum, *totum ineptiis*, quæ humidum aliquid præ ſe ferunt, *ſcatere* POLITIANUM, non affirmavit modo *Lib. II. Epiſt. ad* BORHAUM, *p 357*, ſed exemplis etiam probare annifus eſt ejusmodi, quæ, ſi recte inſpiciantur, aut nihil habere notæ hujus, aut tam gravi accuſationi non ſufficere, videbantur. Unde miror, exſtitiſſe, qui ejus ſe partibus adjungeret, JO. BURCH. MAJUM, quem ſupra faventiorem POLITIANO vidimus, in *Annotat. ad* MORHOFII *Libell. de Rat. conſcr. Epiſt. Cap. IV. p. 127.* Æquior eſt, etſi nec ipſe POLITIANO addictiſſimus, C. S. SCHURZFLEISCHIUS in *Epiſt. ad* SCHRADERUM, quam vide in ejus *Epiſtolis ſelectioribus p. 194*, ubi hæc legas: *Curio, qui in Ciceronis Partitiones commentatus eſt, jam diu ante me affirmavit, totum ineptiis ſcatere Politianum. Quod licet ego non dixerim, & tibi facile aſſentiar, multa eum complecti egregia, & ad antiquitatem pertinentia: tamen, ut tibi imitandum eſſe cenſeam, a me, qui te amo, carumque habeo, impetrare non poſſum.* Alium audiamns, ſed ineptiorem multo, judicem, CLAUDIUM illum VERDIERIUM, cujus in eruditos pæne omnes atrocem ac truculentum animum non uno ſpecimine cognoſcet, qui integras legerit ejus *Cenſiones omnium pæne Autorum*, ubi is *p. m. 156* de ſtilo POLITIANI, tanquam ſi penes ipſum hujus rei arbitrium ſtaret, ita homo impudentiſſimus pronuntiat: *Non multi ponderis oratione utitur, dumque ſelectas quasdam vel voculas, vel dicendi formulas, quaſi gemmas, avet oſtentare, lectorem longius circumducit, pluribus verbis, quam opus ſit, orationem onerans.* LUDOVICO VIVI hæc ſubtracta a VERDIERIO, putat MORHOFIUS in *Polyhiſt. P. I. Lib. I. Cap. 23. §. 30.* Meminiſſe debebat VERDIERIUS, non has ad ſe pertinere, quas memorat, gemmas; *amica luto*, ut ait Poeta, *ſus eſt.* Pudet me reprimendæ iſtius hominis audaciæ operam inſumere; ſecum hanc ei quisque exprobret, cui melior bonarum literarum ſenſus eſt. Cum iis potius rem habebimus, quos videmus

mus ad judicium ſuum plura argumentorum pondera attuliſſe. Acuminum in ſermone nimis ſtudioſum fuiſſe Noſtrum, gravitatisque hoc ipſo jacturam feciſſe, ſententia eſt SCHURZFLEISCHII *l. c.: Politianus multum ſæpe a dignitate ſermonis receſſit, &, dum acumina nimis ſectatus eſt, gravitatem amiſit.* Idem viſum eſt olim PETRO ALCYONIO in *Medice legato, ſeu de Exilio, Lib. II. p. 248,* ubi ita ad LAURENTIUM: *Quanquam nemo eorum temporum Scriptor illo fuit peritior, oſtendebat tamen, ſe pigmenta illa non ſatis ex arte uſurpare, quemadmodum ineptæ quædam mulierculæ facere ſolent, quæ fucum ſibi illinunt parum ſcienter, ac propterea gratiam oris & venuſtatem amittunt, denique pulchriores viderentur, ſi, medicamentis fucatis candoris & ruboris longe repulſis, nativam elegantiam & munditiem retinerent.* Hi, quando acumina pigmentaque ſectatum POLITIANUM perhibent, me quidem parum a ſe diſſentientem habeant, modo non, in omnibus promiſcue ejus libris præcipuam hanc ei curam fuiſſe, contendant. *Miſcellanea* ſane ac *Verſiones* ejus quisquis diceret ſcatere argutiis, illum ludere putarem, jocosque faceſſere. Nec in *Prælectionibus*, ſi *Lamiam* forte excipias, cui facile indulgeri poteſt ingenium ſuum, larga nimis feſtivitatum ſeges conſpicitur. Cum *Epiſtolis*, non nego, rem longe aliter ſe habere. Atqui vero ea maxima Epiſtolarum virtus, id maximum decus, eſt, ut ſua ingenio hic quaſi fræna laxata, ac dulces ubique ſermoni ſales aſperſi ſint; &, quanto quæque eſt acutior, tanto gratior putatur & venuſtior. Nihil tamen hæc ingenii ubertas nativæ Epiſtolarum indoli (ita enim interpretor gravitatis, quæ ſoli alioquin Oratori convenire dicitur, vocabulum, SCHURZFLEISCHIO uſurpatum,) officit, nec intorta magis & acervatim congeſta, quam bene diſpoſita, & ſponte quaſi naſcentia, hic acumina apparent. Indulgendum tamen & hic aliquid veritati eſt, & eorum aſſentiendum judicio, quibus nonnunquam in *Epiſtolis* nimium laſciviiſſe bonus vir ingenio, atque hoc ipſo caliginem obduxiſſe ſermoni, viſus eſt. JO. LUD. VIVES, *ludere non raro & laſcivire* POLITIANUM, dixit in libro *de Conſcrib. Epiſt. T. I. Opp. ejus p. m. 83;* cujus judicium ſuum feciſſe videtur GREGOR. MAJANSIUS, Anteceſſor Valentinus,

lentinus, in *Præfatione, Libris ſex Epiſtolarum* præmiſſa, *p. 12,* ubi ita ille: *Angelus Baſſus, vulgo Politianus, vir fuit mirabilis ingenii, exquiſitæ eruditionis, ſummæ venuſtatis. Ingenium autem corrupit argutule laſciviens; & , ut ſe oſtentet eruditum, ſolet a propoſito divertere.* LIPSIUS etiam, parum ipſe, ut conſtat, nativæ habens eloquentiæ, *affectatas interdum & quæſitas in eo argutias* carpit in *Inſtitut. Epiſtol. p. 1079. Opp. ejus.* Fuit & hujus aliquando ſententiæ Vir Celeberrimus, JO. GEORG. WALCHIUS, in *Hiſt. Crit. Lat. ling. Cap. XI. §. 2. p. 433. edit. anni 1716,* ubi, *ſtilum, qui in Epiſtolis apparet, Latinum quidem, ſed nimis affectatum, eſſe, qui ſermonem obſcurum interdum reddat,* exiſtimat. Iſta vero cum repetita non exſtent in nova, quæ anno 1729 prodiit, libri hujus editione, mutatam hanc Viro doctiſſimo ſententiam, jamque benignius eum de POLITIANI dictione judicare, merito ſuſpicamur. Sunt autem, quod diſſimulari non poteſt, nonnullæ, etſi paucæ admodum, ita comparatæ *Epiſtolæ,* ut vel horis inopportunis, vel hebeſcente ingenio, conſcriptæ, omnique pæne gratia ac bona indole deſtitutæ, videantur. Dici enim vix poteſt, quantum inſulſa maleque digeſta acumina ſermonem quemcunque dehoneſtare ſoleant ac deformare. Quis vero adeo moroſus ſit, ut, paucis illis faſtidiente ſtomacho lectis, POLITIANUM ſtatim, cujus tot pulchræ, tot elegantes, tot melleæ, leguntur *Epiſtolæ, minus dulcem* cum JO. CASA in *Vita P. Bembi,* præmiſſa *T. II. degli Iſtor. delle coſe Venez. p. 4 minusque omnino elegantem* dicat, *quam ut legiſſe Petrarchæ lectiſſimos verſus videatur.* Quaſi vero, in omni ſcribendi genere, neceſſe ſit, a PETRARCHÆ unice Carminibus exemplum capi, atque ea demum in dulciſſimis habenda ſit oratio, cui PETRARCHA fucum dederit. Sed hæc forſan CASA de ſolis Carminibus POLITIANI vernaculis dicta voluit. Longo ab his intervallo ſecedunt, ac in diverſa quæque abeunt, qui epiſtolarem POLITIANI ſtilum elatum nimis, turgidumque, & a nativa remotum ſuavitate, dixerunt. Eſt in his JUL. CÆS. SCALIGER, alia omnia POLITIANI ſcripta probans, qui in *Scaligeran. prim. p. 103* contemtim de *Epiſtolis: Angelo Politiano* (invideo), *excellenti Poetæ, ut in omnibus aliis, præterquam in Epiſtolis, quarum ſtilum imitari nolim,*

nimis

nimis elatum & oratorium; sed potius Cæsaris, Cassii, Planci, Bruti, & aliorum apud Ciceronem, &c. Eadem videtur sententia fuisse JO. LUD. VIVIS, dum *l. c. laudis nimia cupiditate supra epistolæ limites assurgere* Nostrum, perhibet. Quæ, nisi de nonnullis saltem dicta voluit Epistolis, contraria maxime puto verbis, quæ paulo ante sunt prolata. Ego vero, quænam sint illæ, in quibus altius se extulisse, & intumuisse oratione, videatur POLITIANUS, divinando non assequor, nisi forte paucas illas huc spectare dicas, quas ad Lusitaniæ & Pannoniæ Reges, forte & quas ad Pontificem Maximum, dedit; quibus ipsis decori potius, quam probro, esse gravitatem suam & ornatum, prudens quisque mecum judicabit. Aliter enim cum amicis loquendum esse, aliter cum summis Principibus, aliter cum homine privato, aliter cum his, qui clavum reipublicæ tenent, res ipsa manifesto docet. Sunt alii rursus, qui, cum in verbis, & dictionibus sententiisque, nihil haberent, quod reprehenderent, ipsam non dubitarunt elegantiam reprehendere, hac usi speciosa admodum ratione, quod locum illa invenire in Epistolis non possit, utpote quæ simplicitatem & naturam ament. Igitur tantum studii, tantum industriæ, POLITIANO in conscribendis Epistolis positum hi nollent. Omissis aliis multis, VIVEM iterum hic profero, cujus in libro *de Rat. Stud. puer. p. 9. Opp. ejus T. I.* verba hæc sunt: *Eodem spectant Epistolæ Politiani, nisi quod interdum nimia cura factæ sunt paulo duriores, dum scriptor dat operam, ne nihil sit non expolitissimum, nec vult ullum bonum verbum perdere; quæ anxietas non magnopere epistolarem dictionem decet.* Ad diluendam hanc accusationem satis est, ad æquioris lectoris judicium provocasse. Quicquid criminetur VIVES, mihi, qui Epistolas POLITIANI non fugitivo oculo pervestigavi, de his longe est persuasissimum, neque nimis refertas esse elegantiarum venerumque cumulis, neque mollem pati dictionis, quam præ se ferunt, suavitatem, ut nimia Autori cura studioque confectas arbitremur. Ut adeo rem multo minus acu tetigisse mihi videantur, qui, inter Epistolas POLITIANI esse fictitias nonnullas, tales scilicet, existimarunt, quarum argumenta Noster ingenio confinxerit, ut, quo animus ferret, huc omnem laborem nervosque ingenii converterit. Tam acutas nares fuisse olim non-

nullis, memorat M. ANT. BONCIARIUS in *Epist. ad* M. ANT. MANCINUM, quam vide *Lib. XII. Vol. I. Epp. ejus p. 696*, ubi ita: *Ex hac – – colligitur, has Epistolas vero ac serio missas fuisse ad illos ipsos, quibus inscriptæ sunt, pro tempore, occasione, fortuna: non de industria præparatas, (ut quibusdam mos fuit) argumentis per otium meditatis atque confictis. Quo quidem crimine (si quidem crimen dici oporteat) insimulatur a nonnullis cetera Scriptor egregius, & mihi semper laudatus, Politianus.* Id si factum sit a POLITIANO, haud ipsi deessent sane, quibus id præeuntibus factum diceret, Autores plurimi, quorum idem BONCIARIUS *l. c.* mentionem injicit. Sed non defensore res opus habet, in cujus temere suspicionem Noster incidit. Atqui plurimis POLITIANI Epistolis præmissæ leguntur aliæ aliorum, ad Nostrum datæ, quibus ad scribendum invitatur ipse, rerumque scribendarum materia ei præbetur uberrima. Eæ vero, quibus nihil alienæ scriptionis jungitur, omnes certe aliquid habent vel domesticum, vel cum aliis commune, quod, nolim, de industria, ut scilicet fucum faceret posteritati, additum ab ANGELO existimes. Et cui non æquum videatur, ipsi hic POLITIANO fidem haberi, qui in *Epist. ad* PETRUM MEDICEM, *Lib. I. Ep. 1*, *scripsisse se*, negat, *Epistolas ad hoc, ut in unum corpus referrentur, sed ad usum præsentem duntaxat, oblatis argumentis, non quæsitis.* Sed paucis reliqua jam exequemur. In Epistolis *rebus displicere posse* POLITIANUM *severis & eruditione præstantibus*, sententia est ejusdem, quem modo diximus, VIVIS in libro *de Conscrib. Epist. p. m. 83.* Sed cogitare is debebat, non esse contra naturam *Epistolæ*, quin eidem cummaxime convenire, de rebus etiam severis, & ad literas spectantibus, certiores facere amicos absentes & doctrinæ cupidos, modo non arido tunc & jejuno, sed tali utaris stilo, qualis epistolam inprimis deceat, & qualem in his ipsis POLITIANI Epistolis nemo non agnoscat. Sunt & veterum Scriptorum ejus generis complures Epistolæ, quas, si ad vivum reseces, plurima continere dices, ex omnis eruditionis, Philosophiæ inprimis, penu desumta. ERASMO non videtur in eo epistolæ sequi indolem POLITIANUS, quod ea plerum-

rumque ſub initium Epiſtolæ multis verbis repetit, quæ illis ipſis, quibus reſpondet, literis ſcripta copioſe ab amicis fuerant. *Piget me*, inquit in *Epiſt. ad* BEAT. RHENANUM, obvia in *Vol. Epp. ejus p. m. 555*, *laboris, quem Angelus Politianus fere ſumit in repetendo argumento epiſtolæ, cui reſcribit.* Sed excuſari & hæc poſſunt. Neque enim id ſemper factum eſt a POLITIANO, neque tum, cum factum eſt, absque idonea ratione. Vix enim, niſi iis in literis, tale quid animadvertas, quæ in argumento contentioſo verſantur; ubi ad pugnandi artes ſpectabat, hoſtis laceſſere aciem, præſentemque a fronte invadere, ut appareret, honeſtiſſimum inſtrui certamen, nec quidquam per fraudes, aut inſidias, agitari. SCHURZFLEISCHIO, æqualitatem in ſcriptis POLITIANI, præcipue, puto, in *Epiſtolis*, deſideranti, jam obviam itum eſt ſub *Not. antec.* unde & meliora doceri poteſt JO. BURCH. MAJUS, iisdem fere, quibus ille, utens *l. c.* verbis: *Non ſemper æqualiter ſcribit, nedum ut ſemper exprimat Ciceronem.* Ipſius etiam SCHURZFLEISCHII, præter ſupra prolata verba, habemus hac de re judicium in *Notis ad Biblioth. Schrader. n. 2070*, ubi ad *Epiſtolas* POLITIANI notam adſcripſit: *Politianus ſæpe infarcit non Latina, nec ſemper ſcribit æqualiter.* SCIOPPIO tandem in eo notatur ſtilus POLITIANI, neſcio, an omnium ſcriptorum omnis, quod vocibus ſcateat collectis ex omnium ætatum Scriptoribus diverſis, pretioque ſuo ac dignitate longe diſſimillimis; quo ipſo in vitium τȣ̃ κοινισμȣ̃, ut vocat, POLITIANUM incidiſſe putat. *Latina ejus oratio*, ait in *Epiſtola ad* JUL. CÆS. CAPACIUM, obvia in ejus *Paradox. liter. p. 34*, *etſi κοινισμὸν, de quo dixi, effugere curæ non habuit, tantum tamen habet Veneris &c.* & *de Rhetoric. exercit. generibus p. 25*: *A vitio κοινισμȣ̃ Politianus non ſatis caverat, etſi, id eum ingentibus aliis virtutibus redimere, fatendum eſt.* Qua de re, dicam, quid ſentiam. In *Epiſtolis* POLITIANI an illorum multa animadverterit SCIOPPIUS, fere dubito. Etſi enim, his pauca quædam ineſſe, non ſit negandum; dedit tamen hic, quantum ego intelligo, operam POLITIANUS, ut, niſi neceſſitati obtemperandum eſſet, verbis ubique

que uteretur ejusmodi, quibus vel aureæ, vel argenteæ certe, ætatis Scriptores usos meminisset. In *Miscellaneis* vero, cuilibet apparet, omnis fere ætatis verba legi, & cuique Scriptorum, tam veterum, quam recentiorum, (puta, eorum, qui Seculo demum quinto & sexto post C. N. scriptis inclaruere,) hic partem suam vindicari. At eam videtur hac in re secutus esse rationem Noster, ut in verbis non minus, quam in rebus, ostenderet se varietatis illius, quæ omnem libro huic gratiam conciliavit, studiosissimum, simulque edoceret lectores, quam familiariter usus sit Scriptoribus iis ipsis, quibus & interpretandis & illustrandis per Opus universum studium laboremque insumserit. Scivit tamen hanc vocabulorum permixtionem ita temperare Noster, ut, parcius & quasi verecundius usurpatis iis, quæ non CICERONIS, aut LIVII, aut optimi cujusque Autoris, essent, ornata potius his velut gemmis, quam deformata, videatur oratio. Præter GELLIUM enim, cui hic liberalius indultum est, satis, ut supra monui, Latinum, pauca hinc jure suo repetant APULEJUS, cui verba *minuties*, *inunco*, *variegatus*, *cantillo*, *dependulus*, *jugiter*, & pauca forte alia, debentur, EUTROPIUS, cujus vox *incivilis*, MAMERTINUS, cujus *indiscussus*, AMMIANUS, cujus *illecebrosus*, DIOMEDES, cujus *gratiola*, locum hic invenerat. Nec ab iis omnino abstinuit vocabulis, quæ in solis vel Jureconsultorum veterum, vel Patrum Ecclesiæ, passim libris leguntur, ut sunt *calumniatrix* ULPIANI, *depectio* Codicis Theodosiani, *pigmentatus*, *interpolator*, *redintegrator*, *supparo*, *adamator*, *conculcatus* (Subst.), *irrepercussus*, TERTULLIANI, *continuatim* AUGUSTINI, aliaque aliorum. At Jureconsultos veteres, tantum abest, ut in vocibus negligendos putarit, ut potius, *vocabulorum sibi vim jure quodam suo præ ceteris vindicare*, existimaverit, quod docet *Epistola ejus ad* BARTH. SCALAM, *Lib. V. Ep. 1.* Neque eorum, qui veterum Juris interpretum elegantias ex paucis modo, quæ supersunt, eorum fragmentis degustarunt, fore quemquam puto, cui non ex dignitate illorum judicasse ita POLITIANUS videatur. At, quod a Patribus etiam, quos constat non ubique Romanæ linguæ sectatos candorem esse, mutuatus quædam

dam ſit, ſive id vitio factum, ſive laudabili conſilio, exiſtimemus, his ea maxime de cauſa uſum POLITIANUM ſuſpicor, quod artificioſam vocum illarum compoſitionem animadverteret, & ad Latini analogiam ſermonis feliciſſime confictas judicaret. Etenim, in verbis ſeligendis eam maxime POLITIANO curam fuiſſe, ut, quorum felix præ ceteris ſtructura eſſet, illa ceteris longe anteferret, exemplo vocum *reciprocicornis*, *lanicutis*, *exunguis*, & *excornis*, quæ apud LABERIUM, Poetam antiquum, partim, partim apud TERTULLIANUM, leguntur, teſtatur diſcipulus Noſtri, PETR. CRINITUS, *de Honeſta diſciplina Lib. II. Cap. 13. p. m. 119*, hiſce verbis: *Dicebat olim Politianus, magna ſe voluptate affici, atque incredibili delectatione teneri, in his verbis, quæ ſunt reciprocicornes & lanicutes arietes, & item beſtiæ exungues & excornes: quod eorum compoſitio felix & jucunda ſit, non improbior & putida, ſicut in aliis multis contigit. Arietes autem reciprocicornes & lanicutes a Laberio Poeta in Mimis dicti ſunt, — — Beſtias autem exungues & excornes Tertullianus vocat pro his, quæ ſine unguibus & cornibus forent, ut in libro de Pallio habetur.* Conf. etiam G. J. VOSSII *Inſtitut. Orat. Lib. IV. Cap. I. n. 8. p. m. 146.* Itaque indulgendum aliquid hac in re exiſtimem POLITIANO, ab antiqui caſtitate Latii non ubique, ſed tunc demum, paululum degeneranti, ubi priſcos illos linguæ Romanæ autores quadam quaſi verborum inopia laborare animadverterat. Quid enim diſſimulem, in ea me, etſi paucis probata, verſari ſententia, non ita exhauſtum a priſcis illis Scriptoribus ingenii humani ambitum eſſe, ut non ſatis multa excogitari hodie, multa explicari, multa definiri, poſſint, quibus latine exprimendis vix copioſiſſimus ille, quem tot Romani Autores ſuppeditant, verborum apparatus ſufficiat? Taceo, longo Seculorum decurſu, poſt varias ac immenſas hujus univerſi viciſſitudines, adeo mutatam novatamque eſſe omnium pæne rerum faciem, ut, illarum, neceſſe ſit, ab iis, qui proxime vixerunt ætati noſtræ, Scriptoribus nomina nos mutuari. Neque adeo tam rigidi cenſores erimus, ut de ipſo *Miſcellaneorum* vocabulo, quod eſt Operi inſcriptum, atram POLITIANO pugnam moveamus, etſi Latinitatem vocis in dubium vocare conatus ſit PETR.

 VICTO-

VICTORIUS in *Var. Lect. Lib. XXXIV. Cap. 13. Græci veteres*, inquit, *Grammatici hujuscemodi & ipsi libros conficiebant, in quibus varias & multiplices res explicarent: illos autem, ut videtur, σύμμικτα plerumque vocabant — — Arbitror igitur, cum Angelus Politianus volumen suum, par (ut opinor) illis, inscripsit Miscellanea, reddere ipsum voluisse interpretarique Græcum id nomen; qui sane, ut vocem invenit variæ illi materiei significandæ idoneam, ita non satis fortasse puram, & seculo illi incontaminato frequentatam. — — Sed hujuscemodi ille vocabulis, aut asperioribus adhuc, delectabatur: quæ tamen vox aliis etiam, in eodem hoc genere scriptorum versatis, placuit.* Eadem forsan sententia fuit RICH. SIMONIS in *Bibl. Crit. T. III. Cap. 23. p. 240*, ubi verba hæc VICTORII, nihil addens judicii sui, integra lectoribus propinat. Mihi vero in excogitando harum Animadversionum criticarum titulo non tam Græcorum Scriptorum, qui *σύμμικτα* inscripserunt libros suos, exemplum, quam ipsam rei naturam, vocisque Latinæ convenientiam, quin & castitatem, secutus videtur ANGELUS. Habet enim vox ista non solum significatum plane talem, qualis titulum libri, ex varia ac multiplici doctrina quasi constipati, maxime decebat; sed compositione etiam sua æque redolet Latinam indolem, ac alia multa ejusdem generis vocabula, qualia sunt *confusaneus*, GELLIO receptum, *conjectanea*, quo nomine idem GELLIUS *Lib. XX. Cap. 11* multos Scriptorum ante se refert similis argumenti libros suos inscripsisse, & *collectanea dicta*, quæ scripta a JUL. CÆSARE dicuntur SUETONIO in *Cæs. Cap. LVI.* Et quo recidet tandem omnis VICTORII accusatio, ubi antiquitatem suam vox ista ex ipsis argenteæ ætatis Scriptoribus vindicaverit? Nihilne ponderis habebunt verba JUVENALIS *Sat. XI. v. 20*: — — *Sic veniunt ad miscellanea ludi*; qui ne ipse quidem primus fuit, quem usum hac voce constet, ut falso existimat MONETA in *Menag. T. III. p. m. 564. n. 5*, sed quo antiquior PETRONIUS in *Satyric. Cap. L miscellanea æra*, hoc est, ex variis conflata metallis, dixit. Et, si paululum ab illis purioris Latii temporibus recedamus, APULEJO *Lib. II de Asin. aur. miscellaneam turbam* appellatam cernimus eam,

quæ

quæ ex diversis ac inter se permistis gentibus coaluit. Conf. FRANC. SYLVII *Commentar. ad Epp.* POL. *Epist. I. p. 2. b.* POLITIANO igitur nefas fuisse putes, vocem Latinam, quæ tot tamque diversis inter se rebus tribuitur ab Autoribus, libello suo inscribere? Minime profecto; nec ita in fronte statim præstantissimi Operis POLITIANUM dicemus barbarum. Laudandus potius in eo videtur, quod aptissimum libri titulum excogitaverit, qui distinctus esset ab eo, quem ante ipsum similis argumenti Commentariis Scriptores inscripserant. Ut omnia criminationum genera percurram, illos video memorandos mihi restare, qui, *ridiculi æstimatores & critici* illorum *temporum*, ut vocantur LUC. PHOSPHORO in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. III. Epp.* POL. *Ep.* 14, lectis *Miscellaneis*, ita de POLITIANO existimarunt, esse eum *doctrinæ quidem singularis hominem*, *eloquentiæ vero nullius*, ut sunt verba ejusdem PHOSPHORI in *Epist. cit.* Ignari omnium rerum homines, qui eloquentiæ fucos illitos voluere operi, omnem prorsus aspernanti eloquentiam, & ad simplicatem sermonis ipsa indole sua composito. Igitur, quod in hoc scriptionis genere virtutem dicere debebant, id ipsum vertere in vitium non dubitarunt. Quo nomine graviter illis respondet POLITIANUS ipse in *Epist. ad* LUC. PHOSPHORUM, *Lib. III. Ep.* 15. *Quod autem mihi*, inquit, *eloquentiam sic adimunt, ut doctrinam concedant, non modo equidem non succenseo, sed & gratias ago. — — Si cui tamen in Miscellaneis etiam citra eloquentiam sciolus videor, bene habet. Vici, nam istuc ipsum quærebam. Quo enim eloquentia mihi in hoc Opere, non ad persuadendum, sed ad docendum, parato?*

(*g*) Non injuriam POLITIANO facimus, dum vetustioribus eum, & quadam temporum rubigine exesis, vocabulis multum vehementerque delectatum dicimus. De his mentem ipse suam variis in locis aperte satis declaravit, ut in *Epist. ad* BARTH. SCALAM, *Lib. V. Ep.* 1, ubi ita perorantem pro causa illorum legimus: *Sed ego, mi Scala, quemadmodum tibi facile concedo, vocem infrequentem non temere recipiendam: sic e diverso contenderim, non debere esse cuiquam fraudi, quod Latinas &*

apud

apud idoneos repertas in usum revocet, ac vetustis dare novitatem studeat, nec vacare omnino patiatur, quæ temporum culpa prorsus in desuetudinem abierunt. Etenim, si, quæ cuique obvia sint, ea tantum noster sermo recipiat, nulla magis, quam tabellionum, lingua utemur; & iterum in *Præfat. Miscellan.*: *Si qui remotiora dicent hic inveniri vocabula, quam ut sumta credantur de medio, næ isti, arbitror, sententiam suam mutabunt, cum adusque medium literaturæ promoverint. Nec enim sunt, quibus etiam (ut ait M. Tullius) alabastrus unguenti plena putere videatur. Tum in hoc genus scriptionibus, quæ non se populo venditant, sed paucis modo parantur, usus istiusmodi reconditæ supellectilis, præsertim verecundus, minime improbatur a bonis. Nec enim renovare sit probrum, quæ jam pæne exoluerunt, si modo hæc ipsa non vetustescere adhuc, sed veterascere, de integro possint.* Ex quibus ipsis illud colligimus, non ex ÆNEÆ, aut EVANDRI forte, ætate petita POLITIANO vocabula esse, quæ ipsa tanquam obsoleta, & Latio dudum ejecta, suis merito tenebris reliquit, sed de illis tantum decori suo restituendis eum laborasse, quæ, ipsis aureæ ætatis recepta Scriptoribus, postea fato quodam suo & ætatis injuria dignitate pristina exciderant. Quæ dum memoro, nemo non videt, de illis mihi sermonem esse, quæ apud ENNIUM forte, aut AFRANIUM quendam, forsan & PLAUTUM, leguntur, solis hisce usurpata, & cum ipsis quasi mortua, qualia sunt *concenturio*, *abstrigillo*, *expalpo*, *præsegmen*, *emissitius*, *præstigium*, *noctuinus*, *hircosus*, *exasciatus*, *restrictim*, aliaque complura. Atque, hæc ipsa, cum prævideret POLITIANUS, non cujuslibet fore stomachi, quippe ita comparatis eruditorum plerisque, ut, quæ ipsis non lecta penes Scriptores ubique obvios, nec audita unquam, fuerant, ab iis prorsus abhorrerent; horum, quantum potuit, obtemperavit ingenio, verbaque hujus generis insolita & antehac inusitata non nisi perquam parce ac modice sermoni inspersit. In *Epistolis* non eorum obvenisse mihi multa memini; at, quod in *Miscellaneis* & *Prælectionibus* nonnullis largior earum seges appareat, id, dubito, an reprehensuri sint ii, qui lucubrationum istarum indolem, multijugemque doctrinam,

nam, penitus habent cognitam. Spectant huc ipsius verba POLITIANI, ex *Præfatione Miscellaneorum* paulo ante prolata, ad mitigandos illorum animos maxime idonea, a quibus impetum *Miscellaneis* suis ea de re imminere viderat atrocissimum. Nihil tamen hæc prohibere potuerunt ROB. TURNERUM DEVONIUM, quin dure admodum & inficete reprehenderet hoc nomine POLITIANUM, non aliter, ac si totum dicendi genus, quo usus est Noster, verbis obsoletis, & ex Jure Papiriano conquisitis, undique sit refertum. *Politianus*, inquit in *Epist. ad* PETR. N. quæ est *Orationibus* ejus adjecta, *p. 302, ita obsoletus, & obscuritate affectata implicitus, ut potius antiquissimæ memoriæ Ennio, Dioscoridi, aliisque id genus, loqui videatur, quam nobis, orationis religionisque puritate tinctis.* Non certe tam acerbe exprobranda POLITIANO putem pauca ea, quæ vetustatem in scriptis ejus redolent, quæque obscurum reddere sermonem non nisi ei possunt, qui vim verborum istorum, ipsosque Scriptores, unde hausta sunt illa, penitus ignorat. Offenderat itidem hæc res BARTH. SCALAM, illum purioris sermonis diligentissimum, si Diis placet, sectatorem, qui, cum morose fastidiret, quæ supra trivialem posita doctrinam essent, ægrius ferebat, esse quendam, qui plura, quam ipse, Scriptorum monumenta pervestigaverit, & copiosiorem in numerato haberet verborum supellectilem. Itaque, invidia ductus, *ferruminatorem* dixit ANGELUM; quo nomine, in ludibrium excogitato, idem olim appellaverat HERMOLAUM BARBARUM, passim in libris suis usum hoc vocabulo, nimis, si audias SCALAM, obsoleto, sed quo nec ipse PLINIUS, proprietatis amator, abstinuit. Docent id verba *Epistolæ* POLITIANI *ad* SCALAM, *Lib. V. Ep. 1: Et tu mihi superioribus diebus aperte dixisti, & abs te auditum multi retulerunt, non placere genus scribendi meum, propterea quod ascita nimium verba, & remota, consecter. Me quoque esse quendam (sic enim soletis dicere,) ferruminatorem. Vox enim hæc apud te significare jam diu cœpit eum, qui verbis istis paulo minus vulgatis uteretur. Nam Hermolaum Barbarum quasi per jocum vocare ferruminatorem soles, (ut audio,) quia verbum fortasse*

istud aliquoties ille usurpavisset. Quam graviter vero SCALÆ responderit POLITIANUS, prolatis ipsius verbis, paulo ante ostendimus. Eundem SCALAM, cum adeo non dissimulare posset judicium suum, ut ipse in literis ad POLITIANUM, *Lib. V. Ep. 2, non probare* se, scriberet, *stilum* POLITIANI, *quia nimis affectata videretur oratio*, non impune id ferre passus est POLITIANUS in *Epist. ad eum seq.* ubi salse satis: *Sed & affectatam videri tibi orationem meam, facile patior, quoniam dictandis Epistolis scriba publicus assuetus, probare eum stilum maxime debes, qui a vulgari consuetudine minus abhorreat. Nec in eo tu reprehendendus tamen, quoniam plerumque ad indoctos Epistolæ istæ vestræ mitti solent: nos contra, qui juventuti veterum scripta prælegimus, delectum habere verborum sententiarumque didicimus. — — Hoc vos affectatum forte putatis, quo majestas quædam potius linguæ continetur, & sanctitas.*

(b) De nulla re, ut constat inter omnes, magis laborandum est Scriptori, quam ne Barbarismis, ut vocantur, aut Solœcismis, quorum illi verborum, hi dictionum, pestes sunt, dedecoretur oratio. Quo magis inquirendum nobis est, num satis ab his maculis sibi caverit POLITIANUS. De eo dubitatum est a nonnullis; nec causam hujus rei, quantum ad Barbarismos, videntur habuisse nullam. Dissimulari hoc nequit, si libere & ingenue dicendum. Mirabitur, ita me judicare, qui meminerit, stilum POLITIANI tot a me laudibus celebratum. Scire autem hunc velim, in ea me versari sententia, paucis illis verborum dehonestamentis, quæ sunt in scriptis POLITIANI obvia, non inesse labem tantam, ut, quem præstantissimis ceteroquin tot virtutibus gratiisque mirum in modum exornatum excultumque cernimus, sermonem POLITIANI omni destituere pretio elegantiaque videantur. Nec magis hoc nomine culpandum POLITIANUM arbitror, quam alium quemque recentioris ætatis Scriptorem purissimum, qui, utut tersus & Latinus, non tamen ubique eum veteris Latii nitorem servat, ut non habeat

beat interdum aliquid incomtum atque barbarum, a cujus imitatione cavere ſibi tenera juventus debeat. Unde nolim, quisquam putet, eſſe me exiſtimationi POLITIANI tam inimicum, ut, plane rem acu tetigiſſe, credam, eos, qui, vocum barbararum præter modum fuiſſe ſtudioſum Noſtrum, dixerunt, nimiamque effingendi quælibet in eo licentiam reprehenderunt. In quam ſententiam propendere video C. S. SCHURZFLEISCHIUM in *Not. ad Bibl. Schrader. n. 2070*, ubi, *ſæpe Politianum*, ait, *non Latina infarcire in Epiſtolis*, & JO. BURCH. MAJUM in *Not. ad* MORHOFII *Lib. cit. Cap. 4. p. 127*, itidem, *non raro non Latina eum infarcire*, ſcribentem. Neque nihil odio aut invidiæ dediſſe puto, quicunque illi fuerunt, quos viventi adhuc POLITIANO portenta verborum, in *Miſcellaneis* obvia, exprobraſſe refert LUC. PHOSPHORUS in *Epiſt. ad* POLITIANUM, *Lib. III. Ep. 14. Mihi*, inquit, *Miſcellanea tua, atque adeo, quæcunque ſcribis, magnopere placent, garriant iſti, quid velint, quod portenta verborum loquaris. Ego, te plane Latinum eſſe, judico.* Quam culpam in literis ad PHOSPHORUM *ſequ.* eleganter a ſe avertit POLITIANUS: *Portenta igitur verborum quæ vocent iſti, fateor, ignoro: niſi ſi portenta credunt, quæ ipſi nova nunc primum vocabula vel audiunt, vel intelligunt. Nam ego nec verba ulla peperi, cinctutis non exaudita Cethegis, nec ullos habeo, niſi receptiſſimos, Autores. Non tamen ex eorum ſum numero, qui ceſſare Latinam linguam magna ex parte patiuntur, dum quisque illa reformidat, quæ vulgo hactenus ignorata ſunt. Siquidem eo res rediit, ut ne magnorum quidem Autorum lingua tuto loquamur, quoniam vulgo minus innotuerit. Itaque barbaris uti malumus, quam Romanis, vocibus: &, cum ſiligineus domi ſit panis, emendicato furfure magis veſcimur.* Sane hoc iis, qui parum diligenter in veterum Autorum lectione verſati ſunt, evenire plerumque cernimus, ut nova ſtatim putent ac barbara, quæ auribus ipſorum inaudita, nec lecta ipſis fuerant in tribus CICERONIS paginis. Unde fit, ut nec iis in rebus facile illis fides habeatur, ubi ad veritatem quam

proxime accedunt. Quæcunque ea fuerint, quæ portentosa illis visa; nec *Epistolæ*, nec ceteri ejus libri, omnis maculæ expertes dicendi sunt. Et *Epistolas* quidem quod attinet, has diligenter excussit FRANC. SYLVIUS, qui ad calcem *Commentarii* sui in *Epistolas* POLITIANI adjecit *Vocularum minus idonearum, aut minus rite in Epistolis usurpatarum, Annotationem*, FRANCISCIS CREQUYO & MALLYO, discipulis suis, dicatam, sed qua aliorum, qui ad POLITIANUM literas dedere, plures, quam POLITIANI, voculæ minus Latinæ notantur. Quas ubi propius inspexi, & ad examen revocavi, cognovi Autorem ab illo carpendi pruritu, quo tanta hodie acutulorum solet turba corripi, prorsus alienum, & in vocibus singulis tam accurate versantem, ut, si vel in his paucæ videantur defendi posse, de plurimis tamen vix sciam, quo autore robur & antiquitatem suam sustineant. Si cui Lectorum de fama POLITIANI bene mereri constitutum sit, is sibi cum SYLVIO certamen instituat, vocesque illas suæ, si possit, dignitati restituat. Eandem, vellem, operam aliis impenderet vocabulis, quæ mihi, reliqua POLITIANI scripta, *Miscellanea* inprimis, pervestiganti, ex eorum visa sunt numero, quæ, prisco ignorata Latio, in civitatem Romanam vix unius recipi arbitrio POLITIANI possint. Cujus furfuris verba puto, *irritatrix*, *pluricolor*, *semilibere*, *ineliquatus*, *superductitius*, *jactanticulus*, *subrodo*, *pulpitarius*, *reformidabilis*, *prælusorius*, *funditator*, *sublucescit*, *exemplarius*, & si quæ alia novitatis labem non omnino dissimulant. Ex quibus, non dubito, quin ipse quædam, si viveret, pro barbaris habiturus sit POLITIANUS, utpote qui jam, ut ex *Præfatione Miscellaneorum* cognoscimus, fore quosdam, præviderat, qui, puri castique sermonis non ubique fuisse studiosum, existiment. Quorum ut tela hebetaret, negat, imprudenti ipsi aut invito hæc, quæcunque videri possint barbara, excidisse, sed, aspersa sermoni de industria, perhibet, ut nempe vel barbari, quod laudarent in *Miscellaneis*, haberent. Id, nisi jocum subesse putes, discas ex verbis *l. c.*: *Sicubi barbara quædam — — deprehendentur, ea vero de industria dispersimus, etiam ut barbaris & ineruditis placeremus, & fieret liber, corrasa undique gratiosa, vendibilior.*

bilior. Sed culpam ingeniosius a se amovit, quam rectius. Errare, ut stupidis, omniumque literarum ignaris, laudemur, id quidem, meo judicio, exilem admodum gloriam parit. Non is demum recte ad famam nominis adspirat, qui laudes suas numero magis, quam pondere & autoritate, laudantium metitur. At, sive serio, sive per jocum, dicta hæc POLITIANO existimes; non possum, quin, multa emendaturum fuisse, existimem, si diutius ipsi in vivis esse, quæque post mortem ejus amicorum quorundam, inprimis ALEXANDRI SARTII, Bononiensis, cura in lucem prodierunt, politius limare, & in manus eruditorum tradere ornatiora, licuisset. Non enim, quæ primo effunduntur impetu, decocta plane & elaborata esse solent. Ita judicari, æquum olim visum est ALDO MANUTIO, *Operum* POLITIANI editori, qui in *Epist. ad* MARINUM SANNUTUM, præmissa *Operibus* Nostri, obtrectatoribus ANGELI, si qui forent, occurrit hunc in modum: *Si quid doctas aures tuas offendet, tanquam parum elaboratum & cultum, scito, non esse hæc edita ab ipso, sed ab amicis, & præcipue ab Alexandro Sartio, Bononiensi, literatis omnibus pergrato viro, — — Est igitur dignissimus venia Politianus noster, si quid in ejus scriptis deprehendetur vitii; quandoquidem emendaturus, si licuisset, erat, imo, si annos suos vixisset, — — multa non barbare, sed more Romano, & doctissime, confecisset.* Faciunt hæc etiam ad excusandos, si qui legenti scripta ejus obveniant, Solœcismos; quos tamen ne temere ei objicias, inprimis tibi cavendum putes. Postularunt enim, ut patet ex *Epist.* GEORG. MERULÆ ad POLITIANUM, *Lib. XI. Epp.* POL. *Ep. 5*, jam olim criminis hujus literarii POLITIANUM indoctiorum quidam, qui ipsi tamen, meliora edocti a Nostro, confestim accusatione destiterunt. Ita enim rescribit æmulo suo MERULÆ POLITIANUS in *Epist. sequ.*: *Solœcismos adhuc nemo mihi ex doctioribus objecit. Nam, quæ vilissimi quidam nugatores in angulis garriebant, ea nos propalam, citatis Autoribus, confutavimus.*

§. 12.

Inſigni hac tam Græci, quam Latini, ſermonis cognitione inſtructus, paulatim ad promovenda utriusque linguæ incrementa ſe compoſuit, harumque longius provehendæ dignitati curam operamque impendit. Qua in re tam diligenter, tamque feliciter, elaboravit, ut omnium, quos ætas illa tulit, Criticorum aut Grammaticorum fere princeps diceretur. (*a*) Nimirum ex præſtantiſſimis illis vetuſtæ Græciæ Latiique Scriptoribus admirabili prorſus induſtria Romani Græcique ſermonis theſauros excuſſit, ſingulos turpiſſimis ætatis, vel quas barbari illeverant, maculis purgavit, obſcuritate deformatos priſtinæ luci ac pulchritudini reſtituit, mutilatos explevit, ſepultos ab oblivione vindicavit, alium ex alio emendavit atque illuſtravit, verborum vim ac ſenſum inveſtigavit, ſententiarum robur dictionumque virtutes expendit, talemque ſe in his omnibus præſtitit, qualem poſcere omnino tanti res laboris videbatur. Cujus eximiæ doctrinæ, ſtudiique prorſus ſummi, ut in ſcriptis fere omnibus, ita inprimis in *Miſcellaneis*, præclara documenta dedit. (*b*) Tanto

to autem majori hæc digna admiratione videntur, quanto certius conſtat, aut primum, aut certe inter primos, POLITIANUM tam bene mereri de bonis literis cœpiſſe. (*c*) Quod ipſum facit, ut a nemine veniam ſit impetraturus, ſi quando, ingenio aut doctrina paululum abuſus, a mente Autorum, atque adeo ab officio interpretis, aberraſſe longius intelligatur. (*d*)

(*a*) Quandoquidem glorioſum per ſe ipſum nomen eſt Grammatici, quippe cujus opera veterum Scriptorum decus conſervatur, vivitque literarum honor, & qui *vel ſolus*, judicio QUINTILIANI in *Inſt. Orat. Lib. I. Cap.* 4, *omni ſtudiorum genere plus habet operis, quam oſtentationis*, cui etiam tantum honoris habuere veteres, ut ab ejus arbitrio Scriptoris cujusque dignitas penderet, atque is demum communi exciperetur ſuffragio, cui hujus temperaverat virgula; non ille vanus profecto & inanis ſplendor eſt, quem tam immenſa omnium fere doctrinarum cognitione, quali ad enarrandos Autores opus eſt, tamque diligenti utriusque linguæ inveſtigatione, comparatum POLITIANO dicimus. Atque, hanc laudem, tantum abeſt, ut faſtidiverit POLITIANUS, ut unice vehementerque ſit conſectatus, hucque omnis ſtudiorum ejus ratio collineaverit. Quicquid enim vel gravioribus illis diſciplinis, Philoſophiæ, Jurisprudentiæ, ac Medicinæ, incrementi attulit, non ſane his ipſis diſciplinis, ſed Autoribus illis, deſtinaverat, in quibus prima Philoſophiæ ac reliquarum artium ſemina diſperſa latent. Unde non Philoſophus, ſed Philoſophorum interpres, non Jureconſultus, aut Medicus, ſed horum tantum Commentator, dici voluit; atque unam ex his laboribus Grammatici ſibi gloriam popoſcit. Magna hæc cum contentione, neſcio, an ſimulata forte, urget ac perſequitur contra lamias illas, ut vocat,

cat, quæ Philoſophi nomine indignum ipſum judicaverant, ſub finem *Prælectionis*, quam *Lamiam* inſcripſit, ubi reſpondet illis, non, etſi Philoſophos interpretetur, ideo Philoſophi ſe nomen aucupari. *Ego me*, inquit, *Ariſtotelis profiteor interpretem, quam idoneum, non attinet dicere, ſed certe interpretem profiteor, Philoſophum non profiteor. Nec enim, ſi Regis quoque eſſem interpres, Regem me eſſe, ob id putarem*, &c. Eodem ſpectant, quæ deinde ſequuntur: *Nunc ad me redeo, non ſcilicet Philoſophi nomen occupo, ut caducum, non arrogo, ut alienum, propterea quod Philoſophos enarro.* Nec alio animo ad interpretandos Jureconſultos Medicosve veteres converſum, illa, quæ poſtea profert, teſtantur: *Rogo vos, adeone eſſe me inſolentem putatis, aut ſtolidum, ut, ſi quis Juriſconſultum me ſalutet, aut Medicum, non me ab eo derideri prorſus credam? Commentarios tamen jam diu — — ſimul in Jus ipſum civile, ſimul in Medicinæ Autores, parturio, & quidem multis vigiliis, nec aliud inde mihi nomen poſtulo, quam Grammatici. Hanc mihi, rogo, appellationem nemo invideat, quam ſemidocti quoque aſpernantur, ceu vilem nimis & ſordidam.* Nimirum in ea POLITIANUS ſententia fuit, Scriptorum omnium, cujuscunque illi doctrinæ ſint aut diſciplinæ, inveſtigationem ad Grammaticos pertinere. *Grammaticorum*, inquit eodem in loco, *ſunt hæ partes, ut omne Scriptorum genus, Poetas, Hiſtoricos, Oratores, Philoſophos, Medicos, Jureconſultos, excutiant, atque enarrent.* An vero, qui Philoſophiæ notitia aut legum deſtitutus eſt peritia, in legum, aut Philoſophorum, interpretatione recte verſari poſſit ut Grammaticus, a nonnullis, ſcio, dubitabitur. Qui ipſi ſcilicet, ubi POLITIANUM laudabunt Grammaticum, eundem ſimul Philoſophum laudabunt, aut Juris excultum ſcientia. Vix enim fieri poſſe exiſtimabunt, ut ad ſenſum Scriptoris penetrare ſatis poſſis feliciter, niſi rerum, quas ille tradit, haud vulgarem tibi notitiam comparaveris. At iſta hic in diſceptationem non vocamus; cum aliunde ſatis nobis certo conſtet, POLITIANUM in Philoſophiæ (de Jurisprudentia enim & Medicina res magis in obſcuro eſt,) ſacris non omnino fuiſſe hoſpitem. Neque adeo mirum id eſſe cuiquam poteſt, ſi, expeditius proceſſiſſe POLITIANO ipſos

ipſos Philoſophos, quam alios quoscunque, interpretandi negotium. Sed dabimus hoc POLITIANO, &, ſi ita videtur ei, vocabimus *Grammaticum*, utpote cujus *eas* QUINTILIANUS *l. c.* ait *partes eſſe, ut nec Philoſophiam ignoret.* Nec quisquam fuit ex poſteris POLITIANI, qui hanc ei laudem negaret; ſed ita ſemper exiſtimatum eſt, ſi quis ſimili conatu ad literarum elegantiorum ſtudia ſe convertat, ei fas eſſe, a POLITIANO, quod imitetur, exemplum capere. Unde, qui ſplendidiſſime collaudare POLITIANUM voluerunt, tum demum id fieri poſſe optime putarunt, ſi *Grammaticum* dicerent. Habent hunc nervum verba MAXIMIL. SANDÆI in *Grammat. profan. §. XVIII. p. 154: Politianus a prima ſtatim juventa admirabilis ingenii nomen inter Grammaticos adeptus fuerat* &c. Communem cum ANTONIO NEBRISSENSI hanc laudem habet judicio JO. LUD. VIVIS *Lib. II. de Cauſ. corrupt. art.*: *Grammaticorum nomen priſci affectarunt complures; ob judicandi autoritatem, a qua Critici ſunt dicti. Nec ætate noſtra defuerunt doctiſſimi, qui ornari ſe appellatione ejusmodi arbitrati ſunt; inter quos Angelus Politianus, & Antonius Nebriſſenſis, Hiſpanus,* &c. Nec præter meritum hac appellatione donatum eſſe ab eruditis POLITIANUM, judicabunt ii, qui ex ſcriptis ejus, omnis doctrinæ elegantioris plenis, compertum habent, nihil ipſi defuiſſe eorum, quibus inſtructum eſſe oportet Grammaticum, veterumque Scriptorum interpretem. Fuit enim, judicio JAC. GADDII *de Script. non Eccl. T. II. p. 136, interpres & cenſor acuto ingenio, & acri judicio, magnaque diligentia in exquirendis & evolvendis variis codicibus vetuſtis;* et, ſi JUL. CÆS. CAPACIUM in *Elog. doct. vir. p. 352* audias, *gravis* fuit *in judiciis, accuratus in emendationibus, examinandis Autoribus acutus, & elegans in aliorum ſententiis explicandis;* nec alia, puto, de cauſa *vir oculatiſſimus & perſpicaciſſimus* dictus eſt JOS. JUST. SCALIGERO in *Loc. Controverſ.* R. TITII *Lib. IX. Cap. 5.* Addo his teſtimonium acutiſſimi Criticorum, PETRI VICTORII, in *Caſtigat. in Columel. p. 70. A: Si quis propter acumen ingenii, & variam Latinorum Græcorumque Scriptorum lectionem, hoc præ-*

clare facere (Autores emendare) *potuit, ille, ut opinor, Politianus fuit.* Qui ipſe ſæpiſſime in ſuis ad Autores priſcos Animadverſionibus POLITIANI ſequitur veſtigia, ejusque de literis merita exquiſitis laudibus proſequitur. Sed & apud æquales ſuos, dici vix poteſt, quantos de ſua in enarrandis Autoribus ſolertia clamores excitaverit. Unum, idque illuſtriſſimum omnium,, exemplum proferam, quod ſpectat ad CATULLI interpretationem, POLITIANO aliquando ex tempore ſuſceptam. Ipſe hæc magnifice ſatis commemorat in *Miſcellan. Cap. XIX*, digna, quæ ipſius verbis hic referantur. *Catullum autem*, inquit, *plane univerſum Veronæ (ſcit hoc vir liberrimi ingenii, Baccius Ugolinus,) intra officinam quampiam, quo nos pluvia coegerat, viris aliquot literatis, pæne cogentibus, enarravimus, cum quidem illic adeſſet etiam Guarini propinquus, Joannes Baptiſta (ni fallor) nomine, — — magnaque itidem ſcholaſticorum manus, ita pronis auribus illa qualiacunque accipientes, ut identidem clamarent, demiſſum cœlitus Angelum ſibi, (ſic enim ajebant) qui Poetam conterraneum interpretaretur.* Scilicet inauditum fere ad hunc diem eruditis hujusmodi doctrinæ genus fuerat, &, qui aliquid non vulgare præſtaret in literis, in hunc omnium oculi vultusque convertebantur.

(b) Non una, ſed varia ac multiplici, ratione verſatum POLITIANUM in emendandis, recognoſcendis, & expoliendis Autoribus priſcis cernimus. Alios enim cum antiquiſſimis, quos, maximo labore conquiſitos, omnis fere Europæ Bibliothecæ ſplendidiſſimæ, inprimis Medicæo-Laurentiana, ei ſuppeditabant, Codicibus Manuſcriptis diligenter contulit, ex his lacunas explevit, ineptas & jam ſatis inveteratas lectiones rejecit, probas atque convenientes ſubſtituit, & in meliorem omnia ordinem redegit, cujus induſtriæ ſpecimina infra *Sect. II* proferemus. In aliis pluſculum aliquanto præſtitit, ſcholia nonnulla, brevioresque annotatiunculas, aut rerum, aut verborum maxime, addidit, margini Autorum maxime adſcriptas; ex ingenio, vel aliis Autoribus, in ipſis Codicibus Manuſcriptis manca nonnulla reſtituit, conjecturas attulit, notasque aliorum vel confirmavit, vel emendavit. Hujus generis ſunt Annotationes illæ in *Statii Sylvulas*,

quas

quas, olim ad marginem domestici codicis a se adolescente annotatas, ipse POLITIANUS una illa *ad* PHILIP. BEROALDUM Epistola, *Lib. VI. Ep. 1*, complectitur, doctas admodum, & ingeniosas, & ad castigandam inprimis DOMITII CALDERINI, qui *Sylvulas* istas misere pervastaverat, audaciam compositas. Tales porro in SUETONIUM, TERENTIUM, & QUINTILIANUM, confecit, quas, cum aliis POLITIANI lucubrationibus post mortem ejus inventas, detineri a nonnullis, ut edant pro suis, refert ALD. MANUTIUS in *Epistola ad* MARINUM SANNUTUM, *Operibus* POLITIANI præmissa. Plura hic non memoramus, ne materia præripiatur his, quæ pertinere ad *Sectionem II* videntur. In alios porro Autores latius dispersit doctrinam suam, copiosiores diligentioresque Annotationes conscripsit, justos Commentarios instruxit, orationis genus, verba, historias, ex reliquis Autoribus illustravit, &, si quid obscuritate involutum fuit, id luculentius exposuit atque enodavit. Pertinent huc, præter alia, de quibus infra *Sect. II*, elaboratiores ejus in *Sylvas Statii* Commentarii, quos publicaturus ante mortem erat, ut ipse ait in *Epist. ad* PHILIP. BEROALDUM, *Lib. VI. Ep. 1*, *brevissimi illi quidem, sed tamen prorsus amussitati*, maximam partem Auditoribus olim prælecti, in quibus longe plura sunt & meliora observata, quam in pauculis illis ad STATIUM Animadversionibus, quas paulò ante diximus. Nec aliam fuisse rationem eorum, quæ in Jus Civile Romanum, & rerum medicarum Scriptores, meditatus est, ex ipsius verbis, sub *not. (a)* hujus §. prolatis, quodammodo judicari potest. Sed hæc, quæcunque sunt, levia existimes, si cum iis conferas, quæ in Autorum antiquorum pæne omnium, tam Græcorum, quam Latinorum, locos notabiles, vel obscuritate quadam laborantes, commentatus est in libris huic negotio unice destinatis, & ad illustrandos Autores veteres potissimum compositis. Præcipuum in his locum tenet immortale *Miscellaneorum* opus, præstantissimos lectori utriusque linguæ thesauros recludens; cujus etsi non nisi una publice *Centuria* legatur, plures tamen ab eo instructas, certissime constat. Altera enim illarum, cujus potiora capita exhibentur in *Epistola* PETRI CRINITI *ad* ALEXANDRUM SARTIUM, *Lib. XII. Epp.* POL. *Ep. 21 & 22*, fere integra post mortem ejus fuit reperta.

ta. Memoratur etiam passim apud Scriptores liber POLITIANI *de Erroribus Latinæ linguæ*, qui, si re vera exstat, (nunquam enim, in ejus venire notitiam, mihi contigit,) ad studia humanitatis, non minus, quam cetera, quæ dixi, ejus scripta, pertinere videtur. Ejusdem generis puto & argumenti esse *Excerpta* illa *ex variis Autoribus Græcis*, a POLITIANO collecta, quorum Codicem MStum exhibet PHIL. LABBEUS in *Bibl. MStorum p. 331.* Tam varia igitur POLITIANI in Autores veteres cum fuisse merita appareat; hoc sane dolendum maxime est, plurimam Annotationum istarum partem suis sepultam tenebris latere, translatamve in magnorum virorum, LAURENTII inprimis MEDICÆI, Bibliothecas, aut rapaci invidorum manu morienti POLITIANO surreptam, eruditorum huc usque paucis innotuisse. Sed ita in fatis fuit, ut præmatura morte Musis suis ereptus POLITIANUS, nec opus illud immensum, de omnibus Scriptoribus antiquis bene merendi, ad finem perducere, nec illa ipsa, quæ jam magno animo aggressus fuerat, plane perficere, & in lucem proferre ipse potuerit. Justæ hac de re querelæ sunt PETRI VICTORII in *Castigat. ad Columellam p. 70. A: Quæcunque Politianus in priscis exemplaribus inveniebat, in impressis sedulo annotabat. Quodsi diutius ille vixisset, &, quæ mente destinaverat, perficere potuisset opera, sedulitasque ipsius magnos studiosis literarum fructus attulisset, multisque, qui postea huic muneri corrigendorum librorum necessario incubuerunt, magna prorsus molestia liberasset. Sed ea nunc omnia incohoata imperfectaque jacent.* In his vero singulis, etsi non dubitamus, idem ingenii acumen, eandemque inesse doctrinam, qua in reliquis, quæ exstant vulgo, admirandum se Noster præbuit; accuratius tamen de iis ferre judicium, &, quantum hic incrementi studiis Grammatices attulerit POLITIANUS, definire certo, non nostræ, sed illorum, erunt partes, quibus propius illas cognoscere, ac penitius inspicere, contigerit. Si quid vero de illis dicendum adhuc nobis superest, id omne infra *Sect. II* latius pro instituti ratione exequemur. Jam vero, ut constare nobis possit, quid in enarrandis interpretandisque Autoribus priscis præstiterit POLITIANUS, ex solis vel *Epistolis* nonnullis, vel *Miscellaneis*, id cognoscamus, necesse

necesse est. *Epistolas* quod attinet, non adeo mirandum, reperiri & hic passim profundioris Critices vestigia; cum, quæ fuit POLITIANI inter eruditos sui temporis autoritas, sæpius contigerit, ut de rebus ad doctrinam elegantiorem spectantibus a viris doctis per literas consuleretur. Cujus rei exemplum præbet illa Nostri ad POMP. LÆTUM Epistola, *Lib. I. Ep. 16*, ubi verba VALERII FLACCI, *Lib. V. v. 148*, *Indigena æterni* &c. quorum labem facile agnoverat POMPONIUS, ex APOLLONII RHODII *Lib. II. v. 1011 & 1016* tam docte, quam ingeniose, emendantur, & in locum verborum: *Indigena æterni rupem Jovis, hinc tibi Mavors* &c. facili literarum mutatione substituitur versiculus: *Inde Genetæi rupem Jovis, hinc Tibarenum Dant virides post terga lacus* &c. quem si admittas, planus verborum sensus erit, &, quam APOLLONIUS refert, de lepido Tibarenorum more pro uxoribus puerperio cubandi, hic historiam agnosces. Quam emendationem secuti sunt Commentatorum in FLACCUM nobilissimi, LAMBERT. ALARDUS, JO. WEIZIUS, aliique, in suis *ad hunc locum Observationibus*, quarum partem maximam in sua FLACCI editione PETRUS BURMANNUS exhibet. Addi his merentur, quæ profert PHIL. MASSON in *Hist. Crit. de la Rep. des Lettr. T. III. p. 240 seq.* In alia ad NIC. LEONICENUM, *Lib. II. Ep. 6*, PLINIUM fortiter defendit Noster contra objectiones LEONICENI, qui in plantis dignoscendis inscitiam ei objecerat, exemplo usus hederæ non satis accurate a cistho distinctæ. In illa ad PHIL. POSCUM causas exponit, cur particulas *quodquod* & *adque* per *d* potius, quam per *t*, exprimendas putet, hasque tam a vetustissimo quodam atrii Capitolini marmore, cujus epigraphe hanc scripturam ostendit, quam a Codice Virgiliano Palatinæ Bibliothecæ antiquissimo, arcessit, majusculis characteribus exarato, quem per omnes fere paginas hocce scribendi genus constantissime servare docet. Ejusdem Codicis exemplo probat, non scribendum *aggredior*, ut PRISCIANUS contendit, sed potius *adgredior*; *adlocutio* vero, *adfatur*, *adludo*, *adrideo*, *adnitor*, *adsumo*, non tam vitio scribarum, quam ratione, literam *d* retinere, contra eundem PRISCIANUM hoc evincit argumento, quod in num-

mis, qui ſunt ipſis Cæſaribus conſecrati, verba hæc ita expreſſa legantur. In literis ad BARTHOL. SCALAM, *Lib. V. Ep. 3*, ad ipſas verborum minutias ſe demittit Grammaticus, & magno doctrinæ apparatu oſtendit, rectius quodammodo facere, qui *toties* & *quoties*, quam qui *totiens* & *quotiens*, ſcribant; *intellego* potius, quam *intelligo*, dicendum, ſi vetuſtiorum exemplarium autoritatem, & analogiam, ſequaris; eos, qui *adoleſcens* potius, quam *adoleſcens*, ſcribant, librorum veterum ſcripturæ, & verſiculo illi inniti: *At levis ille Deus, cui ſemper adoleſcentum*, ubi tertia a fine ſyllaba, contra originis naturam, producta ſit, ſimili ratione, qua litera *u* in vocibus *upilio* & *jucundus* apud Poetas producta legatur; denique *Carthaginienſis* accuratius dici, quam *Carthaginenſis*, non ſolum ex PRISCIANI præſcripto, librorumque vetuſtiſſimorum, & Epigrammatis cujusdam, quod Romæ in antiquo marmore ſcriptum ſpectatur, teſtimonio, ſed ex ENNII etiam autoritate, cujus apud CICERONEM verſus legatur: *Hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginienſis*. Eruditæ inprimis ſunt, multamque Autorum lectionem redolent, POLITIANI ad BAPT. GUARINUM literæ, *Lib. VII. Ep. 33*, ubi exquiſitiſſimis Poetarum teſtimoniis, & miro interpretandi artificio, enervare GEORG. MERULÆ ſententiam laborat, qui fruſtra verſum JUVENALIS: — — *Et a trepido Thymele ſummiſſa Latino*, ita fuerat interpretatus, ac ſi *Thymele* uxor fuerit *Latini*, quam ipſe etiam proſtituerit interdum, ita, ut mœchorum non raro alapis exceptus fuerit. In Epiſtola ad PANDULFUM COLLENUTIUM, *Lib. VII. Ep. 35*, de voce τρώξιμος, quæ *l. 205. ff. de V. S.* legitur, diſſerit, ibidemque diligenter diſputat, an *ima* dies latine dicatur pro *ultima vitæ die*; an, qui rem ipſam accepit, is recte dicatur, rei *ſpecimen* accepiſſe; quid de ſcriptura vocis *cottidie* aut *quotiens* ſentiendum; inprimis vero, cur magis ſequendi ſint, qui *culcitam*, quam qui *culcitram*, ſcribant. Multo etiam ſtudio ſcriptas dixeris illas ad FRANCIOT. URSINUM literas, *Lib. X. Ep. 13*, etſi non adeo verbis diffluentes, ubi *ponderum* & *menſurarum* nomina, quorum potiſſimum a VEGETIO RENATO in libro *de Medicina veterinaria* mentio

facta

facta est, studiose collecta exhibet, & singulorum accuratam lectoribus notitiam impertitur. At ipsæ hæ literæ acerrimum judicem expertæ sunt GUIL. BUDÆUM, reconditæ, ut inter omnes constat, doctrinæ virum, qui, plura, forte etiam meliora, de gravi hoc argumento edoctus, operis sui, *de Asse, & ejus partibus*, integrum fere Librum quintum, ubi mensurarum omnium ratio copiose ac erudite exponitur, hisce POLITIANI literis opposuit, harumque errores quosdam, etsi vehementius interdum, quam verius, notavit. Inprimis vero, quæ de *Amphora* hic disputavit Noster, non solum suppresso Autore ex vulgatis illis carminibus, quæ apud PRISCIANUM incerto Autore leguntur, furtim quasi sumta putat, de quo alibi disquirendum, sed nec satis exploratum POLITIANO horum carminum fuisse sensum dicit, ut facile ex verbis patet: *In his autem carminibus intelligendis quoties, quamque luculentis erroribus, Politianus lapsus sit, ex sequentibus apparebit, ut, nisi Politiani stilum agnoscerem, Politiani epistolam esse, omnino negaturus fuerim.* At quis contenderet a POLITIANO, ut, Epistolæ inclusus limitibus, ubi rei tam laboriosæ, tamque explicatu difficilis, non nisi summa percurri capita poterant, eodem studio, quo alii quique, quorum amplissimi hujus argumenti Commentarii exstabant, & illustraret singula, & enodaret? Notabiles porro, bonæque frugis plenæ, sunt literæ ad GEORG. MERULAM, *Lib. XI. Ep. 10*, ubi gravissimi MERULÆ, in enarrandis *Juvenalis Satyris* commissi, errores notantur, quæque de *Satyra* ille, de *spadonum uxoribus*, de *lacerna, militari veste*, de *Latino & Thymele*, matrimonio junctis, de voce *Thestitia*, in locum *Teuthrantiæ* substituenda in versiculo OVIDII, quem legis in Epistola *Dejaniræ ad Herculem*, de inaudito vocum *præsepe*, & *supinus*, significatu, de *Crispino*, homine ad Euphratem nato, de *vulva* animalium, & *utero* mulierum, de diversis JUVENALIS & PLINII *Umbriciis*, de *Diis Phæcasiis* apud APPIANUM, de *Glaphyra*, comœdo, aut citharœdo, de monstro vocis *cacethos* pro *cacoethes*, de *mimo Laurento*, de coronatione eorum, qui Nemea vicerant, *pinu* facta, de *struma* tergi, & *gibbo* pectoris, deque aliis hujus generis multis, falsa maxime atque commentitia

scripse-

ſcripſerat, evidentiſſimis rationibus, idoneisque Autorum teſtimoniis, refutantur. Quam ſcripſit ad JO. PICUM, *Lib. XII. Ep. 1*, Epiſtola plena eſt criticarum animadverſionum in HERM. BARBARI *Caſtigationes Plinianas*, in quibus nonnunquam diſſenſerat ab ipſo BARBARUS, e. g. de ſcriptura vocis *endelechia*, nominisque *Tetraones*, de ſignificatu vocis Græcæ *τὰ κάλλαια*, de DIONYSII verſione, non a PRISCIANO, quæ POLITIANI fuit ſententia, ſed a RHEMNIO FANNIO, confecta, ut reliqua hic taceam. Tandem de HESIODO, antiquo Poeta, præclare meretur Noſter in *Epiſt. ad* JO. PICUM, *Lib. XII. Ep.* 7, ubi non ſolum omnem Poetæ de *diebus* ſententiam ſummatim enarrat, ſed ejus etiam rationes, ſive a natura, ſive a vulgi credulitate, deſumtas, partim de PROCLI aliorumque lectione, partim de ſua conjectura, in medium profert, ſed tam dubitanter hæc omnia, tamque diffidenter, ut, ſibi hæc *ipſi vix interdum probari*, ſub finem Epiſtolæ ingenue profiteatur, rogetque PICUM, ut *ad hæc aliquid abſtruſum, remotum, inſigne, recens, & adhuc ore alio indictum*, excogitet, idque ſecum liberaliter communicet. Venio jam ad *Miſcellanea*, in quibus tantum attuliſſe POLITIANUS ad veterum Autorum interpretationem dicitur ROL. MARESIO in *Epiſt. ad* HADR. VALESIUM, *p. 69. Epp. ejus*, quantum poſt eum TURNEBUS forte aut LIPSIUS, *οἱ κριτικώτατοι*, locupletiſſimis attulerunt Commentariis. FR. FLOR. SABINUS vero in *Lect. Succiſ. Lib. I. Cap. 5 candidiſſima* hac *Miſcellaneorum Centuria, tum ob argumenti varietatem, tum ob multiplicem doctrinam, & accommodatum in plurimis rebus hominis judicium*, fatetur, *delectatum* ſe eſſe. Videtur omnis horum tractatio ad Commentationis hujus *Sectionem II* pertinere, ubi ſcilicet primum inter ſcripta POLITIANI locum ſibi vindicabunt hæc *Miſcellanea*; non patitur tamen inſtituti hujus ratio, ut, quæ Criticum aut Grammaticum hoc in opere loquuntur ANGELUM, ea hoc in loco prorſus intacta maneant. Sunt enim hic, ut verbis utar NIC. LEONICENI in *Epiſt. ad* POLITIANUM, *Lib. II. Ep. 3, non modo, quæ ad literaturam, ac Poetarum & Oratorum cognitionem, plurimum conferunt, ſed & Medicorum & Philoſophorum ſenten-*

ſententiæ, docte atque eleganter explicatæ, & in veriorem lucem eductæ, quam in aliorum libris perlegantur. Addo, legum etiam interpretes multa hic, quæ in rem ſuam convertant, invenire. Inquiritur hic, non in Scriptorum verba tantum, ſed in horum etiam vim ac ſenſum; non pervulgata, dudumque cognita, ſed quæ multis obſcuritatum nodis implicita, criticam deſiderabant manum, ad examen revocantur, nova multa, univerſæ Grammaticorum turbæ turpiter ad hunc diem ignorata, in lucem proferuntur, vetuſta ſqualore purgantur, Commentatorum inſcitia, audacia, atque impudentia, caſtigantur, &, quod maximum eſt, *tot tantorumque Autorum teſtimonio*, ut ait JAC. ANTIQUARIUS in *Epiſt. ad* POLITIANUM, *Lib. III. Ep. 18*, *res agitur* per opus univerſum, *ut, quicunque ſugillare aliquid ex iſtis lucubrationibus tentaverit, canis latrator haberi poſſit, non demorſor.* Nimirum, quantis id operis vigiliis elucubratum ſit, vel copioſiſſimus ille Græcorum Latinorumque Scriptorum, quibus hic uſus eſt, quosque ipſe manu verſavit, ac diligenter ſcrutatus eſt POLITIANUS, Index loquitur, ipſi ſtatim Operi præmiſſus, in quem intueri nos ipſe jubet in *Præfatione Miſcellaneorum*: *Enimvero, ne putent homines male feriati, nos iſta, quæquæ ſunt, de fæce hauſiſſe, neque Grammaticorum tranſiluiſſe lineas, Pliniano ſtatim exemplo nomina prætexuimus Autorum, ſed honeſtorum, veterumque duntaxat, unde jus iſta ſumunt, & a quibus verſuram fecimus, nec autem, quos alii tantum citaverint, ipſorum opera temporibus interciderint, ſed quorum noſmet ipſi theſauros tractavimus, quorum ſumus per literas peregrinati*, &c. Et, ſi eas nemo non intelligit Criticorum eſſe partes, ut omnia antiquitatis, unde aliquis Scriptoribus linguisque honor accedere poteſt, monumenta rimentur, numiſmata conquirant, marmorum lapidumque titulos inſpiciant; quis non in eo laudandum putet ſtudium POLITIANI, quod nihil horum deſiderari paſſus eſt, ſed hæc omnia ad Scriptorum interpretationem dexterrime accommodavit. Qua de re ibidem Noſter: — — *& vetuſtas codicum, & numiſmatum fides, & in æs aut in marmore inciſæ antiquitates, quæ tu nobis, Laurenti, ſuppeditaſti, plurimum etiam, præter libro-*

 rum

rum varietatem, nostris commentationibus suffragantur. Inprimis vero admirandam se nobis præbet candida illa, quæ veritatem unice sectatur, & suo res quasque pretio metitur, dicendi simplicitas, ab omni partium studio remota, nec in excutiendis Commentatorum sententiis ad amorem quidquam invidiamve referens. Qua sentiendi scribendique libertate egregie sibi placet Noster in *Epist. ad* JAC. ANTIQUARIUM, *Lib. III. Ep. 19. Quod autem,* inquit, *ad Miscellanea nostra attinet, aut ego fallor, aut nihil in eis æque fructuosum, quam libertas illa, & simplicitas, incauta fortasse, sed & ingenua tamen, ac, si minus a prudentia, certe a charitate profecta communium studiorum, quæ prima videlicet in hujus seculi scriptoribus desideratur.* Unde factum est, ut DOMITII CALDERINI, THEODORI GAZÆ, ARGYROPYLI, Byzantini, aliorumque, libere perstrinxerit errores, ne scilicet vel Scriptorum, in quibus emendandis ignobilem illi operam collocaverant, periclitaretur dignitas, vel in animis juventutis literis deditæ pessimarum doctrinarum spargerentur semina. Talem nempe gerere se decet eum, qui de literis bene mereri, veterumque Scriptorum prospicere dignitati, animum induxit. Sed, quod caput rei est, videamus, quid præclari in hoc Opere observaverit Criticus. Nihil de eo nunc laboro, an, quæ nova de autore *Etymologici Magni*, vulgo notissimi, ab ipso prolata est, eruditorum adeo digna plausu sit sententia. Certius olim de libro ipso, quam de ejus autore, constabat, cujus quippe ne nomen quidem satis eruditis fuerat cognitum. Primus igitur POLITIANUS autorem præclari Operis in *Miscellan. Cap. XXXVIII & LXX*, ubi de *Philyra* HORATII agit, quasi in transcursu *Nicam* dixit, & sub ejus nomine *Commentarium* illum, (ita enim vocat,) *per ordinem literarum compositum*, citavit. Quæ commemoratio Scriptoris, alioqui plane obscuri, etsi dubium potuisset in animis Lectorum relinquere, propterea quod nullis vel Scriptorum testimoniis vel rationibus fulta sit verosimilibus; fuerunt tamen, penes quos tantum valeret autoritas POLITIANI, ut ejus tuto sequerentur vestigia, prolatamque ab eo sententiam ad posteros propagarent. Sunt in his G. J. VOSSIUS *Lib. IV. de Artib. popul. p. 22*, EZECH. SPANHEMIUS *de usu*

Nu-

Numism. p. m. 358, TH. GALEUS in *Præfatione ad Palæphatum*, &, ut videtur, ADR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T.III. p.625*, aliique, quos nominat Celeb. JO. ALB. FABRICIUS in *Bibl. Græc. Vol. X. p.18. not. f.* At aliter ea de re visum IS. VOSSIO, illi ipsi, qui nihil olim dissenserat a POLITIANO, sicut apparet ex *Notis* ejus *ad Melam p.22.* Gravem is & ridiculum prorsus POLITIANI hic errorem deprehendit. Refert enim, nescio, an sua, an aliorum, cognitione exploratum id habens, codicem illum *Etymologici* MStum, quo usus fuerat POLITIANUS, in fronte gessisse labarum, crucis forma insignitum, cum inscriptione notissima: ἐν τούτῳ νίκα, cujus cum prima verba vetustate penitus obliterata fuerint, factum inde esse, ut ex vocula νίκα, quæ una nempe contra temporum injuriam se defenderat, falsa persuasione inductus POLITIANUS, ineptam de Autore libri conjecturam conciperet. Primus id ex ore VOSSII inter confabulandum accepit EMERIC. BIGOTIUS, qui, non parum in eo situm momenti arbitratus, certiorem ea de re per literas fecit ÆGID. MENAGIUM, autorque illi, ut videtur, exstitit, ut in omnium notitiam ea venire juberet in *Anti-Bail. T. I. p.m.256 seq.* unde postea translata in *Ephemer. erud. Ital.* (*Giornale de' Letter. d'Ital.*) *T. XX. p.278*, & in Celeb. FABRICII *Bibl. Græc. l. c.* Risu profecto digna, modo vera. At vera tunc credam, ubi certo constiterit, eundem, quo olim POLITIANUS usus, VOSSIO inspectum versatumque codicem, &, si quid re vera voculæ νίκα ille habuit, hanc vetustæ inscriptionis illius fuisse omnino particulam. Hæc enim, quo magis videntur ridicula, eo facilius in dubitationem adducuntur. Finge, ipsam crucis columnam cum prioribus duobus inscriptionis verbis simul deletam, unde scire poterat VOSSIUS, adfuisse olim hæc omnia? Rursus non deletam finge, quis adeo stupidum putet POLITIANUM, ut in cruce illa nomen Autoris quæsiverit, nec statim pervulgatum illud, quod tanto viro ignotum esse non poterat, crucis signum agnoverit? Res magis suspecta ex eo redditur, quod ipse BIGOTIUS, teste MENAGIO *l. c.* Florentiæ in Bibliotheca Jacobinorum S. Marci, quo facilis POLITIANO aditus patuit,

 tuit,

tuit, vidit codicem hujus operis elegantissimum, qui, cum idem esse videretur, quem manibus suis POLITIANUS tractavit, nulla illius νίκα POLITIANO inquirenti vestigia præbuit. Accedit & hoc inprimis, quod vetustus ille HOMERI Scholiastes *ad Il. δ. p. 378. 53*, iterumque *ad Il. p. 408. 29, edit. Basil.* Grammaticum quendam commemoret, nomine Νικίαν, HOMERI interpretem, quem ipsum, si quis est POLITIANI hac in re error, malim credere, hic ab eo indicatum, quam lepidæ narratiunculæ, in ludibrium ejus excogitatæ, temere habere fidem. Sed mittimus hæc, siquidem præstantiora, quæ commemorentur, in promtu sunt. Quid sit *Entelechia* illa, quam animo humano tribuit ARISTOTELES *Lib. II. de Anima humana*, quæque eruditorum omni tempore misere vexavit ingenia, ut & malos Dæmonas de ejus significatu interrogasse vulgo referatur HERM. BARBARUS, explicare ipse etiam ausus est POLITIANUS, idque ea potissimum de causa, ut CICERONEM defenderet, qui cum *Lib. I. Cap. 10. Tusc. Quæst.* ἐντελέχειαν verterit *quandam continuatam motionem, & perennem*, incurrit eo nomine reprehensionem JO. ARGYROPOLI, Byzantini, qui, non ad ARISTOTELEAM vocem, sed ad aliam potius finitimamque ἐνδελέχειαν, pertinere significatum istum, contenderat, & in ejus locum *perfectionem aut consummationem quampiam* substituerat. POLITIANUS igitur, quicquid pro causa CICERONIS proferri poterat, diligenter exposuit *Cap. I. Miscellan.* hoc inprimis agens, ut ostenderet, vetustiores ARISTOTELIS Codices MStos ita corruptos depravatosque esse, ut, qualis ex duabus illis, sibi plane simillimis, vocibus usurpata sit ARISTOTELI, vix dignosci legendo potuerit, ideoque CICERONI forte, suum sequenti codicem, illum, necesse fuerit, verbo significatum tribuere. Sed non ita efficere potuit POLITIANUS, ut desisterent ab accusatione CICERONIS adversarii; quin potius fortissime se POLITIANO opposuit GUIL. BUDÆUS in opere erudito *de Asse Lib. I. p. 12 seq.* cui POLITIANUS *ad sui magis ostentationem videtur suscepisse Ciceronis defensionem, quam diluendi criminis fiduciam habuisse.*

Is,

Is, quod minime negandum, multa eam in rem erudite disputavit, jure ideo laudatus a PHIL. MASSONO in *Hist. Crit. de la Rep. des Lettr. T. IV. p. 253*; nec ipse tamen commune adeo eruditorum suffragium tulit, ut non horum multis postea alia omnia in mentem venerit suspicari, quæ breviter enarrata leguntur in Dissertatione JO. PASCHII, *de Entelechia, voce & cruce Metaphysicorum*, habita Vitembergæ A. 1684, & in alia PHIL. MULLERI, *de Entelechia*, edita Jenæ A. 1666. In CATULLI *Epigr. 99. v. 4* antiquam lectionem vocis *Carpatinæ*, in cujus locum quidam, ut vocat Noster, *in literis tenebriones* substituerant aut *Cercopythas*, aut *Coprotinas*, *vocabula nuda, nomina cassa, & nihili voces*, gravissimis corroboravit optimorum Scriptorum, POLLUCIS, ARISTOTELIS, LUCIANI, XENOPHONTIS, aliorumque, testimoniis, &, quid sint *Carpatinæ* illæ, aut *Carbatinæ crepidæ*, docte exposuit. Inventus tamen & hic est, qui carperet POLITIANUM, maximæ doctrinæ Gallus, M. ANT. MURETUS, qui, sicut, communi forsan gentis odio accensus, quamvis reprehendendi POLITIANI aucupari occasionem solebat, ita nec hoc in loco præterlabi eam passus, rejectis *Carpatinis* illis, legendum apud Poetam duxit *Cercolipas*; de quo vide ejus *Notas ad* CATULLUM *p. 141.* Prævaluit tamen POLITIANI sententia, vindice JOS. JUST. SCALIGERO, qui eam non commendavit tantum vehementer, sed rationibus etiam novis confirmavit, in suis *ad* CATULLUM *Annotationibus*. Conf. etiam PHIL. MASSONI *Hist. Crit. T. IV. p. 255 seq.* In *passere* illo CATULLIANO, qui parum acutos huc usque interpretes invenerat, primo POLITIANO obscœni quidpiam suboluit, quod tamen, quæ ejus fuit in his rebus verecundia, suæ cujusque conjecturæ relinquere, quam cum pudentis lectoris fastidio explicare, maluit. In quam ut adduceretur ipse sententiam, in causa fuit versiculus ille, qui legitur in MARTIALIS *Lib. VII. Epigr. 11*: *Donabo tibi passerem Catulli*, cui si eundem tribuas sensum, qui vulgo passeri CATULLI tribuitur, putabat, minus accommodatum osculis pueri, de quibus paulo ante dixerat Poeta, fore passeris munusculum. Quin & aliud quodvis longe selectius venustius-

ve avium genus Poetam existimabat donaturum fuisse puero, nisi tale donare voluisset, quod ob salacitatem suam rem illam occulte obscœnam egregie repræsentaret. Quis vero hæc absona dicat, aut ridicula ? Mihi certe neque dono amantis, neque ingenio Poetæ, hæc male respondere videntur; etsi facile patiar, alios propriæ magis explicationi favere, utpote quæ tutior est, &, si nullum hic locum concedas metaphoræ, omnino admittenda. Et, quicquid demum hac de re sentias, saltem ridebis mecum rude & insulsum CLAUDII VERDIERII, ineptissimi hominis, judicium de re, quam perstringere magis, quam refellere, ipse poterat, ita instructum, ut legenti non possit non nauseam aut stomachum movere. En verba in *Censionibus in Autor. antiqu. p. 60 seq.: Catulliani passeris interpretationem, a Politiano traditam, hoc loco non deridere nequeo: quo quidem in commento sui specimen prodidit; nam a quo, nisi turpi persona, tam turpis interpretatio prodire potuit? Et certe Politianus vir fuit parum continens, qui tandem nefando pueri amore contabuit.* Ejusdem sunt alia *ibid. p. 156: Politiani de Catulliano passere interpretatio absona est.* Quasi vero, qui, dixisse alterum obscœne non absque ratione suspicatur, is ipse obscœna sectari dicendus sit. Hæc quam frivola sint & incondita, puerorum esto judicium. Quantumvis alioqui moribus impurus fuerit POLITIANUS, certe tunc temporis non fuit, ubi Grammaticum egit. Legat, velim, cui placet, ipsa POLITIANI, quibus mentem suam hac de re exposuit, verba, tumque cogitet secum, an verecundius quidquam, an modestius, dici de passere illo deplumi potuerit. Ita deridendam, ita absonam, dicit POLITIANI interpretationem, nec simul dicit, quare. Sed ita fuit ingenium hominis, ut obvia quæque, laude digna sint, an vituperatione, risibus, sannionum more, exciperet, nec tamen meliora nos doceret. Simili prorsus conatu POLITIANI de Priapei carminis autore conjecturam infringere laboravit *ibid. p. 156*, sed viribus, ut arbitror, perimbecillis. *Non ei*, inquit, *credere possum, Ovidium carminis Priapei, quod Virgilio tribuitur, auctorem esse, vel si pro eo spondeat Seneca.* Atqui vero, dixerit aliquis, quidni credis ? Causa in promtu nulla est. Idonea hæc & viro gravi perquam digna convincendi adversarios ratio, dicere,

cere, non credo. Nimis in suis ipse rebus fiduciæ posuit homo Gallus, dum suam secandæ controversiæ sufficere autoritatem credidit. Taceo, ne ipsum quidem huic sententiæ ita addictum fuisse POLITIANUM, ut alteram non æque ferendam putarit, sed exposuisse saltem rationes, quibus verosimile reddi possit, autorem carminis fuisse OVIDIUM. Pergimus ad JUVENALIS locum *Satyr. II. v. 92*, quem purgavit POLITIANUS ab erroribus DOMIT. CALDERINI, qui *Baptas* sacerdotes Cereris, & *Cocyton* ipsam Cererem, dixerat. Ostendit vero, antiquam Poetæ EUPOLIDIS Comœdiam, *Baptæ* inscriptam, hic innui, & pro *Cocyton* legendum *Cotyto*, Deam nempe turpium præsidem, aliis *Cotyn* dictam, cui nocturna Athenis sacra fieri consueverunt, *Cotyttia* inde dicta, & Græcis Scriptoribus frequenter commemorata. Eadem post POLITIANUM in hunc JUVENALIS locum observarunt JOD. BAD. ASCENSIUS & JO. BRITANNICUS in suis *ad* JUVENALEM *Annotationibus*; sed, qui itidem fusius hæc exposuit, ADR. JUNIUM in *Animadvers. Lib. III. Cap. 13* non adeo nullam POLITIANI decebat mentionem facere, ut recte judicat PHIL. MASSON in *Hist. Crit. de la Rep. des Lettr. T. IV. p. 260.* Nec aliam POLITIANUS admittit lectionem verborum HORATII *Epod. XVIII. v. 4*, quam *Cotyttia*, secus ac plerique olim codices habebant, ubi *Cocytia* scriptum. Quam secuti postea emendationem recentiores, & inter eos doctissimus BENTLEJUS, expuncta voce *Cocytia*, tuto substituerunt *Cotyttia*. Nec tamen adeo spernendæ sunt rationes LÆVINI TORRENTII, quibus veterem lectionem Autori suo restituere conatus est in suis *ad* HORATIUM *Animadversionibus*. Conf. PHIL. MASSON in *Hist. Crit. de la Rep. des Lettr. T. IV. p. 263.* Quid sit *Fraterculus gigantis* apud JUVENALEM *Sat. IV. v. 98*, & *Terræ filius* apud PERSIUM *Sat. VI. v. 56*, & CICERONEM *Epist. ad* ATT. *I. 13*, & *ad Fam. VII. 9*, tam docte exposuit Noster, ut ne BUDÆUS quidem, parum alioqui addictus ANGELO, latum unguem ab explicatione ista recesserit in *Annotat. ad Pandect. p. 143*, sed, additis de suo nonnullis, vehementer eam commendaverit. Eandem suffragio suo comprobat, jamque olim sibi arrisisse fatetur, FRANC. PUCCIUS in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. VI. Ep. 4.*

In

In MARTIALIS *Epigr.* 77. *Lib. VI* rejicit *gibbum* Atlantis comparem, ac pro eo *mulum* ponendum docet ex quatuor optimæ notæ Codicibus vetustis, Florentiæ, Romæ, atque Veronæ, olim asservatis. Laudatur hoc nomine Criticus noster TH. FARNABIO & MATTH. RADERO in *Notis ad* MARTIALEM. Singularia illa & rariora inventu vocabula, *cucuma*, *proseucha*, *scruta*, ad examen revocavit Noster, &, qui usi sint illis, Autores indicavit. Quæ de EUHEMERO, qui Deorum res gestas scriptis enarravit, deque *Jovis sepulchro*, & *Cretensibus*, ad VARRONIS *Lib.I. de R. R.* & COLUMELLÆ *Lib. X. Cap. 3*, protulit, luculento Commentario illustrata sunt a PHIL. MASSON in *Hist. Crit. T. IV. p. 263 seq. Pitysma* illud, quo *Lacedæmonium lubricari orbem* dicit JUVENALIS *Satyr. XI. v. 172*, contra triplicem tam CALDERINI, quam duorum Interpretum, quos amicitiæ causa nominare parcit, sententiam legendum potius *pitylisma* censuit, autoritate GALENI, qui *Lib. II* Ὑγιεινῶν Græcum verbum πιτυλίζειν crebram atque vehementem manuum exercitationem interpretatur, unde facili usitatissimaque structura nomen *pitylisma* compositum POLITIANUS existimabat. Ista vero emendatio cum non omnibus se probaret eruditis, propterea quod de ipso vocis hujus usu nondum adeo constaret, nec sensus vocis *lubricare* satis concinne huic interpretationi accommodari posset; hanc ipse postea in illis Animadversionibus criticis, quas secundæ *Miscellaneorum Centuriæ* destinaverat, mutavit POLITIANUS, affirmans, sicut nos docent literæ PETRI CRINITI *ad* ALEX. SARTIUM, *Lib. XII. Epp.* POL. *Ep. 21*, *in Pytismate ludum magis quendam, in Laconicis frequentem, subinnui, cum quis alter alteri aqulam inspuens colluderet*, quo spectent illa *pytissatio* TERENTII *Heavt. I. 48*, & quædam EPICTETI & CLEMENTIS in *Stromatis* testimonia. Proferam ipsa, quæ huc faciunt, POLITIANI in *Epist. ad* GEORG. MERULAM, *Lib. XI. Ep. 6*, verba: *Nam & ipse posterioribus scriptis non dubitem quædam interdum ex prioribus, exemplo doctissimorum virorum, retractare: sicuti pitylisma illud apud Juvenalem, quoniam pytisma quoque pulchre videor posse tueri, quo Poeta illos innuat, qui conceptos ore aquarum haustus per Laconicum spargant: verbum enim ipsum* διαπυτίζειν *etiam apud*

apud Alexandrinum Clementem, qui Stromatevs dictus invenitur: cujus significatum Grammaticus declarat quispiam, sicuti nos ante meminimus, & vulgaris etiamnum Græcorum lingua usurpat: a quo Terentianum quoque illud pytissare formatum crediderim. Ænigma illud AUSONII *Ep. IV. v.* 74, de *Cadmi nigellis filiis, Melonis alba pagina, notis furvæ sepiæ, Cnidiis*que *nodis*, POLITIANUS ex intimis doctrinæ elegantioris veterumque Scriptorum recessibus enodavit, ostenditque, de *literis, papyro, atramento, calamo*que, conficta hæc esse Poetæ. Non his commentatione nostra opus est; quandoquidem, quicquid eam in rem afferri potest, allatum est copiose admodum a PHILIPPO MASSONO *l. c.* ubi & ad plura *Miscellaneorum* Capita Annotationes leguntur doctissimæ. Qui *Vergilium* scribunt, magis probantur Nostro, quam qui *Virgilium*; hosque tam lapidum codicumque vetustissimorum testimoniis, quam rationibus grammaticis etymologicisque, refellit. At, qui litem ea de re POLITIANO movit BARTHOLOMÆUS SCALA in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. V. Epp.* POL. *Ep.* 2, hoc ipso pessimus accusator est, quod a *verendo* putarit id nominis deductum POLITIANO, qui a *vere* potius deduxerat. Quod vero idem SCALA leviorem hanc judicavit controversiam, quam quæ doctorum virorum exercere debeat ingenia, in eo morosus nimis est, & manibus Criticorum ea extorquere conatur, quæ ipsis vere sunt propria. Alia aliorum in promtu essent, quæ contra hanc nominis MARONIANI scripturam prolata sunt, gravioris momenti dubia, nisi, & cognoscere ea, & inter se conferre, Criticorum potius, quam nostras, videremus partes esse. Nec id pati videntur arctiores scriptionis hujus limites, ut in eorum, quæ ad Scriptores omnis generis antiquos præclare docteque POLITIANUS annotavit, pretium & dignitatem studiosius inquiramus, quippe his omnibus in spatiosissimo quasi campo positis, cui emetiendo vix tenue orationis nostræ filum sufficiat. Ex ungue igitur, quod ajunt, leonem discas, Lector, &, cujus generis sint reliqua, quibus vel HORATII, PERSII, LUCRETII, JUVENALIS, CLAUDIANI, NONNI, SUETONII, OVIDII, MARTIALIS, SENECÆ, CATULLI, VARRONIS, CAL-

LIMACHI, CICERONIS, PLINII, COLUMELLÆ, STATII, VIRGILII, AUSONII, ÆSCHYLI, POSIDIPPI, CALLISTRATI, QUINTILIANI, MACROBII, TERENTII, PLAUTI, PROPERTII, LIVII, SEVERIANI, ÆLIANI, PRUDENTII, & tantum non omnium Autorum veterum, locos obſcuriores in ordinem redegit, falſasque refutavit ſententias, vel nova quædam ad communes Grammatices regulas obſervavit, ex his, quæ jam enarravimus, cognoſcas. Docte etiam nonnulla obſervavit ad Juris Romani leges, eas inprimis, quæ in Digeſtis habentur, de quibus infra pluribus dicemus. Copioſior ediſſerendi præclara POLITIANI in elegantiorem doctrinam merita nobis materia ſuppeteret, ſi & illa ad nos perveniſſent, quæ in *Miſcellaneorum Centuria altera*, & ſi plures forte ab eo inſtructæ, commentatus ille fuerat in Autores veteres. De quorum pretio ſi judicandum eſt ex ſummis Capitum titulis, quos indicat PETRUS CRINITUS in *Epiſtolis*, quas ſupra diximus, non ſatis doleri, quam fecimus in Opere haud dubie præſtantiſſimo, jactura poteſt. Præclara ſunt & egregia, ſi quidem recte POLITIANI mentem ex ſchedis ejus aſſecutus eſt CRINITUS, quæ de nave *Thalamego* SUETONII in *J. Cæſ. Cap. 52* ex APPIANO, SUIDA, POLLUCE, & ATHENÆO, de *Trechedipna veſte* JUVENALIS in *Satyr. III. v. 68* ex PLUTARCHO, de *Nonis Caprotinis*, deque argumentis illis, quæ TERENTII Fabulis præmiſſa leguntur, ac ſenariis conſtant, APOLLINARI potius SULPITIO, quam ipſi TERENTIO, tribuendis, acute ac ſolerter annotaverat POLITIANUS. Multa ibidem de *Amyſtide Threicia* HORATII *Lib. I. Od. 36. v. 14* ex Græcis, ut ait CRINITUS, *ſcripſerat, non ut plebeji quidam agunt literatores, qui conjecturis, non Autoribus, nituntur*; *diribitorium* vero, *Auguſti clavem*, *tintinnabulum*, & *pædagogia*, quæ ſingula leguntur paſſim apud SUETONIUM, eodem teſte, *contra reliquorum* Interpretum *ſententiam explicaverat*. Cuncta hæc, cum his, quæ vel nos de induſtria hic tacemus, vel ipſe in *Epiſtolis* ſuis CRINITUS prætermiſit, ſi olim in conſpectum eruditorum, ut merebantur, prodiiſſent; dubium non eſt, multa nos in Autoribus priſcis certiora longe atque emen-

mendatiora habituros, in quibus vel acutiſſimi, ut dici amant, ætatis noſtræ Critici ſecure jam cœcutiunt. Sed fruſtra, ut videtur, laboravit in commoda noſtra POLITIANUS, nec, qui ex tenebris ſuis in lucem hæc revocet, fortaſſis unquam erit.

(c) Video, SCIOPPIUM in ea verſatum ſententia, primum omnium fuiſſe POLITIANUM, qui, poſt reſtitutas literas, præclaro iſti emendandi illuſtrandique Autores veteres negotio manum admoverit. Ita enim ille in libro *de Arte Critica p. 6: Primus autem Angelus Politianus varios Scriptores emendare cœpit, edito præclaro Miſcellaneorum Opere.* Recte vero contra SCIOPPIUM monet ADR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T. II. P. II. p. 90 ſeq.* non id perhiberi niſi ab eo poſſe, qui CALDERINOS illos, POGGIOS, PEROTTOS, MERULAS, aliosque, ignoret, illuſtres ſatis Autorum veterum interpretes, quos conſtat ætate fuiſſe ſuperiores Noſtro. Sive enim tales poſcas Grammaticos, qui ſingulos tantum emendandos ſibi Autores ſumſerunt, hosque Annotationibus illuſtrarunt, en tibi CALDERINUM, en MERULAM, quos ipſe paſſim in *Miſcellaneis* refutavit POLITIANUS, en POGGIUM, en LANDINUM; ſive tales potius exigas, qui ſimili ſcriptionis genere, quo uſus eſt Noſter in *Miſcellaneis*, in unum quaſi volumen collegerunt ſuas ad varios variorum Scriptorum locos Animadverſiones criticas, en tibi NICOL. PEROTTUM, cujus idem prorſus fuit in concinnando *Cornu copiæ* inſtitutum, quemque ante POLITIANUM id operis aggreſſum, vel inde conſtare poteſt, quod ſua POLITIANUS ex libro PEROTTI vulgo decerpſiſſe arguatur. Cautius igitur rectiusque dicendum cum ANT. BORREMANSIO in *Præfat. Var. Lect. inter primos* fuiſſe POLITIANUM, *qui ſcribendi hocce genus, veteribus valde uſitatum, ab interitu vindicarunt.* Neque tamen erraſſet SCIOPPIUS, ſi, ex illis, qui ad emendandos Autores veteres, poſt pulſam barbariem, applicare animum cœperunt, primum fuiſſe, dixiſſet, POLITIANUM, qui cum ſingulari gloria ad hoc doctrinæ genus ſe converterit, altiusque doctrina provectus, clariſſimam bonis literis lucem accenderit. Somniculoſi enim & inertes aliorum omnium labores dicendi ſunt, ſi conferas cum iis, quos ad decus & dignitatem literarum magno animo feliciſſi-

moque ſucceſſu POLITIANUS ſuſcepit. Addimus & hoc, primum fuiſſe POLITIANUM, qui criticas ad omnis generis Autores Annotationes ſub novo *Miſcellaneorum* titulo in lucem edidit; qua in re ſecuti eum ſunt PETRUS NANNIUS, JO. BRODÆUS, HIER. MAGIUS, aliique complure, de quibus diſſerit JO. GEORG. GRÆVIUS in *Cohorte Muſ. p. m. 329.*

(d) Si qui ſunt æqui rerum æſtimatores, ne ii mirabuntur quidem, in tam vaſta, & nullis præeuntium trita veſtigiis, Obſervationum ſylva humani aliquid paſſum ſubinde ANGELUM, nec ubique eleganter ſatis labore, quem ſuſceperat, defunctum. Etenim iis in rebus, ubi vel ad Scriptorum autoritatem, vel ad conjecturas, omnia redeunt, fieri aliter vix poteſt, quin aut alios fallamus aliquando, aut ipſi fallamur. Quisquis vero in *Miſcellaneis* forte hæc curioſius ſcrutetur, ei hanc legem præſcribimus, ut ab erroribus POLITIANI ſolerter librariorum menda ſeparet, nec, quod alienæ fuit culpæ, in Noſtrum temere conjiciat. Eam in rem legendas commendamus literas POLITIANI *ad* GEORG. MERULAM, *Lib. XI. Ep. 6*, quæ indicem ſuppeditant eorum, quibus typographorum inſcitia *Miſcellaneorum* librum deformaverat. Dabimus hunc integrum Lectoribus, ne, ſi quis in illis jam forte offenderit, is ſuccenſendum eo nomine POLITIANO putet. *Fit autem*, inquit, *interdum profecto, ut, ne noſtra quidem relegentes, mendum, ſi quod ibi eſt librariorum, deprehendamus. Ecce enim, quam multa me præterierunt, quæ nemo bonus & æquus objecerit. Evlabiam ſcilicet artifices iſti pro ablabia, ſabadium pro Sabazio, Theodoritum pro Theodoreto, ſubdiderunt. Iidem Capite duodevigeſimo Pedianum pro Pompejo, pro Juvenale Umbritium,* (O rudes typographos!) *Capite rurſum duodequinquageſimo, quintum ac vigeſimum Plinii volumen, pro quinto & trigeſimo. Sexto autem octogeſimoque, Martialis ſeptimum pro undecimo citaverunt. Muſtelariam quoque aliqui, quam moſtelariam, & Cæcilianos annales, quam Cælianos, maluerunt.* De his igitur nullam POLITIANO litem movebimus. Nec jam de iis multum laborabimus, quæ, vivente adhuc POLITIANO, notaverant in hoc Opere hoſtes & obtrectatores famæ ejus,

ita

ita quippe comparata, ut vel ipſe, qui horum mentionem facit, PETRUS CRINITUS, frivola & injuria prolata dixerit *Lib. III. de Honeſta diſciplina Cap. 12*, ubi pro cauſa POLITIANI graviter: *Multi hactenus fuerunt, qui in Commentario Angeli Politiani, quibus Miſcellanea titulum fecit, complura velut abſurda & imperite expoſita annotarunt. Nam cuique inſitum prope eſt, aliena magis detrahendo reprehendere, quam ſua docendo comprobare. Nos autem eos homines laude dignos atque commendatione cenſemus, qui legendo, ſcribendo, atque commentando, permultum vigilarunt; etiam ſi non ſunt omnia in bonis diſciplinis conſecuti. Quod ea ratione dictum volumus, ut eorum inſcitiam atque ineptam audaciam reprimamus, qui in hoc literarum certamine volſellis, ut inquit Varro, non gladiis, pugnant.* Alia vero animadverterunt alii: in quibus etſi non ſingulis erroris prorſus convictus ſit POLITIANUS, nonnulla tamen ejus ſunt generis, ut, luculentis Autorum veterum refutata teſtimoniis, vix ulla ratione excuſari poſſint aut defendi. Expendat Lector ea inprimis, quæ MURETUS ille, iniquior interdum POLITIANI æſtimator, reprehendit in *Annotationibus ad* CATULLUM *p. 110, 116, 141,* &c.; videbit, collatis utriusque ſententiis, non ſemper illam POLITIANI prævalere. Nec pauca ex iis, quæ PAUL. LEOPARDUS, Vir in arte critica exercitatiſſimus, in *Emendat. Lib. I. Cap. 12, Lib. II. Cap. 18, Lib. V. Cap. 5, Lib. VI. Cap. 24,* & *Lib. IX. Cap. 25*, atque LUD. CARRIO in *Emendat. Lib. I. Cap 8,* & alibi, obſervarunt, momentum ſuum ac nervum habent. Videmus etiam paſſim de laboribus POLITIANI acerbius ſentientem in ſcriptis ſuis JO. BAPT. PIUM, & JO. BAPT. EGNATIUM; ſed contra quos Criticici noſtri cauſa perorata eſt quodammodo ab illo ipſo, quem paulo ante diximus, LEOPARDO in *Emendat. Lib. XIX. Cap. 1*, argumentis, ut exiſtimo, haud ſpernendis. Certe, quæ PIUS in *Annotat. Poſterior. Cap. 38* monuit contra POLITIANI verſionem verborum PAUSANIÆ: ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς ὐδὲ ἀρχὴν κέρατά ἐςιν, quæ *Cap. LVI. Miſcell.* male verterat ex mente PII: *Verum in capite ne initio quidem cornua*, quaſi nempe illud ὐδὲ ἀρχὴν non *initio*,

ſed *nequaquam*, vertendum fuerit, mihi quidem magis videntur ad oſtentandam ipſius doctrinam, quam ad refutandam POLITIANI ſententiam, prolata. Non, quod puto, id latuit POLITIANUM, tribui interdum ab Autoribus hunc Græcæ dictioni ſignificatum; at, ſicut non ideo alter ille, proprius magis ac genuinus, plane exſpiravit, ita hunc eo magis ſequi hic debebat POLITIANUS, quo erat is verbis PAUSANIÆ convenientior atque accommodatior. PARRHASIUS, cum CALDERINUM tacite defendit contra ANGELUM, huncque in ultimo *Miſcellaneorum Capite* de *Luna* perplexe locutum ac confuſe dicit, (vid. ejus *Epiſtolam I*, qua teſte utitur JAC. GADDIUS in *Script. non Eccl. T. I. p. 109*,) ipſe tam obſcurum, tamque nihil, profert, ut parum ab eo famæ POLITIANI metuendum putem. Aliter dicendum eſt de iis, quæ ad *Cap. LXXIX Miſcellan.* PHILIPPUS MASSON in *Hiſt. Crit. de la Rep. des Lettr. T. IV. p. 274* animadvertit, ubi fruſtra POLITIANUS ex verbis APPIANI in *Syriacis*, quæ ad SELEUCUM, Regem Syriæ, ſpectant, exponere cauſam laboravit, cur LYSIMACHI, Regis, facies cornibus ſuperbiat in Numiſmatis. Sed, idem, neſcio, an *p. 275* manifeſtum adeo POLITIANI errorem deprehenderit in *Cap. LXXXV Miſcellan.* ubi perperam commixtos & confuſos ludos Cereales cum ludis Circenſibus exiſtimat. Quodſi enim legas, quæ hanc in rem commentatus eſt Noſter, videbis, non aliter conjuncta ab eo eſſe bina hæc ludorum genera, atque conjuncta legimus a TACITO bis in *Annal. Lib. XV. Cap. 53 & 74*, & OVIDIO *Lib. IV. Faſtor.* Sed, utcunque erraverit POLITIANUS, condonemus hos ei errores, atque id cogitemus, ſi in hanc, qua nos ipſe gaudemus, clariſſimam literarum lucem incidiſſet ætas ejus, forſan elaboratiora hæc omnia ornatioraque daturum poſteris fuiſſe.

§. 13.

Haud exiguus ad præclaras POLITIANI laudes cumulus accedit feliciſſima illa ubertate ingenii, quæ præſtantiſſimi Poetæ pe-

penes æquales æque, ac ſeros poſteros, ipſi nomen comparavit. Nimirum omne politiorum literarum genus ſua induſtria in Italiam revocaturus Noſter, ad Poeticam etiam, parum huc uſque cultam, quin ſordibus ſuis adhuc nimis involutam, exſtimulante intra præcordia Phœbo, curam ſtudiumque convertit. Itaque non Italicas tantum veneres compoſitis ſuaviſſimisque numeris expreſſit, (*a*) ſed Atticos (*b*) etiam Romanosque cantando lepores conſectatus eſt. Et Lātina inprimis, quæ compoſuit, carmina tantum, multorum judicio, gratiæ, tantum venuſtatis & artis, habent, ut legenti & delectationem afferre inſignem, & expreſſam quandam veterum Poetarum poſſint imaginem repræſentare. (*c*) Quæ, cum, pro variis numerorum legibus, varii fuerint generis, Epica quippe, (*d*) Elegiaca, (*e*) Lyrica, (*f*) atque Epigrammata, (*g*) diverſis æſtimanda ſingula & virtutibus, & gratiis, videntur. Sive enim externum carminis cujusque habitum intuearis, ſingulare utplurimum in verborum delectu, facilique numerorum compoſitione, artificium cognoſces; ſive internum potius decus ac præſtantiam rimeris, divinam illam cogitandi & effingendi vim, &

con-

concinnam, quæ nuſquam non apparet, veterum Poetarum imitationem, vix admirari ſatis poteris & collaudare. Sed, ut ſunt ingenia hominum, non adeo communi hæc excepta ſunt plauſu & approbatione, ut non varias ſubinde legentium reprehenſiones incurrerint. (*h*) Quas etſi non ita comparatas ſingulas exiſtimem, ut evertere penitus Poetæ noſtri gloriam & dignitatem poſſint; diſſimulandum tamen minime videtur, in nonnullis nec ſuavitatis ſatis eſſe, (*i*) nec legum metricarum eam, quæ præcipua Poetæ eſſe debet, curam animadverti. (*k*)

(*a*) Quam apto ad Poeſin ingenio natura inſtruxerit POLITIANUM, vel id documento eſſe poteſt, quod prima ſtatim pueritiæ ætate, calentis venæ impetum ſecutus, præclara illa in lucem dederit ingenii ſpecimina, quorum aliquam mentionem injecimus ſupra §. *III.* Nec niſi homini frequentius in Helicone verſanti apprime convenire videbatur ſigillum illud Pegaſi, annulo POLITIANI impreſſum, quod ipſe, ut vidimus §. *I. n. oo*, teſtamento PICI teſtis appoſuerat. Inſitam hanc & innatam poetici laboris indolem per omne vitæ tempus induſtria & veterum Poetarum lectione magis magisque confirmavit; &, quod rarius evenire ſolet, triplicis linguæ, Italicæ nempe, Græcæ, & Latinæ, quæ diverſiſſimis metri legibus circumſcribuntur, Poeta dici meruit. Et patrio quidem ſermone quæ compoſuit poemata, in tanto pretio habentur Italis, ut ad DANTIS & PETRARCHÆ elegantiam accedere quam proxime putentur. Domeſticum arceſſam teſtem, JO. FRANC. PICUM, qui eorum, quæ condidit POLITIANUS, omnium & probe gnarus fuit, & æſtimare dignitatem noverat. Is de Carmi-

Carminibus nostri vernaculis in *Epist. ad* GIB. BARB. *Lib. III. Ep. 10 Epp. suarum*, ita judicat: *In Rithmis Ethruscis Franciscum Petrarcham & Dantem elegantia, & vi poetica, nec scriptura tantum, sed pictura earum rerum, quas exprimit, facile æquavit.* Et liberalis inprimis in his laudandis fuit JUL. CÆS. SCALIGER, qui, teste NIC. HEINSIO in *Epistola ad* CHRIST. DAUMIUM, quam legis *Tomo V. Sylloges Epistolarum*, a PETRO BURMANNO collectarum, *p. 258*, suo vernaculorum POLITIANI *Carminum* Codici ipse verba adscripserat: *Dignum poema, non solum quod quibusvis præstantissimis vulgaribus scriptis annumeretur, sed etiam quod præstantissimum omnium habeatur.* Quæ laudes spectare inprimis ad Carmen equestre, in honorem JULIANI MEDICÆI compositum, videntur. Pauci nempe Italorum a PETRARCHÆ abhinc ætate quidquam in poesi vernacula tentaverant, nec quisquam ex his ipsis talia excuderat, quæ digna posteritate essent. *Unum*, judicio JO. CASÆ in vita P. BEMBI *p.m.4, scurrile vigebat genus, in eo sane ridiculi nonnulli, sed ipsi quoque multis in locis inertes ac languidi.* Supersunt adhuc hodie hujus generis nonnulla, non nisi iis legenda, quibus ludicra & jejuna placent; qualia sunt, quæ LUDOVICUS PULCIUS composuit sub titulo *Morgante maggiore.* Ejusdem esse generis putatur Carmen LUCÆ PULCII, quod inscribitur *Ciriffo Calvanco;* cui ipsi tamen, cum ejusdem Autoris Carmine *in equestrem Laurentii Medicæi victoriam*, aliquanto plus pretii, quam illis LUDOVICI PULCII, tribuit M. BENEDICTUS VARCHIUS in *Dialogo Ercolano p. 28 edit. noviss. Florent. A. 1730;* cui addo JO. MAR. CRESCIMBENIUM in *Comment intorno alla Istor. della Volgar. Poes. Vol. II. P. II. Lib. III. p. 164.* Primi igitur sordida majorum linquere vestigia cœperunt, teste eodem VARCHIO *l. c.* & CRESCIMBENIO *Lib. VI. Cap. 17. p. 389*, LAURENTIUS ipse MEDICÆUS, cujus in poesin Italicam merita passim idem CRESCIMBENIUS edisserit, HIERONYMUS porro BENIVIENUS, atque ANGELUS POLITIANUS, qui illam PETRARCHÆ & DANTIS reducere artem studuere, horumque venustatem gravitatemque scriptis æmulati sunt. Et, ut certius constet, quid incrementi POLITIANUS vernaculæ Poetices studiis attulerit, refert

CRESCIMBENIUS in *Istor. della Volg. Poes. Lib. I. p. 17 & 70*, & in *Commentar. intorno Istor. Vol. I. Lib. III. Cap. 14. p. 151*, omnium primum a POLITIANO ex Græcia in Italiam arcessitum esse illud carminis genus, quod *Dithyrambicum* vocatur, nec Latinis unquam, nec Italicis, antehac metris accommodatum. Dithyrambi hanc constat rationem esse, ut quædam in eo omnium metrorum sit permixtio, in verbis & fictionibus licentiæ locus detur, non cohæreat, non ad regulam efficta sit, oratio, sed quasi dithyrambico, hoc est, Bacchi, afflatu concitatus videatur Poeta. Quæ causa est, cur carminis hoc genus in Bacchi maxime honorem, aut, quod rarius cernas, de rebus quibusque ludicris & jocosis, effundi soleat. Hujusmodi cantiunculas patrio sermone primus condidit POLITIANUS; etsi hanc ei gloriam dubiam facere conatus sit BENEDICTUS FLORETTUS, solertissimus ille sub initium Seculi XVII Italici sermonis emendator, qui unum illum, quem *Lib. III.* suorum *Progymnasmatum poeticorum*, *(Proginnasmi poetici)* sub nomine UDENI NISIELLI editorum, attulit, Dithyrambum, omnium primum venditavit eorum, qui intra fines nati sint Italicos. Conf. CRESCIMBENIUM *l. c.* Sed, huic si contigisset esse tam felici, ut in eorum, quæ tot annos ante ipse cantaverat POLITIANUS, notitiam venisset, nihil ad se pertinere inventionis hujus laudem, intellexisset facile. Idem dicendum adversus PTOLEMÆUM NOZZOLINUM, qui, parum gnarus eorum, quæ a POLITIANO sunt composita, Dithyrambicæ compositionis gloriam primo perperam FRANC. MARIÆ GUALTEROTTO tribuit in Carmine Italico: *Il verme da Seta*, notatus eo nomine JOSEPHO BLANCHINIO in Præfatione libelli, quem inscripsit: *Brindisi di Antonio Malatesti e di Pietro Salvetti*, & DOMINICO MARIÆ MANNIO in Commentario *de Florentinis Inventis Cap. XLV. p. 87.* Exstant enim hujus generis versiculi, affabre compositi, in Fabula POLITIANI, *Orfeo* inscripta, quæ pulcherrima vocatur peritis harum rerum æstimatoribus. Conf. CRESCIMBENIUM in *Comment. Vol. II. P. II. Lib. III. p. 187.* Idem CRESCIMBENIUS hujus metri carmen brevius, quatuor Dithyrambis compositum, vidit in Codice quodam MSto, haud exiguæ molis, Carminum vernaculorum

POLI-

POLITIANI, qui Romæ in Bibliotheca Chiſiana cimelii loco aſſervatur. Inſcripſit id Poeta: *Sacrificio delle Baccanti in onore di Bacco*, editum cum aliis vernaculis POLITIANI *Carminibus Venetiis anno 1538.* Legat id, cui placet, in CRESCIMBENII *Iſtor. Lib. I. p. 70;* ſi quis delicatius ſapit, fatebitur is, non effrenius furere temulentum Bacchi ſacerdotem potuiſſe. Sed & in reliquis carminum generibus præſtitiſſe haud parum judicatur POLITIANUS. In *octava,* quam vocant, *rima* primus fuiſſe dicitur SPINELLO BENCIO in *Stor. di Montepulc. Lib. IV. p. 84,* qui pure & cum majeſtate ſcripſerit; hujusque metri verſiculos, anno 1480 conditos, adhuc hodie in elegantiſſimis haberi Italis, & majoris æſtimari, quam alia quæque hujus viri, non ſine Scriptorum teſtimoniis nos docet ADR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T. IV. P. III. p. 62.* His numeris adſtrictum eſt carmen illud magnificum in equeſtrem JULIANI MEDICÆI victoriam, quo imitatus videtur Noſter LUCAM PULCIUM, eodem metro uſum in Carmine, quo LAURENTII MEDICÆI ludos equeſtres celebravit. Tribuit & hanc POLITIANO laudem CRESCIMBENIUS in *Commentar. Vol. I. Lib. IV. Cap. 9. p. 220,* quod primus Italorum paſtoralibus cantiunculis Fabulas diſtinxerit, qualis ſit, quam modo memoravimus, *Orpheus* dicta, inter arbuſta & ſylvas nata; in qua & ſingulare hoc animadvertere liceat, quod Inferorum paſſim ei ſermones admixti ſint. Conf. eundem *l. c. p. 223.* Certiora nobis de his, quæ ſunt in vernaculis Poetæ noſtri carminibus præclara & eximia, conſtarent, niſi eorum, quæ fudit ille, pars maxima ad hunc uſque diem ſuis ſepulta tenebris jaceret. Illa, quæ calamo exarata Romæ in Bibliotheca Chiſiana aſſervantur, dolet CRESCIMBENIUS in *Comment. Vol. II. P. II. Lib. III. p. 187,* non edita eſſe ſingula, utpote quæ documento fore exiſtimat, protuliſſe Italiam Seculo illo barbaro ſummi etiam nominis Poetam Lyricum. Bene igitur ab eo factum, quod bina horum, quæ præ ceteris venuſtate ſua lectoribus ſe commendare poterant, excerpta ex Codice MSto dedit in *Iſtor. p. 39 ſeq.* & in *Commentar. Vol. III. Lib. III. p. 208,* alterum ſeptem modis conſtans, & Amori, Veneris filio, ſacrum, alterum, ſimilis fere argumenti, amatorium, cujus tamen non niſi brevem exhibet particulam. Idem vero Scriptor in

Commentar. Vol. III. Llb. III. p. 127, hujus argumenti cantilenas, quæ *Stanze amorose* Italis vocantur, plures a POLITIANO memorat compositas. Sed & alias cantiunculas, saltationibus accommodatas, quæ LAURENTII MEDICÆI, POLITIANI, & aliorum, debentur ingenio, idem refert in *Commentar. Vol. I. Lib. II. Cap. 12. p. 70*, collectas editasque exstare integro Volumine, in cujus fronte pictura puellarum rusticarum, ad tibicinis modos saltantium, conspiciendam se præbeat, unde scilicet constare possit, illo etiam tempore consuesse Italos carmina cum tripudiis & saltatu canere. Porro, Epithalamia conscripta esse a POLITIANO, docemur ex PAULI BENI *Commentar. in Tassum p. 718*, ubi carminis ejusmodi mentio injicitur. Conf. eundem CRESCIMBENIUM *l. c. p. 187*. De carmine illo triumphali, quo victoriam JULIANI MEDICÆI in ludis equestribus celebravit, abunde dictum est supra *§. III.* Alia, si qua sunt, quæ huc spectare videntur, ne nimis hic copiosi simus, infra *Sect. II* commemorabimus. Dicenda autem, quæcunque diximus, fuerunt hoc in loco, ut de meritis POLITIANI in poesin Italicam certius constare posset Lectoribus. Satis enim ex his apparet, in Italorum etiam Poetis annumerandum esse POLITIANUM, idque eo majori jure, quo gravioris conatus res fuit, ætate illa tam cruda & impolita, qua Musas elegantiores torpor occupaverat, ad aliquam istius artis gloriam adspirare. Unde nec mirum cuiquam videri debet, esse quosdam ex recentioribus Poetis Italis, qui gratia & venustate carminis POLITIANUM omnino superent. Non abnuere id ego ausim, modo non, quæ durior est de POLITIANO sententia JO. CASÆ *l. c.* (si quidem de Poesi POLITIANI intelligenda hæc putes,) *minus dulcem* eum, *minus omnino elegantem*, dicas, *quam ut legisse Petrarchæ lectissimos versus videatur.* Ita sentire de POLITIANO quis credat eum, qui eodem in loco venustissimum illorum temporum Poetam dixerat? Nec, quod usus sit passim in Carminibus vernaculis, inprimis quæ genere carminis heroico scripsit, vocibus barbaris, & quodammodo peregrinis, quales nonnullas collegit larvatus ille UDENUS

NISI-

NISIELLUS in *Proginnasmi poetici Vol. IV. Prog. 77. p. 238*, POLITIANI magis, quam ætatis, factum culpa putabimus. Si quid vero in eo peccavit Noster, id ferat solatii, quod commune ei hoc peccatum cum ætatis suæ Poetis, nescio, an non omnibus, fuit.

(*b*) Cujus pretii & dignitatis sint, quæ græce condidit POLITIANUS, carmina, cum dictum sit copiose *§. IX. not. (l) & (m)*, hic, non invito, ut opinamur, Lectore, tractationi huic supersedebimus.

(*c*) Exigui ponderis ea putes, quæ Italicis Græcisve numeris POLITIANUS cecinit, si conferas cum his, quæ Latinis condidit. Illa animi & delectationis causa, ut tulit ingenium, effudisse, hæc, doctrinam & artem experturus, non nisi labore multo & vigiliis, excudisse, & tanquam elucubrasse, videtur. Unde, quemadmodum reliquæ Itali nostri virtutes admiratores bene multos invenere, ita in re quoque poetica ingenii ejus præstantiam haud infimi nominis eruditi prædicarunt. Vix præstantiore Nostrum decorare nomine poterat JOVIUS, quam cum *Poetam divinum* diceret in *Vita Leon. X. Lib. 1. p. 15.* Similiter *Poeta insignis* JO. JAC. BOISSARDO in *Icon. p. 159*, & JO. TRITHEMIO in *Catal. Script. Eccles. p. 166*, nec non *Poeta excellens in carmine heroico* JAC. GADDIO vocatur in libro *de Script. non Eccl. T. II. p. 135*. Sed idem Scriptor, ut paulo post dicemus, in Carminum POLITIANI loco non uno varia reprehendit; ut mirer, qui factum sit, ut Vir Celeberrimus, JO. GUIL. BERGERUS, in Dissertatione *de Πατριδομανίᾳ eruditorum §. XVII p. 30, non recte sibi constare, sed civibus suis nimium favere*, diceret, *Gaddium, qui Politiani, aliorumque recentiorum, carmina cum Virgilii Eclogis non tantum contendat, sed illa etiam his judicaret anteponenda.* Ut enim in aliorum collaudandis carminibus forte justo liberalior fuerit GADDIUS, de POLITIANO tamen tam honorificum in scriptis ejus judicium reperire mihi non licuit. Elegantissimi vero sunt JO. PETR. LOTICHII in *Biblioth. Poet. P. II. p. 82* de poesi POLITIANI versiculi:

Politiane, tuas si quis legat undique Musas,
Is Musas dicet, Politiane, tuas.
In verbis tersum est, in versibus omne politum,
Ipse politus enim, Politiane, vir es.

Ll 3 Sic

Sic & *politissimi virum ingenii in re poetica* POLITIANUM dicit DES. ERASMUS in *Epistola*, quam nomine HENRICI ad CHRISTIANUM, fratrem, dedit, obvia in *Epistolis ejus p. m. 32*; nec parum celebratur vates POLITIANUS versu LUDOV. BIGI in *Epigrammatis:*

Cum sis & vates nostri decus, Angele, secli.

Ad alios vel suæ vel posterioris ætatis Poetas si comparetur Noster; JO. BAPT. MANTUANO, Poetæ non ignobili, longe ipse anteponitur a LIL. GREG. GYRALDO in *Dial. I. de Poet. suor. temp. p. 535 Opp. ejus*, ubi hæc leguntur: *Magis emunctæ naris* (quam MANTUANUS) *fuisse videtur Angelus Florentinus; qui, transmarina, ut Ciceronis verbis utar, doctrina & adventitia institutus cum esset, florere & quasi regnare visus est; huic enim me puero a multis primæ deferebantur.* Nec, quicquid carminum fudit JO. BAPT. PIGNA, tantum habere majestatis, quantum illa POLITIANI, judicat OL. BORRICHIUS in *Dissert. III. de Poetis p. 103*, ubi *humiliorem ubique* dicit, *quam ut cum Angelo Politiano comparari possit, viro undique doctissimo.* At, quod ad SANNAZARIUM, miræ venustatis Poetam, huic ut parem crederet POLITIANUM, haud impetrare a se potuit CASP. SCIOPPIUS, ut patet ex *Epistola ejus ad* JUL. CÆS. CAPACIUM, in *Paradox. Liter. p. 35. Etsi ille*, inquit, *quoque versus scripsit Latinos, qui vetustati se possent asserere, nihil tamen ad Sannazarium.* Quæ singulares & præcipuæ fere Poetarum virtutes sunt, ut inventionum acumina judicio temperare sciant, & ad imitationem veterum diligenter se componant, has animadvertisse sibi visus est in Carminibus Nostri CASP. BARTHIUS in *Adversar. Lib. XXI. Cap. 17. p. 1055.* Dicit enim, *inventionum acumine, lectionis varietate, judicii dexteritate, singularem illius hominis felicitatem fuisse.* Cui propius accedit judicium GYRALDI *l. c.* qui *miram ejus eruditionem, vehemens & paratum ingenium, jugem & frequentem lectionem*, admiratur. Præter doctrinam exquisitam, vehementem inprimis ingenii vim, & ignem illum poeticum, magni facit in Carminibus POLITIANI PHIL. MASSON in *Hist. Crit. de la Rep. des Lettr. T. IV. p. 281*; *Latinitatem* vero, *candorem*, & *spiritus poeticos*, laudat JUL. CÆS. CAPACIUS in *Elog. p. 352.* Sed & mellea suavitate

tate sua & facili versuum flumine magnopere se commendarunt illa JO. LUD. VIVI *Lib. III. de Trad. Disciplin.* fatenti, *Politiani Musas plurimum suavitatis habere, multo sale, argutiis, Veneribus, conditas.* At in eo præsertim singulare POLITIANI artificium agnosco cum VINCENT. GRAVINA *Lib. I. della Ragion Poetica §. 39. p. 115*, & Autoribus Diarii *Journ. Liter. T. IX. P. II p. 268*, quod veterum Poetarum elegantissima quæque sui dexteritate ingenii ita versibus exprimere, ita simul temperare, sciverit, ut recentissime demum inventa, & uni se vindicare autori POLITIANO, viderentur. Ipsum tandem POLITIANUM si rerum suarum velis arbitrum constituere, quam magnifice is de suis senserit laboribus, luculenter cognosces ex verbis, subarroganter, ut puto, dictis in *Epist. ad* MATTHIAM, *Pannoniæ Regem, Lib. IX. p. 1*: *Quare, ne, quæso, numeret Angeli Politiani carmina lector, sed ponderet.* Ex quibus vel ipsis intelligimus, haud levi cum cura & studio in poetico labore desudasse POLITIANUM, ut, quicquid excuderet, lectorum approbatum judicio, famam autori suo gloriamque pareret.

(d) Pertinent ad *Epica* POLITIANI *Carmina* interpretatio HOMERI & *Elegiæ* MOSCHICÆ in *Amorem fugitivum*, nec non Poema illud *de sanguinaria Juliani Medicæi cæde*, de quibus partim obscura sunt omnia, partim supra a me dictum meministi, Lector. Inprimis vero huc spectant *Sylvæ* illæ, quæ cuilibet Lectori patent in *Operibus* POLITIANI, & largam passim eruditis dicendi materiam suppeditarunt. In his enim laudis ejus, quam Carminibus suis consecutus est POLITIANUS, sita est pars longe maxima. Laboris iu his studiique multum; nec doctrinæ parum, si spectes argumentorum dignitatem. Multum illis pretii tribuit GYRALDUS *l. c.* vinci tamen hoc carminis genere Nostrum putat a JO. JOVIANO PONTANO, æquali suo, qui vehementior sit, fortiusque animos afficiat. En, quam eleganter contendat inter se Poetas summos, ut nec ipse POLITIANUS, inferior illi habitus, hiscere ad hæc ausit: *Si ejus Sylvas legatis, Rusticum, Nutriciam, Ambram, Manto, sic afficiemini, ut nihil in præsentia desiderare videamini: at, si cum Pontani Heroicis conferatis, hunc Entellum,*

illum

illum Dareta, putetis, & , ut græce dicam, hunc μάχεσθαι, illum σκιαμαχεῖν, &, his si Carmelitam forte junxeritis, ferentarius videbitur. Eadem utitur comparatione, & ad verbum fere dicta GYRALDI vertit, LEONARDUS NICODEMUS in *Addiz. alla Biblioth. Nap. di* NIC. TOPPI, sub *Art. Jovianus.* Conf. etiam BERN. MONETAM in *Notis ad* BAILL. *Jug. des Sav. T. IV. P. I. p. 80. ed. nov. Sylvas* inscripsit Noster hæc carmina, nomine illis inprimis accommodato, quæ subito quodam ac poetico furore, & ingenii vehementissimo impetu, effundimus. Qua in re STATIUM imitatus est, nobilissimum *Sylvarum* Scriptorem, cujus & in fingendo, & in componendo, secutus rationem videtur, judicio inprimis JUL. CÆS. SCALIGERI *Lib. VI. Poetic. seu Hypercrit. p. 309*, ubi, *Politianum*, inquit, *traxit ardor eruditionis ad stilum Sylvarum. Itaque & lectionis variæ condituris, & impetu excursuque, Statio propior ac similior.* Quo ipso parcior in laudando fuit SCALIGER, quam, qui, latius evagatus amoris impetu, STATIANIS antepofuit POLITIANI *Sylvas*, MICH. ACCIARIUS, Utianensis, cujus in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. XII. Ep. 23*, hæc leguntur: *Transeo versus Sylvasque tuas, haud certe Statianis absimiles: immo vero, si materiam, si flores, si fructus, inspectes, illius Sylvæ facile relinquentur; tuæ vero sylvæ jure potius amœnissima viridaria pomariaque dicentur.* Ceterum hac Sylvarum appellatione tueri se posse videtur POLITIANUS contra eos, qui permixta in his omnia pro impetu Poetæ, parumque digesta, dixerint. Principem merito, si & laborem & doctrinam spectes, locum occupant ejus *Nutricia, Poema*, ut ipse vocat POLITIANUS in *Epist. ad* MATTHIAM, *Lib. IX. Ep. 1, multa lima cruciatum, & de varia multiplicique lectione conditum*, quod, quo præstantiori argumento fuit, (quandoquidem laudes Poeticæ, & historiam omnium fere vatum, complectitur,) eo longioribus *constitisse sibi lucubrationibus* fatetur. Quin & persuasum habens, *tantas ex hoc libello velut e thesauro divitias proferri* posse, *ut magna ex parte studiosæ juventutis quædam veluti inopia relevetur*, amplissimos in opus illud *Commentarios* parturivit. GYRALDUM certe hæc ipsa POLITIA-

TIANI *Sylva* eo adduxit, ut ad enarrandas Poetices laudes, & contexendas Poetarum, Græcorum æque, ac Latinorum, vitas, animum appelleret, ederetque luculentos illos *de Historia Poetarum, tam Græcorum, quam Latinorum*, Dialogos. Teſtem habes ipſum GYRALDUM in *Præfat. Dial. I. p. 1 & 2 Opp. ejus.* Nec minus præclare de labore ſuo POLITIANUS ipſe in *Epiſtola ad* ANTONIOTTUM GENTILEM, *Cardinalem*, *Lib. VIII. Ep. 11: Parvum quidem tuo nomini libellum dedico, ſed (ut ſpero) nec inanem rerum, nec inopem. Multa & remota lectio, multa illum formavit opera.* Qua in re quidni fidem habeamus POLITIANO, cum ipſum carminis argumentum ita comparatum ſit, ut absque Poetarum veterum cognitione, & inſigni copia doctrinæ, nemo accedere ad id enarrandum potuerit? Quot enim commemorandi ipſi vates obvenere, tot in diverſas ſe formas ſtructura carminis convertit. In effingendo STATII cumprimis acumen, in componendo & eloquendo Poetarum optimorum quorumque, elegantiam expreſſit Noſter. Particulam carminis exhibet CASP. BARTHIUS in *Animadv. in* STAT. *Sylv. T. II. p. 1004*, quam, ad STATII ingenium compoſitam, *nullam* continere *locutionem aut ſententiam, non optimo Romano aliquo vate dignam, quæque non ab aliquo tali dependeat*, exiſtimat. At vero, abſtinuiſſet, vellem, POLITIANUS a nimia illa anxiaque, optima quæque intra anguſtos carminis limites coarctandi, cura, & gratiarum venerumque ſe ſtudioſiorem præbuiſſet. Dum enim id unice agit, ut immenſos rerum & ſententiarum, quæ ipſi maxime probantur, in eodem argumento cumulos congerat; factum inde eſt, ut minus ineſſet ſuavitatis dictioni ejus, quam in veteris Latii Poetis, illis etiam, qui in re gravi & ſublimi occupantur, animadvertere nobis liceat. Id quod eo magis reprehendendum hic videtur, quo opportunior ſuavitati locus fuiſſet in argumento, ex ipſis Poetices dulciſſimis fontibus petito. Eadem eſt ſententia SCALIGERI, qui *l. c.* POLITIANUM, dum furore agitetur effrænato & præcipite, *venerem amittere*, contendit; etſi in eo paulo mihi videatur iniquior quod eadem labe infectas ceteras POLITIANI *Sylvas* ad unam omnes exiſtimet. Sed, quid ſentiat *de Nutritiis*, eodem in loco pluribus nos docet SCALIGER. *In Nutritiis*, ait, *modo oſtentet, ſe multa aut recondita nota habere, ſatis*

habet. In quibus ſuum aperuit ingenium, quod laudaret in Lucano. Longe tamen & illo, & ipſo Statio, inferior. Nihil enim ad illorum acute dicta. Nimis hæc contemtim dicta, vera tamen in eo, quod ad STATII aut LUCANI virtutes poeticas non omni ex parte *Sylva* POLITIANI accedat. De principio ſaltem Carminis id moneo, tumidis & exquiſitis ſuperbire verbis, ſed humile reapſe eſſe, &, ſi ad vivum reſecetur, parum nuclei habere. Quid magis vulgare eſſe poterat, quam ex communi naturæ lege, qua gratias agere jubemur iis, qui nos alunt ac fovent, ad illud Poetices decantandæ conſilium devolvi? Suavior eſt, meo judicio, & venuſtior *Sylva* altera, *Ruſticus* inſcripta, quæ partim argumenti nobilitate, partim carminis virtutibus, apprime commendatur VINC. GRAVINÆ in libro *della Ragion poet. Lib. I. §. 39. p. 115. Ruſticus politiſſimus* dicitur OL. BORRICHIO in *Diſſert. III. de Poet. p. 103.* Et præclarum de illo judicium eſt CALLIMACHI in *Epiſtola ad* POLITIANUM, *Lib. III. Epp.* POL. *Ep. 2: Niſi jam pridem mihi prope unicus viſus eſſes, cujus carmen utile dulci commiſceat, nunc certe volentem adduxiſſet me in eam ſententiam Ruſticus tuus, ſane urbaniſſimus, doctrinaque & elegantia plenus, & qui vere ex fumo clariſſimam lucem efferat, atque ob id eo titulo indigniſſimus. Vidi, & legenti placuere multa ſcriptorum noſtri temporis; ſed Ruſticum hunc non ſatis eſt vidiſſe ſemel, juvat uſque morari, & conferre pedem: nihilque in eo non ſumme placet, niſi quod deſinit, cum tamen deſit nihil, ut tam multa nemo alter, quam tu, afferre potuerit pro materia.* Lecto hoc carmine, quam magnifice de POLITIANO ſentire cœperit HIER. DONATUS, patet ex ejus ad JO. PICUM literis, *Lib. II. Epp.* POL. *Ep. 9*, ubi verba ſunt: *Ego Politianum tibi invideo, hominem fertiliſſimi & facundiſſimi ingenii, cujus Ruſticum nuper legi: viſus eſt mihi ſplendor ætatis noſtræ, &* πᾶν ἐπ' ἀληθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔργνος. Idem rurſus *elegantiſſimum Ruſticum* vocat in ipſis ad POLITIANUM literis, *Lib. II. Ep. 11.* Nec minus comtum eſt in hanc *Sylvam Epigramma* JO. LANGII, Lembergenſis, quod legitur in fronte hujus carminis, *Lipſiæ A. 1521* forma 4 editi. Alia QUINTIANI STOÆ, GERARDI VERCELLA-

NI,

NI, & JO. RAVISII TEXTORIS, haud invenuſta in *Ruſticum* Epigrammata forte infra dabimus *Sectione II*, ubi dicendi de hoc Carmine occaſio recurret. Unum id addo, NICOLAO BERALDO in *Prælectione in Ruſticum*, præmiſſa ampliori ejus in hoc ipſum Carmen *Commentario*, ob inſignem doctrinæ copiam, quam *Sylvæ* hujus non verſus tantum, ſed verba pæne ſingula, præ ſe ferant, dignum putari laborem, qui cum multis veterum non comparetur tantum, ſed his præferatur etiam. Suo quemque judicio relinquimus; in eo certe ALDO MANUTIO, cujus exſtat ad POLITIANUM Epiſtola *Lib. VII. Epp.* POL. *Ep.* 7, aſſentimur, quod *perſpici facile poſſit* in hoc carmine, ***quantum abundet ingenio*** POLITIANUS, ***quanti homo ſit ſtudii, quanta ei bonarum literarum ſit copia.*** Nimirum non vitæ tantum ruſticæ hic commoda, ſed ipſæ etiam ruſticorum hominum prærogativæ, & ad bella inprimis firmatum robur, docta, jucunda, amabilique muſa commendantur. Qua in re diſſentit a nobis *l.c.* J. C. SCALIGER: *In Ruſtico vena par, idem* (quod in *Nutritiis*) *conſilium; ſuaviuſculus tamen ut ſit, argumentum ipſum facit.* At, de *Nutritiis* quid ſentiat, ante vidimus. Ego vero, ſi quid mihi videre licet in his rebus, tantum ab eo abſum, ut ſimiles ſibi has *Sylvas* putem, ut diverſiſſimum longe utriusque vultum, diverſiſſimum ingenium, agnoſcam. Altius illa exſurgit, concitatiusque fertur, varias ac multiplices dictiones miſcet, nihil boni elabi patitur, quod non velut intorqueat; hæc melius firmiusque ſibi conſtat, membris ſuis totoque corpore pulchrius elegantiusque cohæret, & rerum inprimis ſuaviſſimarum copia, molliorisque ubertate ingenii, lectorum animos lenius demulcet. At ſuavitatem illam, quam nec SCALIGER negat ineſſe *Ruſtico*, ingenio POLITIANI, quam argumento carminis, ideo tribuere malim, quod, ita plerumque fieri, nemo non intelligat, ut argumentum per ſe ſuaviſſimum torpere quaſi videatur, ubi nihil ei ingenii humani acceſſerit. Addo & hoc inprimis, dum non adeo implicat orationem Poeta diverſis fictionum ac ſententiarum gyris, dum intra ſuos ſe quaſi limites continet, id ipſum ſuavitatem parere. Ceterum VIRGILIO hic magis, quam ullo alio Poetarum veterum, uſus

 vide-

videtur duce, utpote cujus vel *Georgica* sufficere huic argumento poterant. Unde nec inconcinne JO. LUD. VIVES *Lib. III. de Trad. Discipl. Rusticum* POLITIANI cum *Georgicis* VIRGILII comparat, utriusque carminis lectionem juventuti enixissime commendans. Consentit cum VIVE JO. FRANC. PICUS in *Epistola ad* GIB. BARB. *Lib. III. Epp. ejus Ep. 8: Latinis versibus Virgilio minatus est in Sylva illa, cui titulus Rusticus.* Excipit hanc *Sylvam* alia, cui *Mantus* nomen, Mantuani vatis quippe laudibus dicata. Mole magis & versuum numero, quam nitore & elegantia, ceteris inferior. Justo ac temperato calore suo id obtinuit hæc *Sylva*, ut præ ceteris *Heroica* diceretur BORRICHIO *l. c.* Aliter tamen videtur acri Censori SCALIGERO *l. c.* cui tantum non omnia hujus carminis fastidiuntur, ut docent verba: *Manto sua inscriptione primum, mox etiam propositione, vehementer movit. Apparaveram enim totum animum ad illius viri laudes ab ingeniosissimo Poeta audiendas: cujus unius viri imaginem cum unius imagine Aristotelis in Musarum mearum sacrario veneror. Et merebantur tanti carminis auspicia non vulgarem attentionem. At enim vero haud ita diu nos tenuit illa spes; qua mox in ipsa statim progressione frustrati sumus. Ille enim pro laudibus texit compendium operum Virgilianorum. Ingenue mihi hujusce frustrationis atque doloris apud posteros memoria hæc literis mandanda fuit.* Sed, veniam dissentiendi nobis indulgeat vir acutissimus, rogamus. Ad compendium operum VIRGILII redire hic omnia, negamus. Quis enim non videat, illam natalium VIRGILII nobilitatem eadem gratia hic celebrari a Poeta, quam celebraverat is HOMERI natales in *Sylva Ambra*, quam multis hoc nomine laudibus extollit SCALIGER. Ridiculum vero, laudandi materiam non ex Carminibus VIRGILIANIS petere. Prædicare VIRGILIUM Poeta, non ut civem bonum, non ut patremfamilias, non ut virum probum ac honestum, sed ut Poetam, voluit. At quem unquam Poetam laudasti, cujus non simul Carmina laudaveris? Neque vero jejune hic, & nominatim saltem, sicuti in schola magistrum decebat, dinumerari ac percenseri videas carmina VIRGILII; sed, quid in unoquoque ingenii insit, quid elegan-

gantiæ, quid acuminis, quantus ubique vir, quam excellens Poeta ſit, terſa valde Muſa, pulcherrimisque coloribus, exprimitur. Quare aſſentior potius GRAVINÆ *l. c.* & Autoribus Diarii *Journ. Lit. T. IX. P. II. p. 268*, qui vivam hic VIRGILIANÆ ſuavitatis imaginem mirantur. Nec illud prætermitti debet, molle hic verſuum flumen eſſe, facilem curſum, & ſuavius ſonantes numeros; eliſionibus vocum parcius uti Poetam, parcius obſcuris ac involutis ſententiis, &, ut in ſummam omnia contrahamus, paratiores in hoc carmine Phœbi flammas habuiſſe, quam in cujuscunque generis aliis. Ipſe tamen hic ſibi diſplicuiſſe Poeta videtur, ſi legas, quæ ſcribit in *Epiſtola ad* LAURENTIUM MEDICEM, PETRI FRANCISCI filium, *Lib. X. Ep. 9: Cogis tu quidem me, Laurenti, carmen edere inconditum, inemendatum, & quod in publico ſemel pronuntiatum minus fuiſſe impudens viſum ſit. Satis profecto fuerat, vixiſſe unum diem, quod tam foret imperfectum animal, ac poſſe etiam inter inſecta illa, quæ vocantur Ephemera, connumerari. Namque ego id ad præſentem duntaxat celebritatem, quaſi Adonidos hortum, concinnaveram.* Sed non ideo ſententiam mutabimus. Novimus ſatis, cujus eſſe notæ ſoleant Autorum de ſuis laboribus judicia. Nec, dum laudant, fides illis habetur, nec dum deprimunt. Alterum arrogantiæ eſſe dicitur; modeſtiæ alterum. Nunquam certe de ingenio noſtro, qualecunque ſit, male ſentimus. Et quid dices tandem de verſu, quem legis ſub finem *Elegiæ*, huic *Sylvæ* præmiſſæ:

Me quoque nunc magni nomen celebrare Maronis,
(Si qua fides vero eſt) gaudeat ipſe Maro.

Quæ parum, ut puto, conveniunt cum iis, quæ humiliter & demiſſe ad LAURENTIUM ſcripſerat. Ultima *Sylvarum Ambra* eſt, HOMERI manibus conſecrata, de qua judicat GRAVINA *l. c.* dignum eſſe HOMERI ſpeculum, & in ea melius Poetam, quam ab ullo Scriptorum factum ſit, ſciviſſe & cognoſcere & delineare ingenium HOMERI. Sed, an & imitatus ſit HOMERUM, ut viſum eſt Autoribus Diarii *Journ. Lit. l. c.* de eo magis diſceptari poteſt. Sive enim dictionem & numeros ſpectes, nihil Latino Poetæ commercii cum Græco; ſive

ad inventionem id pertinere dicas, hæc ipſa propria eſt ingenio POLITIANI, etſi id maxime in HOMERICÆ virtutis laudibus exercuerit. Ardet hic ignis ille poeticus, quem furorem nonnulli dicunt; qui ipſe facit, ut in laudando HOMERO interdum fere fidem Poeta ſuperet. Eandem mecum ſententiam alit JAC. GADDIUS *de Script. non Eccleſ. T. I. p. 140: In Poematio, cui titulus eſt Ambra, Politianus magnam oſtentat eruditionem, nec parvum ſpiritum furoremve poeticum, cui parco immodicas laudes Homero tributas, dum recte conſidero hic Politianum œſtro Phœbi concitum Poetam, non Criticum emunctæ naris.* Magni opus ingenii *Sylva* hæc dicitur UGOLINO VERINO *Libro II Carminis de Illuſtratione urbis Florentiæ*, inſerti *Carminum Illuſtr. Poet. Ital. Tomo X. p. 345 ſeq.* Ita enim ille:

Ambra, ſui Laurentis opus, pulcherrima monſtrat,
Quale ſit ingenium, primo quam proximus hæret,
Complexus qui pæne omnes, multiſcius, artes,
Ambiguum, noſtro, Grajone, diſertior ore.

Habet id præ ceteris præcipuum hæc *Sylva*, quod ſola SCALIGERO placuerit. Is, ne omnia POLITIANI vituperare videretur, hæc tandem *l. c. de Ambra*: *Longe conſultius in Ambra* (quam in *Manto*). *Namque & poetica eſt inventio in Homeri natalibus, & laudes illius in fine multæ, ac maximæ, poſt epitomen illi ſimilem Maronianæ: ſtilus quoque paulo rotundior.* De *Sylva Manto* ante vidimus. Illud, quod rotundius in ſtilo vocat SCALIGER, mihi tumidum & elatum magis dicitur. Certe melius ſibi conſtat, ſibique ſimilior ſtilus eſt in *Sylva Manto;* quem ſi *Ambra* oſtenderet, venuſtior longe eſſet, lectuque jucundior. Nimirum id unum in carmine iſto, cui nec artem ſuam, nec doctrinam nego, male me habet, quod durius ſcripta ſit, multisque literarum eliſionibus deformata, quin & ingenio nonnullis in locis quaſi vis quædam illata videatur. Quorum etſi veniam facile concedam POLITIANO, ſi reliquas intuear virtutes, quibus carmen præſtantiſſimum effulget; ſatis tamen mirari vix poſſum, nihil hæc morari plauſum SCALIGERI potuiſſe, moroſiſſimi alioquin judicis, & in omnium ætatum Poetas difficillimi.

(*c*) Quæ

(e) Quæ *Elegiaco* carminis genere composuit Noster, pauca admodum sunt, si excipias, quæ hoc ipso, quod trium saltem aut quatuor sint Distichorum, ad Epigrammata propius accedunt. Loquor autem de iis, quæ in *Operibus* POLITIANI obvia sunt Lectoribus. Non desunt enim, quorum, cum hic frustra quærantur, aliunde petenda sit notitia. Refero huc carmen illud, quo *Fastos* NASONIS interpretatus est, uni, quod scio, memoratum GADDIO *l. c. p. 136*, cui tamen nec ipsi lectum unquam visumve fuerat, sed qui ex solo MICHAELIS VERINI testimonio compertum de eo habebat. Plura de Carmine hoc infra *Sect. II.* Ut *Elegiacis* accenserem, hæc sola me impulit causa, quod ipsi NASONIS Fasti, quos & interpretari, & exprimere elegantia, dicitur poema illud, hoc carminis genere sint conditi. Quæ etsi incerta valde sit conjectura; eo usque tamen placebit, dum veriora edocear. Pertinet huc alia quoque in *Exilium Ovidii Elegia*, brevior tamen illa, & Epigrammati similior. Quisquis legit, non hanc elegantiæ & concinnitatis laude frustrabitur. Pulcherrima hic OVIDII imago; ingeniosæ, nec vulgares, laudes; tristissima exilii descriptio; justissima in patriam Poetæ indignatio; artificiosa & auribus jucunda verborum compositio. Cumque Poetam laudaret, facili inprimis & nativo verborum versuumque flumine admirabilem; ipse id maxime operam dedit POLITIANUS, ut artem dissimularent, & sponte quasi nasci viderentur elegi. Inter illas vero, quas in *Operibus* Nostri legimus, suavissima est *Elegia* seu *Epicedion prænobile*, ut vocat GADDIUS *l. c. p. 135*, quod in præmaturum ALBIERÆ ALBITIÆ, SISMUNDO STUPHÆ desponsatæ, obitum composuit. Ista legenti SCALIGERO ita se probavit, ut eam NASONIS, quam in morte DRUSI scripsisse dicitur, *Elegiæ* anteponeret, nec quidquam, quod in ea reprehenderet, inveniret. *Elegia pro Epicedio*, inquit *l. c. valde bona est*, *ingeniosa*, *plena*, *numerosa*, *candida*, *arguta*, *efficax : plane digna tanto viro : & quam equidem scripsisse malim*, *quam quæ dicitur ab Ovidio in morte Drusi missa ad Liviam.* Nec fefellit SCALIGERUM judicium suum. Quæ enim maxima Elegiæ gratia est & venustas, ne sit ulla hic vocum perplexitas, ne dicta sint tumida aut pha-

phalerata, ne involutus fictionum cumulus, sed ut facili & suavi cantu non verba tantum, sed sententiæ ipsæ, se auribus insinuent, ea sane præcipuum huic carmini decus addit. Accedit & inventionis nobilitas, qua gratiam conciliare Nöster scivit argumento humili, & nil nisi lachrymas secum ferenti. Concinnæ sunt laudes, quibus pulcherrimum formæ decus, gratiam ac modestiam vultus, probitatem, ac purpureum pudorem, ceterasque virtutes virginales quindecim annorum puellæ persequitur. Delectavit me inprimis horribilis illa tristissimæ febris imago, cujus quo detestabilior facies est & forma, eo plus artis habet & ingenii. Quin omnis illa a febre desumta fictio poetica festiva ac politula est, & VIRGILII redolet ingenium. Ultimum vale morientis ALBIERÆ ad sponsum STUPHAM, vellem, nervosius paulo molliusque esset, & sponsæ morientis magis accommodatum ingenio. Exigua in verbis vis, parum vehemens in sententiis robur, amor frigidiusculus, nec talis plane, qualis amantis esse solet. Nihil non vulgare, nihil non languidum, nihil, quod non aliis quibusque morientibus æque conveniat. Unus forte, ne omnes displiceant, placere possit versiculus:

Est mihi dulce etiam te superante mori.

Illud præterea animadvertas in hoc Carmine, ea sæpenumero sub initium posterioris versus repeti Poetæ, quibus priorem ipse clauserat; quales sunt versus:

Inque tuo tota est vulnere nigra domus.

Nigra domus tota est &c.

Quæ figura, ut multum habet gratiæ, si rarius adhibeatur, ita dedecorat valde elegiam, si paucis in paginis sexies occurrat. Altera, quæ laudem meretur, *Elegia* est *in Violas, a Venere mea dono acceptas*, concinnus admodum ætatis puerilis lusus, cujus aliqua a nobis injecta est mentio supra *§. III. not.* (*u*). Hanc dum *venustissimam ac elegantissimam* dicit GADDIUS *de Script. non Eccles. T. II. p. 140*, dumque *suavissimæ* hæ *violæ* videntur SCALIGERO *l. c.*, non id absque carminis hujus merito accidit. Vere enim *molles* vocat has *violas* sub initium Elegiæ Poeta, si tales fuerunt, quales ipse jucundissimis elegis describit. Pictura violarum non vulgaris, non qualis aliis forte floribus conveniat, sed propria, sed nativa, sed artificiosissima.

ſiſſima. Illud inprimis gratiam habet, imaginem coloresque violarum pulcherrime accommodari Veneri illi, quæ dono dederat Poetæ violas, & iisdem, quibus floſculi, ipſam Venerem ornari laudibus. Qua in re magna latet ingenii vis, & doctrinæ artificium plane ſingulare. Elegia *ad Antonium Benivenium, Medicum*, quam ſcripſit annos nondum duodeviginti natus, epiſtolæ induta habitu, tanto concinnior ſuaviorque eſt, quanto leviore ſtudio compoſita videtur. Non in eodem tota argumento verſatur, ſed cum ANTONII laudibus fratrum HIERONYMI, dulce ſuaviterque ad tibiam cantantis, & alterius, artis herbariæ peritiſſimi, tertii denique, qui Philoſophiam æque diligenter, ac Muſicam, tractabat, præconia jungit. Pulchræ tamen inprimis & ingenioſæ ANTONII laudes ſunt. Mihi præ ceteris perplacet verſus:

Nam, quoniam Stygiam facile eſt tibi pellere mortem,
Quam facile invidiæ frangere colla potes?

Dixerat enim paulo ante Poeta, ſe, BENIVENII celebratum laudibus, non pertimeſcere atroces plebis ſordidæ calumnias. At comparationem illam, qua utitur ſub initium Elegiæ:

Ut ſonipes geminas attollit Martius aures,
Cum raucæ belli ſigna dedere tubæ;
Sic mihi languenti ſurgunt in pectore vires,
Ingenii laudas cum monumenta mei;

neſcio, an probaturi ſint omnes. Quæ enim Poetæ languentis cum equo Martio, aſpero ſemper, ſpumante, & hinniente, ſimilitudo? Incitatior longe fortiorque, ſtrepitante tympano, per venas ſanguis ſurgit equo natura generoſo & acri, quam cui piger lentusque oſſibus torpor hæret. Poſſet etiam in eo videri nimium vel amicitiæ dediſſe, vel ingenium ſecutus ſuum ANGELUS, quod ipſo Æſculapio & Chirone ſuperiorem dixerit BENIVENIUM. Miram feſtivitatem, & neſcio quid delicati ſenſus, habent *in Lalagen* elegi; quos ipſe *optimos* dicit J. C. SCALIGER in *Poetic. Lib. VI. p. 309.* In his tam ſcite gravitatem lenitate temperavit Noſter, ut vix, quod diſpliceat, invenire poſſis. Adeo, dum formoſiſſimam puellam conſpicis, ingenioſiſſimum ſimul Poetam admiraris. Digni profecto præſtantiſſimo quovis Poetarum veterum ſunt verſiculi:

Nn *Pul-*

Pulchrior esse nequis, vel, si potes, æquius est, te
Jam, Lalage, nostris parcere luminibus.
Vix te, vix talem ferimus, quodsi auxeris illam,
Fiam ego, qui nunc sum nil nisi flamma, cinis.

Vix, quem non mirum in modum hæc afficiant & demulceant, fore quemquam puto. Quam *ad Laurentium, juniorem*, Epistolæ instar pæne ex tempore scripsit, Elegia jucundam continet narrationem eorum, quibus ipse in amœnissimo Mediceæ gentis, cui Ambræ nomen, prædio, societate usus PETRI, alumni sui, fefellerat otium suum; quæ mollis est, & stilo similis OVIDIANO. Habes etiam hic concinnas LAURENTII hujus, cui destinati sunt elegi, laudes, quibus natam ad maxima quæque juvenis hujus indolem extollit Poeta. Videntur ad hoc carmen, si alia ei jungas, quibus domus Mediceæ res gestæ splendorque cohonestantur a POLITIANO, spectare verba FRANC. VINTHÆ, quæ sunt in Elegia ad JO. MARIAM PANLOTIUM, *Lib. I. Carminum* ejus, inter *Carmina quinque Hetruscorum Poetarum*, apud *Juntas* editorum, *p 34:*

Perdocte tamen Hetruscis, Rythmisque Latinis
Jam pridem hos (Mediceæ gentis) *cecinit Politianus avos;*
Atque adeo ornate, ut vates laudarit uterque
Admirans illum sedibus Elysiis.

Neque inepte hæc VINTHA. Generatim enim in POLITIANI, cujuscunque sint generis, carminibus hoc animadvertimus, ea, quibus Mediceæ gentis honor ac merita decantantur, inprimis quæ LAURENTIO, capiti gentis, inscripta sunt, sive arti id, sive pietati, quæ & ipsa ingeniosa esse solet, tribuas, acumine & suavitate reliquas fere omnes antecedere longissime.

(f) Est & *Lyricorum* exiguus admodum numerus, si ab his separes, quæ, angustioribus circumscripta terminis, ad *Epigrammata* propius accedunt. Vellem autem, plura horum exstarent, & in hoc carminis genere magis elaborasset Poeta, quam in quocunque alio. Tam enim bella hæc sunt, quæ dispersa passim leguntur, tam venusta, tam ad HORATIANAM expressa imaginem singula, ut, si, quæcunque scripsit unquam POLITIANUS carmina, hoc metri genere, hoc ingenio, scri-

ſcripſiſſet, dubium non ſit, illuſtriorem longe, quam qua vulgo inclaruit, partam ipſi carminibus ſuis gloriam dignitatemque fore. Nihil hic earum deſideres virtutum, quas proprias ſibi vindicat Poeta Lyricus, & quibus inſtructus FLACCUS ille, *ſublimi feriebat ſydera vertice.* Graves, nec ſimul tamen tumidæ, ſunt fictiones, expers fuci, ſibique conſtans, ſententiarum nervus, admirabilis ubique lepor ac venuſtas, opportunæ arguitiæ, exquiſitæ verborum velut gemmæ,numeri ſonantes ac molliuſculi. Tales virtutum poeticarum cumulos, niſi me fallit judicium, inveniſſe mihi viſus ſum in *Oda* illa *dicolo ad Alexandrum Corteſium, adoleſcentem bene literatum,* quem eo tempore veniſſe queritur Poeta viſendi ſui cauſa Florentiam,quo ipſe in Caſaſolanum peregre abierat; cujus carminis mira eſt gratia in exprimendo dolore tali,qualem ſentire poteſt,qui abſentis amici fruſtra deſiderio laborat. Ejusdem venæ eſt alia *ad Gentilem Epiſcopum Ode dicolos,*quæ, dum GENTILIS ſolatur animum, ſanguinario JULIANI MEDICÆI interitu vehementer percuſſum, non poterat ſolari fortius, quam enarratis decantatisque fratris ſuperſtitis, LAURENTII, virtutibus,cujus prudentiſſimo conſilio reſtitutum iri proſtratis rebus robur decusque ſuum,certiſſimo augurio præviderat. Quod unum cum verbis exaggeraret Noſter ad id aptiſſimis,jure dicere poterat in *Epiſtola ad* LAURENTIUM, carmini huic præmiſſa, *omnia* ſe *collegiſſe* hic, *quæ communem* omnium *dolorem, etſi minus tollere, levare procul dubio aliqua ex parte, poſſint.* Carere enim JULIANO facile poterant cives Florentini ſuperſtite LAURENTIO, cujus en auguſtam imaginem :

Laurens, quem patriæ coelicolum pater
Dudum terrifica Gorgone præſtitit;
Quem Tuſcus pariter, quem Venetus leo
Servant & draco pervigil.
Illi bellipotens excubat Hercules,
Illi fatiferis militat arcubus,
Illi mittit equos Francia Martios,
Felix Francia Regibus. &c.

Nec minus ſalis ineſt Odæ ſplendidiſſimæ *ad Innocentium VIII, Pontificem Maximum,* cui concinnandæ tanto plus ingenii & laboris

boris impendisse videtur Noster, quanto vel digniori carminibus Principi sacram esse jusserat, vel dulciori, sacra olim capessendi munera, spe alebatur. Si quid nimium hic laudis splendidæ offendas, condonabis id Poetæ, superstitionis sanctæque religionis vinculis alligato. Haud quisquam enim eorum, qui Pontifici favent, adulationi litatum judicabit a Poeta, talem dicente INNOCENTIUM,

Roma cui paret, dominusque Thybris,
Qui vicem summi gerit hic Tonantis,
Qui potest magnum reserare, & idem
Claudere cœlum. &c.

Nec autorem POLITIANUM dissimulat Ode perbrevis, sed valde elegans, *in Autumni fugam*, cum *Hymnis* binis *ad Virginem Deiparam*, qui Jambicis quaternariis sunt compositi, continentque plenas suspirii & pietatis invocationes Mariæ virginis, quales forte ante aram recitare sacerdos solet. In his si animum spectes Poetæ, damnabis cultum, Virgini potius, quam Deo, præstitum; si ingenium, omnia laudabis, & pulcherrimis celebratas versibus, quascunque in virgine castissima admirantur illius sectæ homines, virtutes agnosces. Plena etiam succi venerumque est *Ode* Sapphica *in laudem Cardinalis Mantuani*, quæ non poterit non summopere placere iis, qui nobilissimum sententiarum delectum, suavitate & gratia conditum, in lyrico carminis genere amant maxime & suspiciunt. Viderat vero POLITIANUS, ad impetrandos a Summo Pontifice honores sacros, eorum inprimis, quos sacra tegit purpura, opus esse commendatione; unde factum est, ut horum gloriam carminibus amplificaverit, & in laudes eorum omnes ingenii nervos intenderit. Hujus quidem Odæ quanta sit venustas, cognoscere vel ex versu poteris, ad imitationem illius HORATIANI, *Lib. IV. Od. IV. v. 31*, affabre feliciterque, ut puto, effícti:

Scilicet stirpem generosa succo
Poma commendant, timidumque nunquam
Vulturem fœto Jovis ater ales
Extudit ovo.

Bella

Bella certe imitatio, utpote quæ non minus Poetæ Florentini, quam prifci illius Romani, digna fit ingenio, &, a verbis HORATII longe recedens, novitatis præ fe ferre fpeciem videatur. Venuftiffimi tandem funt *in Puellam formofam* Jambici quaternarii, in quibus, quicquid molle eft ac delicatum, quicquid a pulchritudine nomen habet, undique collectum videas; ut vix legiffe me unquam tale quid recorder, ubi tantum formæ pretium ftatutum, tamque pulchris Venus coloribus depicta fit. Puellam fiftit Poeta, qualem fi ipfi fata in complexus dediffent, melior ei, quam Paridi, fors contigiffet. Totus in ea defixus hæret, nihil non venuftum, nihil non admirabile, nihil non divinum, animadvertens. Omnes hic Veneres, omnes Gratiæ, refident; tantumque cœleftis virtutis animus, quantum decoris corpus, habet. Sed, dum a capite ad calcem fpectatiffimas quasque puellæ dotes oculis perluftrat, nec ab eorum prorfus fe contemplatione abftinet Poeta, quæ fciri verecundius, quam evulgari, poffunt; neceffe fuit, rerum turpitudini verborum fubinde obfcœnitatem adhiberet, caftisque auribus, quod faftidirent, propinaret. Sordebunt, ni fallor, haud paucis verba:

Nam, quæ tibi mamillulæ
Stant floridæ, & protuberant
Sororientes primulum,
Ceu mala punica arduæ,
Quas ore toto prefferam,
Manuque contrectaveram,
Quem non amore allexerint?
Cui non afylum immiferint?
Quem non furore incenderint?

Non habebat, cur quidquam fibi ab his illecebris periculi timeret, Poeta, modo ab illarum confpectu oculos prohibuiffet. Eodem in carmine mirari me, fateor, qui factum fit, ut, cum præftantiffima quæque tam corporis, quam animi, decora fufpiceret in puella & extolleret, ipfum illud turpiffimum animi dedecus, lafciviam, laudaret. Quæ enim tam proftrati pudoris puella eft, quæ dici amet

Puella, qua lascivior
Nec vernus est passerculus,
Nec virginis blande sinu
Sciurus usque lusitans.

Desideramus hic prudentiam Poetæ,& mentis illam aciem,qua in scriptis alioqui suis nemini non admirandum se præbuit. Sed, ut hanc puellæ maculam inureret, in causa fuisse suspicor passerculum illum & sciurum, a quibus cum mutuari aliquid vellet, quod proprium ipsis esset, in lasciviam incideret, necesse fuit.

(g) *Epigrammata* POLITIANI, quorum non exiguus est numerus, alia aliis, ut solet, venustiora sunt. SCALIGERO quid sederit de illis sententiæ, hariolari non licet. In illorum enim dum mentionem incidit *Lib. VI. Poetic. p. 309, Epigrammata,* ait, *sibi quisque examinet.* Verba,nescio, an Critico satis digna, & ad instruendum Lectorem admodum idonea. Non enim quisque ea pollet doctrina, ea præditus est judicandi dexteritate, ut justum rebus singulis pretium statuere, &, quid valeant quæque, accurate definire possit. Sunt hæ Criticorum partes, ut suo nobis præeant judicio, & veram recte sentiendi viam commonstrent. Conf. BERN. MONETAM in *Notis ad* BAILL. *Jug. des Sav. T. IV. P. I. p. 55.* BAILLETUS igitur unde compertum habuerit *l. c.* nihil valere SCALIGERI judicio hæc Epigrammata, me quidem latet. Etenim, præter jam adducta, nusquam ejus de *Epigrammatibus* verba exstant; & hæc ipsa, quæ dedimus, nihil plane hujus rei docere nos possunt. At, si alios audias, plurimorum huc redire sententiam videbis, maximam *Epigrammatum* partem acumine suo elegantiaque Lectorum plausum approbationemque mereri. Ita OLAO BORRICHIO *de Poet. Diss. III. p. 103 plerumque exasciata* dicuntur *Epigrammata*, & JAC. GADDIUS *de Script. non Eccl. p. 140 complura* eorum *ingeniosa* vocat, *venusta, & elegantia.* Eidem placent præ ceteris *in Naldi Poetæ libellum Elegiarum, in Græcorum voluminum impressores, in Philippum, fratrem, pictorem, in Paulum, in Pamphilum, in Corydonem, in Laurentium Medicæum, ruri querna corona redimitum, ad Xystum, Cardinalem, in Galeotum, Principem Faventinum, & in Puellam morientem, Epigrammata.* Singulare acumen

men animadvertisse sibi visus est GUIDO PATINUS in *Epigrammate*, tumulo CAMPANI, primi nominis Itali, inscripto, ob versum, quo id clauditur, argutissimum :

Mi joca, mi risus, placuit, mihi uterque Cupido,
Si me fles, procul hinc, quæso, viator, abi.

Multum quippe id gratiæ habere & festivitatis putabat, quod arcendam Poeta dixerit plorantium & ejulantium turbam a tumulo illius, quem non nisi risus olim jocique delectaverint. Vide *l'Esprit de* GUY PATIN *p.m.32.* Sed sunt hujus generis longe plura, in quibus, quæ præcipua Epigrammatis lex est, nec ingenii robur, nec suavitatem, desideres. Defraudari hac laude nequeunt bina illa *ad Laurentium Medicæum*, alterum, quo vestibus se destitutum queritur, &, ut mittat ille, submisse rogat, alterum, quo gratias eidem pro missa veste splendida perquam concinnas persolvit. Idem lepos est in binis *ad Xystum, Cardinalem*, sibi mutue eleganter respondentibus, quorum altero nil nisi verba sibi reddita queritur pro decantatis XYSTI laudibus, altero *Poetas detractores* perstringit. Utrumque hic legere, cuilibet puto jucundum fore:

AD XYSTUM.

Verba dedi Xysto, decet hæc dare dona Poetam,
Æra decet Xystum reddere, verba refert.
Verum habet ille alios, qui dent sibi verba, fatemur,
Æra tamen qui nunc det, mihi nullus adest.

AD EUNDEM, PROPTER ALIQUOS POETAS DETRACTORES.

Credebam demens, Xystum mihi verba dedisse,
Fallebar, vates nam mihi verba dabant.
Nil queror, insanis mos est dare verba Poetis,
Di faciant, ne sis, Xyste, Poeta mihi.

Addo tertium AD EUNDEM, argumenti non dissimilis:

Dicenti te, Xyste, Deum, si dona dedisses,
Quæ petiit, jam te diceret esse Jovem.

Argutum porro est illud AD PAMPHILUM:

Mittis vina mihi, mihi, Pamphile, vina supersunt,
Vis, mage quod placeat, mittere? mitte sitim.

Dignissi-

Dignissimum LAURENTIO Principe *Votum* illud :

Det tibi Nestoreos, Laurenti, Juppiter annos,
Nestoreum quoniam pectus & ora dedit.

In Albieram complura scripsit Epigrammata; at horum ingenii humilis nonnulla ; quædam paulo concinniora ; omnium vero nitidissimum illud *ad Patrem Albieræ:*

Quid quereris, genitor? Vivit tua filia cælo,
Albiera, anne Deam progenuisse doles?

In *Bernardi Bembi, Veneti Oratoris,* laudibus, nihil habeo, quod desiderem. Suum singuli versus acumen, suas veneres, habent. Quæ *in Mabilium Novatum Insubrem,* hostem suum fere capitalem, vehementissimo animi exacerbati impetu composuit, multum salis, aut aceti potius, secum gerunt, tantoque ingeniosiora sunt, quanto concitatior tunc Poetæ sanguis fuit. Ad modestiæ tamen si leges exigas, videbis, vel irarum stimulos, vel ingenii luxurjantis copiam, longius interdum abduxisse Poetam ab humanitate illa, quæ vitia aliorum, inprimis quæ corpori inhærent, contegere potius & occultare solet, quam in lucem publicam protrahere. Nihil hic tacet eorum, quæ opprobrio cedere poterant hosti suo, &, quod parum decet hominem cum Musis versantem quotidie, cuncta fere dedecora domestica enarrat. Sed hæc ipsa uberrimam Poetæ materiam dederunt, aperte ludificandi hominem sordidum, gulosum, & plane inficetum, ingenioque fræna laxandi liberrima. Non enim tam illepide, tamque ineleganter, exprobravit hæc MABILIO, ut non acutissimum subinde Poetam, & festivum in ipsis conviciis artificem, cognoscas. Sed de litibus POLITIANI cum MABILIO acerrimis plura alio in loco. *In Theodorum Gazam* brevioris moduli Epigramma,

Cum terram hinc nosset Theodorus & aera, & undas,
Jam restant, inquit, sydera, terra vale.

nervum quendam habet, quem sentire magis possumus, quam eloqui. At quid mollius suaviusque esse potest versiculo, quo clauditur nitidissimum *in Amicam* Epigramma :

Durum, ferre sitim circumsalientibus undis,
Durius, in medio nectare ferre sitim.

Memi-

Memini, me similis suavitatis versum legere in Poetæ cujusdam Germani, quem ferax præstantissimorum Poetarum Silesia ediderat, & ab aliquo inde tempore universa miratur Germania, carminibus, mira prorsus dulcedine & venustate compositum. Tandem, si artem quæris & veterum Poetarum ingenium, legas, quæso, sed stomacho ad concoquendum parato, illud compositione magis, quam argumento, elegantissimum *in Anum libidinosam* Epigramma, quo nihil dicerem limatius elegantiusve componi posse, nisi obscœniora quædam contineret, aversanda potius, quam commendanda; quæ eo minus opportuna hic videntur, quod comites Epigrammati adjuncti sunt *Hymni* duo *ad Mariam*, pie admodum & religiose decantati. Conf. P. BAYLII *Lexic. T. III. p. 2344. not. o.* Non enim adeo deforme quidquam proferre natura potest, quo non deformior longe detestabiliorque fuerit illius anus facies, monstro, quam homini, similioris. Ita eodem tempore, quo turpissimam invenustæ vetulæ imaginem conspicis, divinam pulcherrimi Poetæ formam decusque miraris. Sint hæc, quæ nominavimus, exempli loco prolata *Epigrammata*, ut habeat Lector, ad quorum indolem & dignitatem ipse examinare possit, quæ supersunt, reliqua. Illorum enim, de quibus jam nihil commemoravimus, multa ejusdem sunt præstantiæ & suavitatis; plura ad eam accedere quam proxime videntur. Neque tamen dissimulari id potest, etsi plurima eorum, quæ venusta hic sunt, & placere lectoribus possunt, ex suo sumserit ingenio POLITIANUS, non deesse tamen, quorum gratiam ab OVIDII forte, aut HORATII, aut CLAUDIANI, aliorumve, mutuatus carminibus videatur; id quod ante nos observatum JAC. GADDIO *l. c.* Neque etiam putandum, nihil non venustum, nihil non comtum, & quo delectari possis, hic occurrere. Probe enim JAC. GADDIUS *l. c.* de *Donati Acciajoli*, seu *Azaroli*, ut vocatur POLITIANO, *Epitaphio* animadvertit, *nec inventionem, neque spiritus, neque numeros poeticos, habere, neque venustatem.* Quodsi enim id contendas cum subsequente statim *Anton. Campani Epitaphio*, vix duo hæc unius putes ejusdemque Autoris esse. Simplicissimi est ingenii, nec grano salis respersum; ut credas, refragante potius, quam non favente, Apolline compositum. Addo illud *ad Fabianum:*

Thuſcus ab Othryſio, Fabiane, Antonius Orpheo
Hoc differt, homines hic trahit, ille feras.

ſpecioſioris eſſe, quam gravioris, acuminis. Cui enim non rem majorem præſtitiſſe Orpheus videatur, cantu emolliens feras beſtias, natura feroces, & difficile compeſcendas, quam ANTONIUS, homines, manſuetiori præditos ingenio, carminibus demulcens? Illud *de Domitio & Marſilio* Epigramma magis placebit iis, qui luſus verborum, quam qui gravitatem & acumina, ſectantur. Omnis huc Epigrammatis nervus redit, non tam religioſum eſſe, *qui audiat Miſſam*, MARSILIUM, quam qui *miſſam faciat* hanc ipſam *Miſſam*, DOMITIUM. Nec illud tacendum, in *Epigrammatibus* POLITIANI talia ſubinde legi, quæ hominem verecundum, nedum ſacris aut initiatum jam, aut certe his deſtinatum, minime decebant. Quorum & paulo ante dedimus ſpecimina, & his plura paſſim Lectori nauſeam movebunt; quorum tamen, non tam quod iis adeo ſit delectatus, quam quod Poetarum veterum, MARTIALIS, CATULLI, aliorumque, hac etiam in re accommodare ſe ingenio voluerit, ſtudioſum POLITIANUM dixerim. Maximopere hæc olim offenderunt JO. LUD. VIVEM, aſſiduum ceteroqui Carminum POLITIANI laudatorem. *Politiani Muſæ*, inquit *Lib. III. de Trad. Diſcipl. p. 542, plurimum ſuavitatis habent, multo ſale, argutiis, Veneribus, conditæ, ſed ex ejus Epigrammatis exſtirpanda ſunt fœda illa, gentili, nedum Chriſtiano, indigna.*

(*b*) Vidimus jam ante eorum nonnulla, quæ paſſim in ſingulis POLITIANI Carminibus reprehenderunt eruditorum nonnulli; jam, quæ generatim in poeſi ejus alii notarint, breviter dicemus. Neque vero negligendi ſunt ii, qui nimio interdum ingenii impetu abreptum, & ſanguinis intempeſtivo calore excitatum, quo tulerat natura effrænata, huc omnem effudiſſe ſententiarum verborumque cumulum, dixerunt. Unde ſcilicet factum putarunt, ut minus artis eſſet in ejus Carminibus, nec hæc judicii tanta, quanta ingenii, copia abundent. Fuit hæc ſententia LIL. GREG. GYRALDI in *Dial. I. de Poet. ſuor. temp. p. m. 535. Calore potius*, inquit, *quam arte, verſus ſcripſiſſe videtur; judicii utique parum cum*

in

in ſeligendo, tum in caſtigando, habuiſſe viſus eſt; unde malevolis ſui calumniandi anſam dedit. Cujus veſtigia premit OL. BORRICHIUS in *Diſſ. III. p. 103*, qui, *plus*, inquit, *furoris poetici in Politiano, quam artis, plus ingenii, quam judicii, ut jam olim recte cenſuit Gyraldus.* Quin & hanc ingenii luxuriantis abundantiam in cauſa fuiſſe, ut, optima quæque veterum Poetarum verſu exprimere, ac permiſcere inter ſe, laborans, elegantiam ſermonis parum curaret, & a veteris caſtitate Latii deflecteret, judicat J. C. SCALIGER *Lib. VI. Poetic. p. 309*, ubi ita: — — *impetu excurſuque Statio propior* (POLITIANUS) *ac ſimilior. Quare neque candorem quæſivit, & amiſit Venerem*, &c. cum quo faciunt JAN. VINC. GRAVINA *Lib. I. della Rag. Poet. §. 39. p. 115*, & Autores Diarii *Journal Lit. T. IX. P. II. p. 268.* Sed, jure, an injuria, hic vapulet Poeta noſter, ex meo dicam judicio. Qui plus furoris poetici ineſſe ei dicunt, quam artis & prudentiæ, ſi de omnibus ejus carminibus, cujuscunque ſint generis & argumenti, id dictum volunt, næ parum æque de præſtantiſſimis ejus laboribus ſentiunt; ſi ad *Sylvas* ſaltem id reſtringunt, a POLITIANO ne quidem diſſentiunt, nec id ei objiciunt, in quo male a ſe actum putaret, ſi viveret, Poeta. Quod enim *Elegias, Odas, & Epigrammata*, attinet, temperatus admodum in illis calor eſt, doctrina etiam & artificium tale, quale hujus generis carminibus adhibuere veterum complures; at, quæ heroico carmine compoſuit, *Sylvas* vocare non poterat, niſi ingenii quaſi furorem quendam præ ſe ferrent, artemque & laborem omnem callide diſſimularent. Tales prorſus ſunt STATII *Sylvulæ;* in quibus ſimilem mentis concitatæ impetum, ſimilemque rerum ordinem, deprehendimus. Taceo, parum venerum & ſuavitatis ineſſe carmini, cui judicii ſtudiique plus, quam leporis & ingenii, acceſſit. Dum diligenti & continua meditatione opus excudis, dum rerum ordinem ſolicite diſponis, &, quæ poſt ſequentur, caute proſpicis, ſenſim deferveſcent ignes ingenii, idque ipſum, quod anima & nervus carminis dici meretur, exulare opere tuo ſenties. Illorum vero, qui impuræ aliquantum dictionis Poetam noſtrum arguunt, modo non amplos adeo accuſationi huic limites conſtituant, facile me partibus adjungam. Negari enim haudquaquam poteſt, factum interdum

eſſe ſive nimio ingenii æſtu, ſive ipſa metri lege id exigente, ut, quæ novitatem quandam redolebant, verba aut dictiones nonnullæ neſcienti quaſi, aut certe invito, Poetæ exciderent. Quæ dum animadvertimus, cogitare debemus, his ipſis in rebus plus indulgendum eſſe Poetæ, quam ſolutæ orationis ſcriptori. Poetis enim, quos duris metri legibus alligatos novimus, ſuum quaſi proprium ſermonem, & compoſitionis genus, eſſe, exemplo diſcimus veterum Poetarum omnium, qui, metro ſuo ſervientes, ſæpius vel in verbis, vel in dictionibus, novitatem quandam affectarunt. Quæ, etſi magis decere videatur priſcos illos Apollinis Muſarumque ſacerdotes venerabiles, quam noſtræ ætatis Poetas qualescunque, excuſari tamen quodammodo poteſt, ſi, eos ipſos, qui ad imitandum nobis ſunt propoſiti, POLITIANO præiviſſe duces hac in re, intelligas. Habet etiam, quod reprehendat in poeſi ANGELI, P. BÆLIUS in *Lexic. hiſt. T. III. p. 2344. not. o.* Huic carmina POLITIANI, ea inprimis, quibus dignitatem famamque aliorum inſectatus eſt, præ ſe ferre nimium Poetas priſci Latii imitandi ſtudium videbantur. Quod ut exemplo confirmaret, profert, quæ *in Mabilium* compoſitæ ſunt, Satyras; in quibus idem venenum, eandem tam cavillandi & conviciandi, quam voces obſcœnas verſibus immiſcendi, libidinem, animadverti putabat, quam in CATULLI & MARTIALIS, petulantiſſimorum Poetarum, carminibus prudentiores merito faſtidiant. Profert præterea illud *in Anum libidinoſam* Epigramma, in quo nihil fere inveniſſe ſe ajebat, quod non ante legerit in binis *Odis* HORATII, altera (*Epod. VIII*) *in Anum libidinoſam*, altera (*Epod. XII*) *in Anum fœdam & fœtidam.* De obſcœnis igitur, quæ ſupra jam tetigi, fateor me prorſus idem ſentire cum BÆLIO. Neque enim alia de cauſa his verborum ſordibus carmina ſua infeciſſe POLITIANUM ſuſpicor, quam ut totum ſe ad MARTIALIS, aliorumque hujus notæ Poetarum, ingenium componeret; neque hoc nomine laudandum POLITIANUM judico. Alia omnia horum Poetarum, vellem, imitatus eſſet Poeta Italus; modo abſtinuiſſet ab iis, quæ adverſa ſunt honeſtati, mores corrumpunt, carmini parum gratiæ conciliant, nec ullum argutiis

tiis

tiis locum relinquunt. In cavillando autem & conviciando ſuum potius, quam antiqui alicujus Poetæ, ingenium ſecutus videtur, quippe hic novum aliquid atque ſuum habens, vehementiorque Poetis omnibus, quos artis hujus non omnino fuiſſe ignaros novimus. Ingenioſa maxime ira eſt, non ficta vel ſimulata, qualis plerumque Poetarum eſt, ſed fervida, & funeſtam hoſtis perniciem meditans, qualem in MABILIUM POLITIANUS conceperat. Neque adeo habebat Noſter, cur aliunde arceſſeret, quæ ſponte ipſi ſuggerebat animus, turgidus irarum flammis, ac velut in furorem actus. Similiter nec vetulam illam invenuſtam & inelegantem, cujus imaginem POLITIANUS dedit, eandem eſſe putarim, cujus faciem olim HORATIUS perhorruit. Utraque inficeta ſatis, & deformis, utraque aſpectu horrida & terribilis; ipſa tamen deformitate, ipſis lineamentis, ambo valde inter ſe diſſimiles. Altera cœca magis, altera magis clauda; altera voracior, clamoſior altera; altera oris fœtoribus, altera narium profluvio, deteſtabilior. Forte ſorores, aut, ſi mavis, gemellas, dixeris par illud fœminarum egregium. Intuere, quæſo, quisquis rugas & oſſa amas, utriusque vetulæ imaginem, deformem apprime illam HORATII, deformiorem profecto iſtam POLITIANI, dices. Adeo ſemper deprehendes, in quo differat a Poeta antiquo Poeta recentior, tamque dextre efſictum dices idolum illud exſangue & enervum, ut nec ipſa quidquam ei deformitatis addere natura auſit. Ceterum, in ipſis numeris quid reprehenderint paſſim eruditi, paulo poſt videbimus.

(i) Parum ſuavitatis ei ineſſe carmini exiſtimo, quod vel rudi plane craſſaque Minerva, & omni ſine acumine, compoſitum, vel, ſi quid acuminis redolet, illud a rebus ſordidis ac invenuſtis deſumtum habet. Non enim ruſticis & paganis ſcribuntur carmina, ſed hominibus urbanis, politis, & quibus aures molles ſunt ac delicatæ. POLITIANUS, etſi in plurimis, quæ ſcripſit, carminibus id maxime cavit, ne quid inelegans & ſordidum Lectorum animos offenderet, in *Epigrammatis* tamen non adeo temperare ſibi potuit a petulantia ingenii, ut non inſperſerit interdum, quæ absque ſtomachi faſtidio legere vix poſſis. De obſcœnis jam dixi.

dixi. Aliud fœditatis genus eſt, non niſi ſolenne iis, quibus de duro luto pectora Proteus finxit, ad popinas ganeasque ablegandum. Neque vero ab hoc ipſo abſtinuit Poeta Florentinus. Paucis, ut puto, ad palatum erit illud *in Mabilium, minitantem, novum ſe fulgur verosque tonitrus miſſurum*, Epigramma, etſi ſordidiora cogitare Lectorem jubeat, quam exprimat:

Quod fulgur mihi te novum, Mabili,
Miſſurum, & tonitrus, minere, veros,
Nil eſt, novimus, hos neque eſſe fictos,
Nam veros tuus eſſe odor probavit.

Habeat ſibi Poeta odorem iſtum, vix noſtris accommodatum naribus. Addo huic aliud *ad Ponticum*, ineptum plane, inficetum, fœtidum, acuminis expers, & in quo nihil minus, quam POLITIANI cognoſcas ingenium. Molle ejus principium; at, quæ ſub finem leguntur, audite, quam invenuſta ſint:

Mitte leves numeros, calamo nec parce jocoſo,
Mitte tuæ teſtes carmina nequitiæ.
Si facies, caro fies mihi carior auro,
Et nitido Phœbi ſydere fulgidior.
At, ſi non facies, vili mihi vilior alga,
Atque aſini fies ſtercore ſordidior.

Quaſi vero, dum ſordidum dicit PONTICUM Poeta, non ipſe PONTICO longe ſit ſordidior. Relinquenda erant aſinis ſua ſtercora, non in lucem protrahenda, non his bonæ chartæ inquinandæ. Immaturam hæc, & judicii viribus nondum adeo confirmatam, ætatem redolent. Vix enim annos tunc, cum hæc ſcriberet, natum fuiſſe decem & octo ANGELUM, docet Epigrammatis inſcriptio. Sit igitur ætatis hæc culpa; nec ideo non dilectus nobis ſit ANGELUS noſter, etſi interdum humani aliquid paſſus, & juvenili petulantia in transverſum abreptus. Quis unquam adeo ſine labe omni & macula prodiit, qui non aliqua in re juſtam hominum perſpicaciorum reprehenſionem incurrerit? Prætermiſſis his & neglectis, quæ jam digito notavimus, nemini non jucundam partim, partim fructuoſam, fore horum Carminum lectionem arbitramur.

(*k*) Nu-

(k) Numerorum atque ſyllabarum diligens in carmine cura, etſi neutiquam ad internas poetices virtutes, ad illud nempe, quod auguſtum vel ſuave in ea eſt, referri poſſit, ideo tamen recentioris ætatis Poetis maxime incumbit, quod antiquis illis, unde ipſa Poetices inſtituta ad nos venerunt, hiſce ſe alligare legibus, certumque ſingulis verborum ſyllabis addere pondus, placuit. Unde, quisquis his ſe legibus exſolvere auſit, non poterit non temeritatis, quin & inſcitiæ, ſuſpicionem incurrere. Habes igitur, cur vitio id vertas POLITIANO, ſicubi ſe metri negligentiorem geſſiſſe, nec numerorum habuiſſe rationem, intelligatur. Animadvertit id quidem SCALIGER loco ſæpius citato, ſed nec verba, nec numeros, indicavit, ubi POLITIANI maxime induſtriam deſideraverit. Quæ ipſi olim per literas amice exprobravit BAPT. GUARINUS, reprehendi a nobis non poſſunt, partim quod eorum nonnulla intempeſtive notaverat GUARINUS, partim quod ipſe poſtea POLITIANUS in Latina Elegiæ CALLIMACHICÆ *in lavacra Palladis* interpretatione, quæ legitur in *Miſcellaneis*, menda illa, quæ jure notaverat GUARINUS, in exemplaribus *Miſcellaneorum* recens editis emendari curavit, unde factum eſt, ut, quæcunque jam exſtant editiones *Miſcellaneorum*, limatiſſimam emendatiſſimamque Elegiam habeant. Vellem, ſuppeterent mihi ipſæ GUARINI ad JO. PICUM literæ, ubi ſedes eſt eorum, quæ in Carmine POLITIANI virum eruditum offenderant. Nec enim dedit his locum POLITIANUS in ſuarum *Epiſtolarum* volumine; ſed habes hic ſaltem illas POLITIANI ad GUARINUM, *Lib. I. Ep. 20*, ubi defendere laborat Noſter, quæ ille ad PICUM, communem utriusque amicum, ſcripſerat. Ex quibus diſcimus, minus probatum a GUARINO, quod *imolare* & *liquentibus* prima brevi, quod *Orichalcus* ſecunda brevi, quod *matutinus* prioribus correptis ſyllabis, enuntiaverit. Defendit ſe quidem POLITIANUS, non aliter tamen ex parte, ac ſolent ii, qui, malæ cauſæ conſcii, errorem ſuum profiteri, turpe minusque glorioſum exiſtimant. Nam, quod ad vocem *matutinus* & *imolare*, vix grata cuiquam foret illa in menſura verborum affectata novitas, cujus ſe ſtudioſum dicit: *Cum mihi de Græco pæne ad verbum forent anti-*

antiquissima interpretanda carmina, fateor, affectavi equidem, ut in verbis obsoletam vetustatem, sic in mensura ipsa & numero, gratam quandam, ut speravi, novitatem. Solemus hujusmodi novitatibus parum pretii statuere; nec licet nobis poesin laxioribus circumscribere terminis, quam quibus circumscripsere veteres. Quid tandem artificii remanere putas interpretationi carminis Græci metricæ, si liceat pro arbitrio, dum te interpretandi difficultas urget, quamlibet verbis quibuslibet mensuram addere. Taceo, ne prudentis quidem esse, quidquam in his rebus novare; cum numerorum potius ignorantiæ, quam novitatis consilio, plerumque id tribuere Lectores soleant. Adeo parum verosimile videtur, id studio potius a Poeta, quam negligentiæ culpa, factum. In *orichalco* culpam fatetur POLITIANUS, si recte interpretor verba Epistolæ. At in *liquentibus* patrocinantem sibi habuit autoritatem VIRGILII, cujus hæc sunt notissima:

Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,

item: *Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem,*

etsi apud eundem Poetam *liquentia mella,* & *liquentia flumina,* productis syllabis prioribus, legantur. Unde nec deleri hoc ipsum passus est POLITIANUS, etsi facillimus in ceteris, in quorum locum, ne obtrectatoribus calumniandi occasionem præberet, postea emendatiora substituit. Quæ fuerint illa metri vitia, quæ Nostro objicit MERULA in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. XI. Epp.* POL. *Ep. 5*, cum nominata non sint MERULÆ, vix mihi suspicari liceat. Meminit is horum obiter saltem, quamvis & sic invidiose satis: *Notavere alii syllabas in metris vitiose positas, alii Solœcismos tetigere. Ego hæc & talia in Politiano nec exigi, nec culpari, debere duxi.* Quæquæ tamen ista fuerint, POLITIANO in *Epist. seq. ad* MERULAM iis accensentur, quæ *in fronte ipsa statim,* (nescio, an *Miscellaneorum*, an *Carminum* quorundam,) *sicut alia errata librariorum, collegerat.* Horum enim non a se, sed a semidoctis illis, reddendam esse rationem, ajebat, qui librorum excusoribus operam navare soleant, tam parum sæpe in legendis aliorum scriptis versati, *ut aut inducta pro receptis supponant, aut ipsi ex tempore ad suum commodum falsa quæpiam comminiscantur; præsertim si confuse, ac perturbate, scripta sint exem-*

exemplaria. Addit, haud raro contingere, ut ne revisa quidem aut relecta prelum subire patiatur scripta sua; quin & fieri interdum, ut nec librariorum animadvertere statim menda possit. De his nullam POLITIANO litem movebimus. Satisne hæc ad excusandum valeant, de eo MERULA viderit. Forte, quæ is annotaverat, ex parte conveniunt cum iis, quæ mihi ipsi, singula Itali mei carmina percurrenti, visa sunt autoritatis esse perquam dubiæ, & vitio quodam numerorum laborare. In *Sylvis* nihil obvenisse mihi recordor, quod non putem tolerari posse. Etsi enim non desint, quæ licentius videantur posita, hæc ipsa tamen, cum sint mutuo sumta ab antiquioribus Poetis, condonanda Nostro, certe non exprobranda, putem. Alia nobis, non ita forsan excusanda, suppeditavit reliquorum carminum lectio. In Epigrammate quodam *in Mabilium*, quo syllabas curare eo circumspectius debebat, quo promtiorem ad risus & convicia hostem noverat, inconcinna sunt:

Quam rodunt tineæ, pulexque *saltans.*

Quod ne per negligentiam scriptum putes, en iterum in alio *in Mabilium*:

Quo tutas pulices *habent latebras.*

Fefellit Poetam, ut videtur, *pulici* similis & sono & significatu vox *culex*, cujus primam corripi, Poetarum passim exempla docent. Fefellit & vetustum illud Poetæ incerti carmen *in pulicem*, quod *Tomo I Carminum* OVIDII *p. 385* adjecit GREGORIUS BERSMANUS; cujus Autor, præter veterum Poetarum usum, brevem ubique facit priorem vocis *pulex* syllabam. Eandem *in Mabilium* Satyram dedecet versus ille:

Condas te in putidum *licet lupanar.*

Et parum gratiæ habent, quæ sunt in Elegia *de Alcone & serpente*:

Salvus erat. Stupuit morte direpta *salus.*

Nec felicioris compositionis illa sunt in *Oda ad Innocentium, Pontificem Maximum*:

Sponte sublatos verecunda *fasces*,

quæ notata etiam sunt G. J. VOSSIO in *Aristarcho, sive de Arte Grammat. Lib. II. Cap. 42. p. 333.* Idem mihi videtur de versu Carminis *ad Cardinalem Mantuanum*:

Conscius sibi *Phaethontis Indus.*

Addit his VOSSIUS in *Aristarch. Lib. II. Cap. 23. p. 260*, minus

accurate vocum *patrimus* & *matrimus* secundam corripi POLITIANO, ob notum satis CATULLI versum:

Qualecunque quod o patrima *virgo.*

Nec tamen ea res dubio caret, cum sint omnino, qui pro *patrima* CATULLI, fide Codicum, legendum putent *patrona*, &, deficiente prorsus Poetarum autoritate, non adeo ineptum sit, idem addi pondus vocis *patrimus* syllabis, quod similium vocum, *infimus*, *intimus*, aliarumque, syllabis additum ab antiquis constat. Monet etiam VOSSIUS *ibid. Lib. II. Cap. 42. p. 333*, minus recte factum a POLITIANO, quod primam nominis *Michael* corripuerit in *Epigrammate in Michaelem Verinum*, ubi ita:

Verinus Michael *florentibus occidit annis;*

sed secutus in eo est Noster autoritatem *Drepanii*, Poetæ sat vetusti, cujus exstat versus:

Hunc etiam Michael aulæ cœlestis alumnus, &c.

Ceterum de figuris, ut vocant, poeticis, quarum nonnullæ ornentne magis poesin, an magis dedecorent, nondum adeo confecta res est, aliorum esto judicium. Mihi quidem cautius prudentiusque agere videntur, qui ab his abstinendum sibi, quam qui ornatus causa adhibendas, putant. Nam, quæ ipsis poetices legibus adversantur maxime, ea figurate & eleganter dici in carmine, nunquam persuadere mihi potui. Quod enim quidam VIRGILIUM, similesque huic Poetas alios, ajunt iisdem usos; id non tam rei elegantiam, quam summorum Poetarum in adhibendis illis licentiam, ostendit. Talis est *Hiatus metricus*, cujus exemplum habes in *Elegia* POLITIANI *in Violas*:

Illi, unde in me spicula torquet amor.

Talis porro est *Diastole*, qua syllaba brevis producitur, POLITIANO sæpius, quam par erat, usurpata, ut in *Epigrammate ad Laurentium Medicæum*, *pro Sacerdotio accepto*:

Hic me veste trahit, *hinc basior, inde salutor,*

& in *Nutriciis*:

Demoque *Phygoque*, *& veri gnara Phaennis*,

& similem in modum in *Ambra*:

Euroque, *Boreæque & vultu temperat Austros;*

quem

quem versum nec probare potuit JAC. GADDIUS *de Script. non Eccles. T. II. p. 140*, qui, *poematio brevi non licere*, contendit, *quæ licent magno & regio Poemati Vati Mantuani*, qui particulam *que* producat ante consonantem in *Ecl. IV, 51, & Georg. IV, 222:*

Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum,

cujus *prudentissimi Poetæ minus assecutus sit judicium vel artem* POLITIANUS. Affectavit autem hanc licentiam in Pentametris inprimis Noster, ut in *Epigrammate in Simonettam*:

Mortali possit *a Superis tribui;*

quod tunc certe vitiosum est ac vituperabile, cum in carmine non adeo longo frequentius occurrit, ut in *Elegia in Albieræ obitum*:

Ah miseri somnus *& levis umbra sumus,*

item: *Includit* tumulus, *& breve carmen habet,*

præ ceteris autem maxime in *Elegia contra Mabilium*:

Quicquid habes, quicquid *aut geris, aut loqueris.*
Quando expedivit *inferis Hexametro.*
Uno longus erit *hic quoque versiculo.*
De te certamen *est gladio, & crucibus.*

Plura non accumulo. Namque satis hæc documento esse possunt, ipsi POLITIANO, Poetæ alioqui præstantissimo, ea interdum excidisse, quæ sane in aliorum carminibus ipse vel damnasset plane, vel in venustis certe & imitandis non habuisset. Commemoranda hæc fuerunt, ne, qui paulo ante laudantem me vidit Carmina POLITIANI, is plus dedisse me amori tanti viri, quam veritati, dicat. Id tamen a me impetrare non possum, ut cum GADDIO *l. c.* ad omnes me minutias dimittam, nec id ipsum ferendum putem, quod casum vocis pluralem singulari interdum vel collectivo nomini junxerit, e. g. *concilium sequitur, ludunt Nereidum chorus*; cujus compositionis non raro apud veteres Poetas æque, ac soluti sermonis Scriptores, exempla occurrunt. Notandum tamen, id nomini collectivo, tali nempe, quod de pluribus personis dicitur, magis convenire, quam proprio, quod certæ saltem personæ tribuitur. Unde non æque placet versus POLITIANI in *Ambra*, itidem notatus GADDIO:

Divinosque ortus Clio dictate *canenti*,
etsi satis scio, eadem dicendi formula usum VIRGILIUM, cujus alia omnia, quam similes, metri causa adhibitas, dictiones, imitari malim.

§. 14.

Jam, ubi elegantioribus literis, iisque studiis, quibus molle ab humanitate nomen veteres dedere, ita excultum POLITIANUM, ut vix ante eum quemquam, vidimus, quo studio nobiliores illas, vereque sublimes, artes ac scientias complexus sit, quantumque ad illarum incrementa attulerit, superest, ut, in amplissimo hoc laudum POLITIANI argumento versantes, strictim diligenterque exponamus. Et, ut a Philosophia, omnium regina doctrinarum, initium dicendi faciamus, in hanc etsi non ita curam industriamque suam omnem convertit, ut Philosophorum ætatis suæ dici princeps meruerit; (*a*) nec fastidivit tamen prorsus hæc studia, sed, ab ineunte ætate Platonis atque Aristotelis innutritus præceptis, (*b*) maturioribus annis, Joannis Pici inprimis exemplo incitatus, (*c*) tanto ardore in præstantissimo hoc literarum genere elaboravit, ut & veterum Philosophorum libros juventuti publice prælegerit; (*d*) & scriptis divinam hanc scientiam illustraverit prorsus doctissimis. (*e*)

(*a*) Etsi

(a) Etſi magna fuerat doctorum hominum, Philoſophiæ bene cupientium, in POLITIANO ſpes repoſita, nec unus forte NIC. LEONICENUS, ita olim *fore*, ominatus eſt, *ut Philoſophia univerſa, quæ jam pridem apud barbaros barbara facta fuerat,* ANGELI POLITIANI *opera latine loqui inciperet*, quæ hujus ſunt verba in *Epiſtola ad* POLITIANUM, *Lib. II. Epp.* POL. *Ep. 3*; nunquam tamen in animo fuit POLITIANO, in illis barbarorum ineptiis bonas horas conſumere, nec ad eam unquam Philoſophiæ laudem adſpiravit, quam conſecutos ætate illa MARSILIUM FICINUM & JO. PICUM conſtat. Quin lubens his ipſis palmam conceſſit, nec, quantum politiora ſtudia mollesque cantiunculas, tantum moroſas de *Ente* & *Uno* diſputationes amavit. Ipſe PICUM *Philoſophum*, ſe *Philoſophaſtrum*, in *Epiſtola ad* PICUM, *Lib. XI. Ep. 6*, & in *Præfatione Miſcellaneorum Philoſophiæ ſe candidatum*, dicit. Cumque adverſus lamias illas, quæ temere ipſi inſultaverant de Philoſophiæ profeſſione, acerrimum certamen inſtruit in *Prælectione*, quam *Lamiam* inſcripſit, ſerio, Philoſophum ſe eſſe, negat. Qua in re ut modeſtiæ multum, ita nec nihil veritati, dedit POLITIANUS. Non deſunt in ſcriptis ejus, quæ ita comparata videantur, ut, a ſubtili argumentandi ratione alieniorem, &, ubi de rebus philoſophicis dicendum fuit, valde jejunum, fuiſſe ANGELUM, oſtendant. Lege, ſi placet, quæ *Cap. I. Miſcellaneorum* pro cauſa CICERONIS profert, ubi, cum nemo non nervos argumentorum philoſophicos expectet, & probare nobis, ſi vellet, ſui POLITIANUS acumen ingenii poſſet, hebetem prorſus, pugnantemque meris autoritatibus, ignoto Philoſophis telo, cernimus. Quod vero ipſe aliquando interpretatus eſt, ſive e cathedra, ſive in ſcriptis, veteres Philoſophos, id Grammatici magis, quam Philoſophi, ei gloriam parit. Duplex interpretandi Autores quoscunque genus eſt. In verbis alterum, alterum in ipſis rerum argumentis, occupatur. Illud Grammaticorum eſt, hoc eorum, qui eandem Scriptoris, quem interpretantur, artem profitentur. POLITIANUS, ut magno animo ad explanandos omnium doctrinarum Scriptores acceſſit, nec id ei negotium male ceſſit, etſi de doctrinis ipſis parum laboranti, ita nec Philoſophorum veterum ſacrariis abſtinuit, horum non tam

præceptis lucem fœnerandam, aut explicandas philoſophicas doctrinas, ſed dictionis ac verborum vim inveſtigandam, ratus, idque agens, ut Autorum partim mentem illuſtraret, partim Græcæ & Latinæ linguæ pomœria amplificaret. Nec ita cum injuria POLITIANI judicamus, quibus ob oculos verſantur ipſius verba in *Epiſt. ad* BARTHOLOMÆUM SCALAM, *Lib. XII. Epp.* POL. *Ep. 20*: *Nec tamen pro Philoſopho me gero, quamvis Ariſtotelis publice libros enarrem*; & alia ejusdem in *Prælectione*, quam inſcripſit *Lamiam*: *Ego me Ariſtotelis profiteor interpretem, quam idoneum, non attinet dicere; ſed certe interpretem profiteor, Philoſophum non profiteor. — — Grammaticorum enim ſunt hæ partes, ut omne Scriptorum genus, Poetas, Hiſtoricos, Oratores, Philoſophos, Medicos, Jureconſultos, excutiant atque enarrent. — — Non Philoſophi nomen occupo, ut caducum, non arrogo, ut alienum, propterea quod Philoſophos enarro.* Sed fore multos prævideo, qui nollent adeo ſejunctum a Philoſophiæ cognitione ſtudium Grammatices, utpote quam recte quidam judicant nobiliſſimarum artium, Philoſophiæ inprimis, præſidiis deſtitutam eſſe non debere. Nec forſan ab his ipſis, ut erat iſtarum rerum non ignarus, diſſenſit POLITIANUS; inprimis cum certo conſtet, non eum adeo in arte illa omnium præſtantiſſima hoſpitem, & Philoſophorum ætatis ſuæ, ſi non principem, nec tamen ultimum, fuiſſe. Et quid dicemus de POLITIANO, eodem in loco, quo Grammatici nomen prætulerat omnibus aliis, Philoſophiæ laudem amplectente potius, quam averſante. Ita enim ibidem: *Ita vobiſcum paciſcar: Si nullus in noſtris aut ſcriptis aut ſermonibus odor eſt Philoſophiæ, nemo audiſſe me Philoſophos, aut eorum attigiſſe libros, arbitretur: ſin plurima ſunt in eis, quæ ſectam redoleant aliquam, tunc me, ſi non peperiſſe ipſum talia, ſaltem didiciſſe credite a doctoribus.*

(*b*) Nominavi ſupra *§. III. not.* (*g*) & (*h*) POLITIANI præceptores MARSILIUM FICINUM & JOANNEM ARGYROPYLUM, quorum alterum PLATONIS, alterum ARISTOTELIS, doctrinas prælegentem publice audivit quidem, ſed animo alia omnia potius, quam Philoſophiam, tunc am-

amplectente. Ea de re copiose diximus illo in loco, quem allegavimus; addidimusque ipsius testimonium POLITIANI, unde, quam parum ex horum scholis profecerit, quam aliena a tricis philosophicis fuerit adolescentia POLITIANI, haud obscure, quod puto, intelligitur.

(c) Si quid præstitit unquam in philosophicis doctrinis POLITIANUS, tribuendum id adultiori ætati, ubi cum dedisceret sensim juvenilem levitatem, & ad gravitatem componeret ingenium suum, ad Philosophiæ studia eam convertere curam cœpit, ut, si longiorem ei vitam bona fata indulsissent, minime sit dubitandum, quin aliorum, quos ætas illa habuit, Philosophorum æquaturus gloriam fuisset. Tantum enim abest, ut animo tunc fuerit a Philosophia abhorrente, ut, ab ea peti debere omnem vitæ morumque regulam, persuasissimum sibi habuerit. Vix, nisi ab homine in Philosophiæ sacris continuo versante, illa expectes: *Nisi Philosophiam ipsam, totius vitæ ducem, & virtutis, ut ille inquit, indagatricem, atque expultricem vitiorum, assequamur, quæ immortalis Dei munere e cœlo in terras ad regendum gubernandumque hominem demissa est, nunquam profecto nobis vel pura in luce refulgere, pretiosam illam margaritam nostro (ut ajunt) marte eruere, vel ab humanæ hujus vitæ illecebris, quæ nos, Circæi poculi instar, in feras bestiasque convertunt, ullo pacto evadere, licebit.* Profert hæc in *Epistola ad* LAURENTIUM MEDICÆUM, versioni *Dialogi Platonici* præmissa. Et elegantissima illa *Prælectio*, quam *Lamiam* inscripsit, maximam partem enixissimam Philosophiæ commendationem complectitur. Adhæc, iis in rebus, quæ sana ratione duce cognosci possunt, quam remotus a judiciis vulgi, hoc est, quam studiosus Philosophiæ, fuerit, re ipsa testatus est eo tempore, quo Astrologis, nequissimo hominum generi, ex astrorum cursu secunda vel adversa omnia prænuntiantibus, grave bellum indixit, horumque inutilem sapientiam castigavit. Qua in arena tam fortiter se gessit, ut *herculea virtute præditus*, quin *Hercules* ipse, dictus sit MARSIL. FICINO in *Epist. ad* POLITIANUM, quæ legitur *Lib. XII. Epp.* FICINI, unde pauca huc transferemus: *Contra multos Astrologos, qui more gigantum*

tri-

eripere cœlum Jovi tam frustra, quam impie, moliuntur, merito & Picus, alumnus Palladis, & tu miles Herculeus, sæpe feliciterque certatis. — — Tu enim semper hac in causa (ut ubique soles) Herculem præstitisti. Soles profecto jam diu hæc Astrologorum prodigia, ut alia monstra, passim acriter insequi, ut non in terris Solem, sed etiam in cœlo monstra, fortissimus Hercules expugnaveris. Cœperat enim, ut ALDUS MANUTIUS testatur in *Epistola ad* MARINUM SANNUTUM, *Operibus* POLITIANI præmissa, *feliciter & miro successu a Barbaris Philosophiam asserere;* sed bonos conatus mors præmatura intercepit. Regnabant illa ætate in scholis Italorum antiquissima nomina, PLATO & ARISTOTELES, quorum qui præcepta ad unguem recitare noverat, is jure suo Philosophiæ sibi principatum vindicabat. Novas veritates excogitare, aut crimini proximum putabatur, aut supra humani vires ingenii positum. POLITIANO igitur, modo PLATONIS ARISTOTELISve partibus addictum se præberet, ad famam id satis erat. Videtur autem utrique operam dedisse, utriusque doctrinam maximi fecisse. Et PLATONIS quidem memoriam quanta prosecutus sit veneratione, non solum ex eo quodammodo colligitur, quod *Dialogum*, quem ille *Charmidem* inscripsit, latine reddidit, in eorum, ni fallor, commodum, quos longius a sanctissimarum doctrinarum usu arcebat sermonis Græci imperitia, sed vel maxime patet ex insolitis illis laudibus, quibus *Musam Platonicam* passim ad cœlum extollit. Quid enim gravius magnificentiusque dici de illo Philosophorum veterum principe poterat, quam *Philosophorum omnium sine controversia parentem, ac Deum, totius sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum,* porro *Philosophum divinum, animi virtutisque magistrum, cœlestem* ejus *Musam, sacrosanctum nomen,* esse; quibus præconiis cumulatum PLATONEM vel una POLITIANI ad LAURENTIUM MEDICÆUM Epistola exhibet, versioni *Dialogi* PLATONICI præmissa. Commendavit præterea juventuti Philosophiæ PLATONICÆ arcana, ubicunque se ipsi, de parte aliqua Philosophiæ dicenti, occasio subministraret. In ARISTOTELIS vero lectione quam assidue versatus sit, nemini obscurum esse poterit, qui meminerit, præcipuos,

qui

qui ad Philoſophiam ſpectant, hujus Philoſophi libros, ſive publice, ſive privatim, juventuti Florentinæ a POLITIANO prælectos, ut copioſe dixi ſupra *§. IV. not. (m).* Præterea emendandis vetuſtioribus ARISTOTELIS Codicibus operam impendit; & exſtabat olim Florentiæ, neſcio, an nunc etiam exſtet, in Bibliotheca Medicæa ARISTOTELICUS *de arte poetica* libellus, quem integrum POLITIANUS ex Codice vetuſtiore transſcripſerat, poliveratque manu critica. Ejus mentionem facit FRANC. ROBORTELLUS in *Explicationibus in librum Ariſtotelis de Arte poetica p. m. 262.* Et ipſa *Dialectica* POLITIANI tota Peripateticorum ſcholam redolet, atque vulgarem ARISTOTELIS de partibus orationis & argumentandi ratione doctrinam velut in nucleo exhibet. Illud vero laude in POLITIANO digniſſimum, quod, Philoſophiæ, ſive PLATONICÆ, ſive Peripateticæ, operam daturus, hanc ex ipſis magis fontibus, veterum nempe Philoſophorum libris, quam ex putidis Commentatorum rivulis, unde certiſſima ſanæ Philoſophiæ pernicies imminebat, hauriendam duxit. Itaque ſuum unice ingenium, non præcepta magiſtri cujusdam, ſecutus, inſtructus præterea Græci & Latini ſermonis præſidiis, acceſſit ad lectionem eorum Autorum, qui ſcriptis comprehendere nobiliſſimam illam rerum divinarum humanarumque ſcientiam primi conati ſunt. Cujus lectionis hunc fructum tulit, ut & ſalutares illorum doctrinas facili memoria complecteretur, &, ſicubi ineptias Commentatorum animadverteret, hos meliora docere, & inveteratis ſordibus purgare illam veterum Philoſophiam, poſſet. Qua ratione & de antiquorum ſapientia præclare meritus eſt, & ſibi ipſi optime conſuluit. Juvat, ipſius POLITIANI, nihil horum diſſimulantis, verba audire: *Doctores*, inquit in *Prælectione in Dialecticam*, *habui numero plurimos*, *doctrina eminentiſſimos*, *autoritate celeberrimos.* — — *Ego*, *ſi ex me quæratis*, *qui mihi præceptores in Peripateticorum fuerint ſcholis*, *ſtrues vobis monſtrare librarias potero*, *ubi Theophraſtos*, *Alexandros*, *Themiſtios*, *Hammonios*, *Simplicios*, *Philopones*, *aliosque præterea ex Ariſtotelis familia*, *numerabitis*: *quorum nunc in locum (ſi Diis placet) Burleus*, *Erueus*, *Occan*, *Tiſperus*, *Antisberus*, *Strodusque*, *ſuccedunt. Et quidem ego adoleſcens doctoribus quibusdam, nec iis quidem obſcuris*, *Phi-*

losophiæ Dialecticæque operam dabam, quorum alii, Græcarum nostrarumque juxta ignari literarum, ita omnem Aristotelis librorum puritatem dira quadam morositatis illuvie fœdabant, ut risum mihi aliquando, interdum etiam stomachum, moverent. Pauci rursus, qui Græca tenebant, quanquam nova quædam, nonnullis inaudita, admirabiliaque, proferre videbantur, nihil tamen omnino afferebant, quod non ego aliquanto antea deprehendissem in iis ipsis Commentariis, quorum mihi jam tum copia fuit, hujus beneficio Laurentii Medicis, cujus totum muneris hoc est, quod scio, quod profiteor. Quocirca, cum ne ipsi quidem quidquam, nisi (quod dicitur) ex Commentario, saperent, libenter ego quoque ad illos adjunxi me duces, quorum trita vestigiis ad usque lares Philosophiæ semita patebat. Sed, ut in his exemplum, quod imitarentur, posteris reliquit POLITIANUS, ita ejus laudis pars maxima pertinere ad JO. PICUM videtur, POLITIANO conjunctissimum, cujus exemplum partim, partim adhortationes continuæ, velut somnum excussere POLITIANO, & opus hoc antea tractanti segnius, stimulos addidere ad majores conatus. Agnoscit id grato animo Noster sub finem *Miscellaneorum*, unde non dubitamus eorum, quæ maxime huc spectant, & PICO inprimis sunt honorifica, huc transferre partem aliquam. *Etenim ego*, inquit, *tenera adhuc ætate sub duobus excellentissimis hominibus, Marsilio Ficino — — & Argyropylo, Byzantino, — — dabam quidem Philosophiæ utrique operam, sed non admodum assiduam, videlicet ad Homeri Poetæ blandimenta natura & ætate proclivior — — Postea vero, rebus aliis negotiisque prementibus, sic ego nonnunquam de Philosophia, quasi de Nilo canes, bibi, fugique, donec reversus est in hanc urbem, maxime Laurentii Medicis cum benevolentia, tum virtutis & ingenii similitudine, allectus, Princeps hic nobilissimus, Joannes Picus Mirandula, vir unus, an heros potius, omnibus fortunæ, corporis, animique, dotibus cumulatissimus, utpote forma pæne divina juvenis, & eminenti corporis majestate, perspicacissimo ingenio, memoria singulari, studio infatigabili, tum luculenta uberique facundia, dubium vero, judicio mirabilior, an moribus. Jam idem Philosophiæ totius consultissimus, etiamque varia linguarum literatura, & omni-*

omnibus honestis artibus, supra veri fidem munitus, atque instructus. Denique, ut semel complectar, nullo non præconio major. Is igitur continuo me, cum quo partiri curas dulcissimas, & nugari suaviter, interdum solet, & quem sibi studiorum prope assiduum comitem (qui summus honor) allegit, is me instituit ad Philosophiam, non, ut antea, somniculosis, sed vegetis vigilantibusque, oculis explorandam, quasi quodam suæ vocis animare classico.

(d) Non hic repetam, quæ supra *§. IV. not. (m)* satis sunt diligenter dicta; unde, assiduum fuisse in ARISTOTELIS interpretandis libris philosophicis POLITIANUM, apparet. Illud hic addo, tardius ab eo conscensam Philosophorum cathedram, &, nemine id opinante, subito ad hoc doctrinæ genus conversum. Quod cum odia ei invidiamque contraheret eorum, qui ex Philosophiæ professione famam huc usque victumque quæsiverant, hique insultarent passim novo Philosopho, nec in Philosophorum scholis educato, nec id studiorum genus olim admodum curanti, horum inficetos sermunculos sub eleganti fabula, qua *Prælectionem Lamiam* condivit, ridendos omnibus proposuit.

(*e*) Non licet nobis de POLITIANI in Philosophiam meritis commemorare multa, cum, præter illum *de Dialectica* libellum, & alterum, quem *Panepistemona* inscripsit, nihil prorsus scriptorum ejus Philosophia sibi vindicet. Et horum alter quidem nihil dissentit ab ARISTOTELE suo, ad hujus prorsus imaginem & lineamenta compositus, nec adscititiis coloribus ornatus. Neque vero tunc novi aliquid excudere in animo fuit POLITIANO, id scilicet agenti, ut, ipso interprete, Florentinæ juventuti facilius patescerent ARISTOTELICÆ doctrinæ. Alter humanas quascunque artes, cujus demum illæ nominis generisve sint, in tabula exponit, hasque inter se velut perpetua quadam catena conjungit; sed, ut est paucarum paginarum libellus, ita tractandi magis ratione, quam rebus ipsis, ab antiquiorum vestigiis deflectit. Nihil præterea, unde discas Philosophum, exstat scriptorum POLITIANI. Sed erant utique horum proditura plura longe, si vixisset vir bonus. Nam sub finem vitæ in Philosophia totus fuit, & animo conceperat opus magnum, illustraturum sine dubio Philo-

 loso-

losophiæ partes præcipuas. Non dubitare de eo nos ſinunt, quæ ipſe ſub finem *Miſcellaneorum* profert : *Sic igitur verſare altiora quæpiam animo ſtudia, & operæ gravioris*, (Philoſophiam intelligit, quod verba ſubſequentia docent,) *inſtitui, quæ ſuo & ipſa tempore (ſi lecta potenter erit res) in publicam utilitatem, quo magis argutatoribus iſtis oculi doleant, apparebunt.*

§. 15.

Similiter, etſi illuſtre ſplendidumque Jureconſulti nomen ipſe nunquam affectavit, (*a*) nec deſunt omnino, qui Jurisprudentiæ laudem tam longe ab eo ſejunctam volunt, ut ne primis quidem legum Romanarum elementis ſatis eruditum exiſtiment, (*b*) præclare tamen, ſi veritati locus detur, de elegantiori jurium doctrina, deque iis omnibus, qui hanc colunt, promeritum, & dignitatis ſuæ, qua hodie nitent, partem haud poſtremam acceptam ei referre Juſtinianeas leges, æquiores rerum æſtimatores facile intelligunt. (*c*) Nam, ut ſtrictim jam, quæ præſtitit in genere hoc ſtudiorum, exequar, non Græca tantum Inſtitutionum Juſtiniani Paraphraſis, concinnata olim a Theophilo, ſed prorſus ad hunc uſque diem incognita, primum hunc præconem nacta eſt, (*d*) primusque ipſe ejusdem Imperatoris Pandectas cum Florentino codice, venerando antiquitatis monumento, contulit, &, quæ diver-

diverſa is ab editis haberet, ſelegit diligenter, (*e*) quæque Græca in his legerentur, latine reddere, pro exquiſita, qua pollebat, utriusque linguæ peritia, tentavit, (*f*) ſed verſatiſſimus etiam fuit in antiqui Romanorum Juris hiſtoria, (*g*) & criticis, iisque minime ſpernendis, univerſum Jus civile Annotationibus illuſtravit, (*h*) quarum ni partem maximam injuria ætatis nobis abſtuliſſet, (*i*) non ita profecto ad hunc diem in antiquis legibus obſcura multa & inexplorata jacerent. Illud vero, ut in univerſum bonis literis, ita cummaxime Jurisprudentiæ, accidit luctuoſiſſimum, quod præclara alia permulta, maxime vero ampliſſimos, quos animo conceperat, in Romanas leges Commentarios, non, per fatum præmaturum, perficere ei, etſi id maxime cupienti, licuit. (*k*)

(*a*) Ut Philoſophum ſe nunquam venditavit, etſi interpretandis Philoſophorum veterum libris maxime intentus, ita nec Jureconſultorum ordini adſcriptum ſe voluit, quantumvis ornaturus eum, ſi perficere deſtinata per ſeveram fatorum legem ei licuiſſet. Modeſtiſſima ejus verba ſunt in *Prælectione*, quam *Lamiam* inſcripſit: *Rogo vos, adeon' eſſe me inſolentem putatis aut ſtolidum, ut, ſi quis Jureconſultum me ſalutet, — — non me ab eo derideri prorſus credam? Commentarios tamen jam diu in Jus Civile — — parturio, & quidem multis vigiliis, nec aliud inde mihi nomen poſtulo, quam grammatici.* Nimirum, quod ita de Grammaticis ſentiret, eminentiſſimam his poteſtatem in Autores quoscunque liberrimumque jus eſſe, nec interpretis ri-

te fungi officio posse, nisi Grammaticis probe subsidiis instructum, inde factum, ut ad interpretandos Juris antiqui libros eodem supercilio, quo maximi quique ex Jureconsultis, accederet. *Grammaticorum sunt hæ partes*, inquit *l. c. ut omne Scriptorum genus, Poetas, Historicos, Oratores, Philosophos, Medicos, Jureconsultos, excutiant, atque enarrent.* Sed bone Deus! quam longe abfuit vir bonus a nostri seculi moribus, ubi temere ad se rapiunt magnificum Jureconsulti nomen, qui, ex POLITIANI judicio, nihil sunt, quam Grammatici. Adeo tenaciter nunc in verbis legum hæremus, de vi ac potestate earum parum laborantes.

(*b*) Fuerunt omnino multi, qui, parum gnari eorum, quæ præstitit in Jurisprudentiæ emolumentum ANGELUS, de laudatissimis ejus conatibus iniquissime sentirent, &, profano pede involasse eum in hæc sacra, contenderent. Nihil dicam de ANDR. ALCIATO & GUIL. BUDÆO, qui, invidia correpti, & inter Juris interpretes ætate sua principatum affectantes, non poterant in scriptis suis ejus viri doctrinam laudare, quem in Juris arte, si non æqualem, certe æmulum, habebant. Hos ut famæ POLITIANI parum amicos se præbuisse per omnem vitam constat, ita nec magni fecisse ejus in Jus Romanum merita, cui mirum videri potest? At, quod nollem, horum autoritate decepti alii, a quibus rectiora expectari poterant, nisi ab illis ipsis judicandi normam petiissent, ne inspectis quidem iis, quæ POLITIANI in his literis doctrinam ostendebant, violento magis, quam deliberato, consilio, POLITIANUM Jureconsultorum subselliis deturbarunt, & ad ipsos in castris Themidos tyrones ablegarunt. Est in his maxime ANT. MATTHÆUS, JCtus Ultrajectinus, qui, cum doctrinam in POLITIANO summam agnoscat, alienissimum a Jurisprudentiæ laude perhibet in *Oratione de Modestia veterum JCtorum*, quæ est numero *decima in Oration. ejus p. m. 285*, ubi ita ille: *Non Thraso, non Pyrgopolinices, Angelus Politianus fuit: fuit ille sui ævi decus, & illustre literatorum jubar: qua gloria non contentus, dum juris scientiam affectat, etiam literis partam famam pæne perdidit.* Jungi huic plures possent, qui nihili fecere

POLI-

POLITIANI in Jus Civile Annotationes, si quid ponderis haberent judicia acerba magis, quam ipsis rerum argumentis confirmata. Recentiores vero nonnullos, ut DIONYS. SIMONEM in *Nouv. Biblioth. Histor. & Chronol. des principaux Auteurs & Interpr. de Droit p. 249*, & CLAUD. TAISANDUM in *Vies des plus celebres Jurisconsultes p. 447*, hoc minus curamus, quo magis id moribus seculi convenit, judicia majorum sua facere. Sed inprimis ridicula est, &, ut in summum POLITIANI opprobrium excogitata, ita vix digna, quæ confutetur, historiola vulgatissima, qua nonnulli os obturare his conati sunt, qui, Juris etiam Romani peritum fuisse POLITIANUM, forsan non adeo temere sibi persuaserant. Factum aliquando Senis referunt, ut, multa de se ipso & sua in Jure Civili doctrina gloriatus coram MARIANO SOCINO, Seniore, huic, de re levi & Dupondiis cognita, *quid esset suus hæres?* interroganti, responsi POLITIANUS prorsus nihil dederit. Fecit autoritas ALCIATI, qui primus in vulgus sparsit fabulam, ut propagata statim ad posteros, apud Scriptores præstantissimos,& minime alioqui credulos, facile fidem inveniret lepidissima narratiuncula. Sed hi ipsi, si rationem æquitatis habuissent, non temere arripuissent ea, quæ non aliter ab ALCIATO enarrantur, ac solent plerumque somnia nostra, aut vetularum fabulæ. Quantum ponderis inesse putas illis, quæ *Lib. IV. Dispunct. Cap. 18* legimus: *Audivi quandoque irrisum ab Socino Angelum Politianum, quod ignorasset, quis suus hæres diceretur?* Egregius accusator, quem nec pudeat ab anili illo *audivi* dictorum robur arcessere. Rem eandem refert sub finem *Libri IV. de Verb. Signif.* ubi addit nonnulla, sed quæ minime confirmare rem ipsam possunt. *De hujus vocis,* (hæres suus) inquit, *significatu interrogatus a Socino Angelus Politianus, obmutuit, cum tamen gloriatus esset, in glossematis Juris Civilis se vel Accursium superare posse.* Eadem deinde, ALCIATUM secutus, tradidit PETR. GREGORIUS THOLOSANUS in *Syntagm. Juris universi Lib. XLII. Cap. 13*, & JO. CORASIUS in *Miscellan. Jur. Civil. Cap. 16*, sed qui tacet ALCIATI nomen, etsi in narrando parum ei dissimilis. Ita enim ille: *Angelus Politianus, vir Græce Latineque impense doctus,*

doctus, & inter Autores Latinos non postremi nominis, cum in glossematis Juris Civilis Senis jactitaret, se vel Accursium superare posse, rogatus a Mariano Socino, Jurisconsulto ætatis suæ doctissimo, quisnam in Jure Civili suus hæres diceretur, parum feliciter obmutuit. Et ex uno id ALCIATO didicere, qui ejus rei mentionem faciunt, Scriptores reliqui ad unum omnes, GUID. PANZIROLUS *Lib. III. de Clar. Leg. interpr. Cap. 35*, CLAUD. VERDIERIUS in *Cension. in Autor. pæne omnes p. 155*, DIONYS. SIMON *l.c.* & CLAUD. TAISANDUS *l.c.* Nec parcit famæ POLITIANI ANT. MATTHÆUS *l.c.* cujus vel ideo hic verba proferam, ut hominis in calumniando eloquentiam intelligant Lectores. *Jactaverat ille*, inquit, *se glossematis suis vel ipsum Accursium superaturum: incertum, qua spe, quave fiducia: forte quod putaret, minimo periculo de jure responderi: si id, quod oportet, responderis, idem videare respondisse, quod Servius: sin aliter, etiam controversum jus nosse & tractare videare. Nihil causæ esse, cur non literator triduo infulam mereri possit; cum Orator, si bilem sibi movissent, triduo nomen inter Jurisperitos profiteri voluerit. Utcunque sit, non tulit inultam viri jactantiam Marianus Socinus, unicaque proposita quæstione ita literatorem perculit, ut ejus diei locique semper meminisse posset. At cujusmodi illa quæstio fuit? num ex intimo legum recessu depromtum ænigma? num Gordius nodus ex spinosis interpretum disputationibus? Nihil horum: quid ergo? Sui hæredis definitionem Socinus postulabat, quam tirones callent, quam dupondii tam facile, quam suum nomen, norunt; quæ certi, non controversi, juris est; in hac reddenda Angelus ille Politianus obmutuit.* Sed hæc, quantumvis pervulgata, nullo modo extorquebunt assensum nostrum. Non, quod ita addicti simus partibus POLITIANI, ut, nihil de eo dici posse non excelsum & magnificum, putemus, sed quod, idoneis rem ipsam testibus carere, & a verisimilitudine quam longissime abhorrere, cuivis pateat. In Jurisprudentia, non me fugit, quantum sit ALCIATI nomen, nec huic, interpretanti leges veteres, repugnabo facile. At, cum hujus autoritatem nobis in re historica opponis, nihil valere hanc eo in loco dicam,

ubi

ubi nec testimoniis aliorum communitæ sunt narrationes, nec partium studio vir bonus dedisse nihil videtur. Audita hæc sibi de POLITIANO dicit. Sed unde audita? ab homine fide digno, an ob obvio quoque? Non ab illo, quod puto; quidni enim ejus mentionem faceret in re, haud leve ex teste pondus acceptura? Igitur ab hoc fortasse? At hujus testimonio quisquis utitur, non hunc virum sagacem & intelligentem rerum dicimus. Unus igitur hæc ALCIATUS refert, qui, cum invidiosissime passim in libris suis de POLITIANO scripserit, non tam suspectus nobis, quam ne admittendus quidem, testis videtur. Apparet præterea, in re ipsa talia inesse, quæ, plane in commentitiis habendam, nobis certissime persuadent. MARIANUS SOCINUS Senior is esse dicitur, cui jactantiæ suæ pœnas dederit POLITIANUS. Quod si verum, contigisse rem illam ante annum 1467, necesse est. Fuisse enim hunc annum SOCINO vitæ ultimum, PANZIROLI *l.c.* testimonio constat. Sed finge, hoc ipso anno, paucis ante mortem SOCINI diebus, peracta hæc fuisse, vix annorum tunc decem & trium fuisse POLITIANUM, (decem & septem dicit P. BÆLIUS in *Lex. Hist. T. III. p. 2604 not. B*, sed qui minus accurate annos computavit,) ii intelligent, qui anno natum 1454 meminerint. Quo tempore si de Jure interrogatus hæsitavit Noster, aut plane obmutuit, quis adeo morosus est judex, ut opprobrio id vertat tam tenellæ ætatis puerulo, ne primis quidem tunc literarum elementis satis innutrito, & cui vix fando auditum Jurisprudentiæ nomen existimes. Meminisse horum debebat, qui fabulam eandem nuper demum recoctam nobis apposuit in *Hist. Gymn. Patav. T. I. Lib. III. Sect. I. Cap. 10. p. 220*, scriptor alioqui non indiligens, NIC. COMNENUS PAPADOPOLUS. Igitur, si vel vera esse largiamur, quæ retulit ALCIATUS, nihil hæc officient famæ POLITIANI, & nugas agere hunc putabimus, qui inepto hoc argumento POLITIANI in Jure imperitiam accusaverit. Neque adeo injuriam fecere ALCIATO, qui obtrectandi hic libidinem in eo notarunt, & ad meras fabulas hæc rejecerunt, CASP. BARTHIUS in *Adversar. Lib. XLVII. Cap. 5. p. 2192*, MARC. ZUERIUS BOXHORNIUS in *Monum. ill. vir. p. 36*, & P. BÆLIUS *l.c.*

(c) Non is ego ſum, qui doctorum virorum in literas merita æſtimanda teſtimoniis aliorum putem; verum, quod ſiniſtra judicia magnam ſæpe in animis Lectorum vim habeant, hinc, ut contrariis ſententiis illorum nervus infringatur, interdum quam maxime videtur opus eſſe. Non defuiſſe POLITIANO obtrectatores ſuos, qui nollent ei inter Juris Civilis interpretes locum concedi, paulo ante vidimus. Quorum autoritas ne damnoſa ſit cauſæ POLITIANI, æquitatis eſſe arbitramur, vituperatoribus laudatores opponi, ut ſic velut in ancipiti conſtitutus Lector, in hæc, quæ præſtitit POLITIANUS, inquirat ipſe, & inter partem utramque arbitrium pronuntiet. Sed, ut plurimi eorum, quos præcones nactus eſt POLITIANUS, re ipſa oſtendere, quid debeant ei Juris cultores, quam verbis eum laudare, ſatius duxerunt, ita, quæ hoc in loco expectant Lectores, commodius deinde dabimus, ubi de ipſis POLITIANI in Jus Civile meritis dicendum nobis ex inſtituto fuerit. Ne tamen nihil hic promulſidis habeas, bina proferam ANTONII AUGUSTINI, qui unus eſſe inſtar omnium poteſt, & cui nemo unquam de arte Juris dubiam facere palmam auſus eſt, præclara & honorifica de POLITIANO teſtimonia, quibus ſi fidem habeas, ut habendam omnino ducimus, non inter Jurisprudentiæ inſtauratores locum POLITIANO infimum concedes. Alterum in literis legitur ad MICH. MAJUM, Dedicationis inſtar præmiſſis ejus *Libris IV Emendationum*, ubi ita: *Ad has difficultates Angeli Politiani libros adhibuimus, qui primus noſtrorum hominum errorem cognoſcens, illos libros cum ſuis contulit, cujus laboribus multa Digeſtorum loca accepta ferenda ſunt, quæ alii, ejus libris uſi, ediderunt.* Alterum, quod multo gravius, & ad famam POLITIANI accommodatius videtur, profert vir ſummus *Lib. IV. Emendat. Cap. 14*: *Quis Angelus Politianus fuerit, quo ingenio, qua eruditione, ignorat, ut opinor, nemo: quantum vero ei Juris Civilis amatores debeamus, non multis compertum eſt. Quotus enim quisque exiſtimat, nos, præter unum atque alterum locum, quos in Epiſtolis & Miſcellaneis emendavit, ei accepto ferre oportere? Sed mihi multo facilius eſſe videtur, ea loca enumerare, quæ Politianus, aut qui a Politiano acceperunt, non reſtituerunt,*

quam

quam quæ ejus causa emendata sunt. Pergit deinde, per partes eundo, singula, quæ POLITIANO debentur, persequi; sed hæc postea oportunius dicentur.

(d) Omnium primus POLITIANUS Græcarum Juris *Institutionum*, quas nobis THEOPHILUS reliquit, quasi tabulam suspendit in *Miscellan. Cap. 84*, valde eo nomine laudatus ANT. AUGUSTINO *Lib. IV. Emendat. Cap. 14.* Auspicatissimum rei ad hunc diem inauditæ nuntium putarunt viri docti, qui, in spem magnam erecti visendi tandem tam præclari, tamque diu expectati, Operis, ad investigandum illud consilia sua omnia curasque contulerunt. Sed, cum nec Autorem versionis, nec locum, ubi exstaret illa, indicasset POLITIANUS, factum hinc est, ut de invenienda illa diu frustra laboraverint permulti, inprimis CONR. HERESBACHIUS, Jureconsultus non ignobilis, qui, præstantissimum hoc antiquitatis monumentum vestigaturus, iter in Italiam suscepit, loculosque omnes perquisivit, etsi fortuna parum secunda usus, ut refert VIGLIUS ZUUICHEMUS in *Præfatione hujus Paraphraseos.* Is ipse VIGLIUS tandem, ut nemini ignotum puto, Opus diu quæsitum ex Bibliotheca Cardinalis BESSARIONIS in lucem protraxit, de posteris ita & universa Jurisprudentia immortaliter promeritus. Sunt hæc diligentissime exposita a JO. HENR. MYLIO in elegantissimi libelli, quem *Theophilum* inscripsit, *Cap. V. §. III. p. 40*, cui addi merentur NIC. CHRISTOPH. LYNCKERUS in *Instructorio forensi Lib. I. Cap. 1. p. 4*, BURCH. GOTTHELF STSUVIUS in *Biblioth. Jur. Cap. IV. §. 1. p. 42*, JO. SAL. BRUNQUELLIUS in *Histor. Juris p. 302*, & NIC. HIERON. GUNDLINGIUS in *Gundlingian. P. II. p. 118 seq.* POLITIANUS, si diutius in vivis fuisset, forsan ipse sibi, quæ VIGLIO servata videbatur, gloriam vindicasset, & legendam posteritati dedisset hanc *Paraphrasin*, quam fuisse omnino in ejus manibus, non dubitare nos sinunt verba ejus in *Epistola ad* MARQU. BREISACIUM, *Lib. X. Epp.* POL. *Ep. 4*: *Quod ut ex sententia perficiam, multum quoque me adjuvat, quod eos quoque sum libros nactus, quos e Latina in Græcam linguam Justinianus idem transferendos curavit.*

(e) Priusquam ad commemoranda ea convertamur, quæ positam a POLITIANO in emendandis antiquis legibus industriam osten-

ſtendunt, id indicandum Lectori video, non pauca eorum, quæ dici eam in rem poſſunt, jam olim docte atque eleganter expoſita eſſe a Viro clariſſimo, HENRICO BRENCMANNO, Jureconſulto Batavo, in *Hiſtoria Pandectarum*, libro compoſitiſſimo, qui, ut elegantioris Jurisprudentiæ ſtudioſis vix pro merito commendari ſatis poteſt, ita nec nobis, verſantibus in literario hoc argumento, exiguam materiam dicendi præbuit. Nam, quod ad POLITIANI in Jus priſcum merita attinet, hæc, ut per librum integrum loco non uno, ita præſertim *Libri IV. Cap. 1*, cui rubrum fecit: *Ang. Politiani Collectio Pandectarum*, tam ſtudioſe diligenterque ediſſeruit, ut multum eo nomine BRENCMANNIANÆ pietati manes POLITIANI debeant. Nos vero hoc majoris æſtimandam hujus Viri induſtriam putamus, quo certius conſtat, multa BRENCMANNO in ipſa Italia, quam is nobili itinere peragraverat, Florentiæ inprimis, ex ore eorum hominum, qui fide digniſſimi eſſent, accepta, multa etiam propius inſpecta, quorum cognitio quantum utilitatis haberet, ipſe omnium optime intelligebat. Jam ad rem ipſam accedimus. Contigit POLITIANO, quod ante eum paucis, ut, beneficio LAURENTII MEDICÆI, qui nihil unquam negavit POLITIANO ſuo, ad intima MEDICÆÆ Bibliothecæ ſacraria admiſſus, hic, inter alia antiquitatis veneranda monumenta, præſtantiſſimum Pandectarum Codicem, Piſanum olim, tunc Florentinum, intueri & manibus tractare, eodem ut ſuo uti, inque ejus lectione dies noctesque integras conſumere, prohibente id nemine, potuerit. Felicem eo nomine POLITIANUM prædicat PETR. CRINITUS *Lib. XV de Honeſta diſciplina Cap. 3*: *Politiano poteſtas facta eſt Florentiæ a ſummo magiſtratu, ut cum Piſanis illis archetypis Digeſtorum libros percenſeret, qui in ſacro palatio obſervantur. Quod ille, ut homo gloriæ cupidior, velut inſtar copiæ cornu, vel divinæ virgulæ, ſe aſſecutum prædicabat.* Et ipſum, in ſingulari felicitatis loco id reputantem, & mirifice de eo exultantem, POLITIANUM audiamus *Cap. 41 Miſcellan.*: *Hujus voluminis legendi ac verſandi per otium mihi eſt uni facta copia, Laurentii Medicis opera, cauſaque, qui vir ſuæ Reipublicæ princeps, dum ſtudioſis obſe-*

obsequatur, etiam ad hæc usque officia se dimittit; & rursus in *Epistola ad* MARQUARDUM BREISACIUM, quæ est ordine *quarta Lib X. Epp. ejus: Hoc ergo mihi inspicere per otium licuit, rimarique omnia, & olfacere, quæque vellem, excerpere diligenter, & cum vulgatis exemplaribus comparare. Tribuit enim hoc mihi uni Laurentius ille Medices, vir optimus ac sapientissimus, fore illud aliquando arbitratus, ut opera, labore, industriaque nostra magna inde omnino utilitas eliceretur.* Et quidni summum hic LAURENTII beneficium agnosceret POLITIANUS, qui, tantam hujus Codicis in Florentina civitate, ipse scribit, venerationem fuisse, ut *in ipsa curia, loco celeberrimo, monachorum quorundam, summique magistratus, diligentia & religione servaretur;* tum, *quoties proferretur,* (quod ipsum non sine gravi causa fieri solebat,) *accensis funalibus, monachi* illi, *summusque magistratus, capite aperto, venerabundi circumsisterent*, ut in Epistola ad BREISACIUM, cujus modo mentio facta, &, iisdem fere verbis, *Cap. 41 Miscellaneorum*, tradit. Quamprimum igitur admirabile hoc Justinianeæ sapientiæ specimen conspexit, ita senili operis gravitate, & *veneranda facie, quæ sanctam illam vetustatem procul ostentaret*, captus est, ut minime dubitaret ætatem ejus ad ipsa JUSTINIANI tempora referre. Ita enim de eo magnifice sentit in *Epistola cit.* cujus verba non abs re fuerit huc integra transscribere, ut, quale sit externum Codicis decus, cognoscant inde Lectores. *Nullæ*, inquit, *in eo libro interpunctiones, nulla scribendi compendia, grandes ubique literæ, & compares. Græcum in fronte Epigramma, Græcæ Præfationes, Autorum librorumque Index, quorum hæ leges a fontibus emanarunt, prorsus ubique argumenta plurima, quæ brevitati serviens omitto, quibus, esse eum librum Justiniani ætate descriptum, non dubitemus: inprimisque voluminis ipsius veneranda facies, & quæ sanctam illam vetustatem procul ostentet.* Quibus similia profert in *Epist. ad* LUDOV. BOLOGNINUM, quæ est ultima *Lib. XI: Est autem liber characteribus majusculis, sine ullis compendiariis notis, sine ullis distinctionibus, nec Græcus, sed Latinus: videlicet ille ipse, quem inter ceteros publicavit Justinianus* &c. Quin plane *archetypum* hoc *volumen* dicit in *Epi-*

ſtola cit. ad LUDOV. BOLOGNINUM, & *Miſcellan. Cap. 41, 77, 78, 93, & 95.* Ex verbis autem, quæ ſunt *Cap. 41 Miſcellan.* -- *quibusdam etiam ſaltem in Præfatione, velut ab Autore plane & a cogitante atque generante potius, quam a librario & exceptore, inductis, expunctis, & ſuperſcriptis,* manifeſto apparet, eam POLITIANI fuiſſe ſententiam, ipſius manu TRIBONIANI ſcriptum hunc codicem, prorſusque illum, fuiſſe, unde deinde, tanquam ex fonte ſuo, reliqui Codices omnes emanarunt. Mirarer id valde, niſi magis mirandum putarem, ſectatores POLITIANUM permultos habuiſſe, eosque ſine controverſia doctiſſimos, PETRUM CRINITUM *l. c.* LUD. BOLOGNINUM in *Dedicatione Pandectarum* ad JULIUM II, Pontificem Maximum, TRISTANUM CALCHUM in *Hiſtor. Mediolan. Lib. III. in fine*, FRANC. FRADINUM in *Præfat. Aymonis de Porta*, editi *A. 1516*, FRANC. HOTTOMANNUM in *Anti-Tribon. Cap. XV*, HENR. NORISIUM in *Cenotaph. Piſan. Diſſ. II. Cap. 17*, FRANC. BROEUM in *Hiſtor. Jur. Chronolog. ante Expoſit. Inſtitut.* ANT. PEREZIUM *init. Commentar. in XXV Libros Pandect.* LEONEM ALLATIUM in *Animadverſ. in Antiqu. Hetruſc. fragm. n. 34*, & complures alios, quos nominat HENR. BRENCMANNUS in *Hiſtor. Pandect. Lib. III. Cap. 1. p. 198 ſeq. & p. 204 ſeq.* Sed videntur hi utique nimium dediſſe opinioni de Codicis præſtantia conceptæ; etſi nec fidem mereatur ANDR. ALCIATUS, qui multis poſt JUSTINIANUM Seculis deſcriptam hanc membranam perhibet *Lib. III. Diſpunct. 12*, nec ipſe deſtitutus ſectatoribus ſuis, quos ordine enumerat idem BRENCMANNUS *l. c. p. 206 ſeq.* Veriſimillima enim & eruditiſſimis tam ſuperioris, quam præſentis, Seculi Jureconſultis recepta eſt ANT. AUGUSTINI conjectura, argumentis fere invictis docentis *Lib. I. Emend. 1*, ad JUSTINIANI tempora hujus Codicis ætatem quam proxime accedere; id quod copioſius hic explicare ſuperſedeo, quippe erudite diſputatum a BRENCMANNO *l. c.* & *Lib. I. Cap. 2.* Hujus Codicis cum vel primus conſpectus boni ominis multum haberet, &, quod incorruptus mendisque omnibus purus eſſet, ſuam ex eo antiquis legibus integritatem conſtare animadverteret POLITIA-

TIA-

TIANUS, ut aliquis ex ejus usu, liberaliter sibi concesso, ad posteritatem fructus redundaret, & Pandectæ in posterum tales legerentur, quales conscriptæ a TRIBONIANO, & publica autoritate donatæ a JUSTINIANO essent, primus, laudabili & perquam fructuoso consilio, Florentinam hanc membranam cum vulgatis exemplaribus conferre, diversamque ejus scripturam, & variantes lectiones, annotare, animum induxit. Certiores nos fecit de instituto suo POLITIANUS in *Epistola cit. ad* BREISACIUM, cujus, quæ huc spectant, verba jam supra proferre me memini. Vulgata illa exemplaria, quæ contulit ad MStum Florentinum, non sunt nominatim indicata a POLITIANO; verum, quod ad Digestum novum & infortiatum, hic editione usum esse POLITIANUM *Venetiis per Joannem & Gregorium, fratres Furlivienses, A. 1485* vulgata, fidem facit LUD. BOLOGNINI annotatio: *Illud Polliciani fuit impressum die 11 Maji 1485 & sic prius; infortiatum vero die 10 Novembr. 1485*, quam huic editioni adscriptam Bononiæ, in æde S. Dominici, inter libros BOLOGNINI, vidit BRENCMANNUS, ut ipse testatur *l. c. Lib. III. Cap. 4. p. 263. not. (s)*, & *Lib. IV. Cap. 1. p. 313.* Nec dubium videtur eidem BRENCMANNO *l. c.*, fuisse & Digestum vetus huic editioni additum, ut hinc colligere liceat, in emendando illo POLITIANUM exemplari eodem usum. Sed, cum exemplaria dicat *l. c.* POLITIANUS, facile crediderim, plures hoc ipso Codices impressos ei ad manum fuisse. Patet hinc, non nisi conferentis operam a POLITIANO præstitam, nec, quod persuaserant sibi nonnulli, integram membranam transscriptam; quod, etsi utilitatis multum, nimium tamen simul molestiæ & difficultatis, habuisset. Visum ita olim PETRO BEMBO, qui nomine LEONIS X, Pontif. Max. ad Florentinos scribit: *Valde mihi opus est eis libris, quos Angelus Politianus a perveteribus illis, qui a vobis publice asservantur, Justinianarum legum & Digestorum libris, quos Pandectas vocant, sua ipse manu descripsit. Qui quoniam apud vos sunt, vos hortor, ut eos Laurentio Medici, fratris mei filio, mihi mittendos dari jubeatis. Eos vobis, cum usus fuero, statim remittam.* Est hæc ordine *38 Lib. X. Epistolarum* BEMBI, *Leonis X nomine scriptarum.* Mireris, hæc scribi nomine

LEO-

LEONIS X potuiſſe, cui, POLITIANI olim diſcipulo, nihil non putes eorum, quæ ad POLITIANI muſas pertinebant, compertum fuiſſe. Diu hi libri, a POLITIANO collati, publicis uſibus patuerunt, & religioſe cuſtoditi ſunt in Bibliotheca Medicæa; ubi viſos ſibi & inſpectos teſtatur PETR. VICTORIUS in *Caſtigat. in Columellam de re ruſtica p. 70*, cujus teſtimonio hic commode utemur in rem noſtram, ut, quantum de hoc labore eruditi debeant POLITIANO, hinc appareat. *Non*, inquit, *exemplar ipſum ſemper conſului, ſed habui excuſos formis libros, quos cum antiquis illis Angelus Politianus ſtudioſe olim contulerat, eosque, quantum mihi commodum fuit, pertractavi. Illi enim quoque publici ſunt. Eruditiſſimi igitur viri labor magno me labore levavit: qui quidem, ut erat diligens & accuratus, hac librorum collatione mirifice delectabatur, & ita poſſe bonos Autores multis maculis purgari, vere exiſtimabat. — — nam, ut ajunt, libros etiam legum illuſtrare ſuo ſtudio & induſtria cupiebat, & fundamenta jam hujus ſui laboris jecerat.* At ſucceſſu temporis perdidit inſigne hoc decus LAURENTIANA Bibliotheca, certe inveſtiganti BRENCMANNO non oſtendit, de quo dolet ipſe in *Hiſtor. Pandect. Lib. IV. Cap. 1. p. 317.* Satis tamen de horum librorum ratione ex ſcriptis aliorum conſtat. Non meram collationem inſtitutam a POLITIANO, ſed & margini ſubinde aliquid notularum, criticarum puto, additum, nos docet, qui libros hos a capite ad calcem pervolutavit, ANT. AUGUSTINUS *Lib. IV. Emendat. 14*: *In his Politiani libris in margine quædam ſcripta reperi, quæ ei legenti, ut fit, in mentem veniebant.* Et, ne, cujus generis hæ Annotationes fuerint, neſcias, pulcherrimum earum ſpecimen idem AUGUSTINUS *l. c.* profert, cui ſuffragatur vir doctiſſimus, vehementerque applaudit. Legat id penes AUGUSTINUM, quem juvat. Idem AUGUSTINUS, etſi paſſim collaudet POLITIANI in conferendo Codice antiquo induſtriam, ejusque lectionem ſæpiſſime probet, nonnullos tamen ejus errores notat, in legendo admiſſos, nec notat tantum, ſed & feliciſſime emendat. Documento ſint, quæ protulit *Lib. I. Emend. I, 4, 5, III, 1, 3, ad Modeſtin. de Excuſat. l. 1. §. 3 & 4, l. 8 pr.* & alibi. Illud etiam in eo reprehendit

Lib.

Lib I. Emend. 4, quod quatuor & viginti tantum libris singulorum Capitum inscriptiones adjunxerit, de ceteris parum laboraverit; quas laudabili industria *l. c.* supplevit AUGUSTINUS. Denique TAURELLUS & BRENCMANNUS *l. c. p. 314* id vitio vertunt POLITIANO, quod in *l. 38. de Verb. Sign.* dubiam & suspectam lectionem *Φάσματα* meliori *Φαντάσματα* praetulerit. Neque adeo injuriam POLITIANO fecisse videtur AUGUSTINUS, cum *Lib. IV. Emend. 16*, non semper diligentissimum fuisse, scribit. Sed, haec objicere POLITIANO, magis forte decebat AUGUSTINUM, Jureconsultorum olim principem, quam DIONYSIUM SIMONEM, hominem mediocriter doctum, qui abjecte prorsus de hoc labore pronuntiat in *Nouv. Biblioth. des Aut. du Droit p. 249.* Quicquid hujus rei sit, dignissimam plausu nostro operam suscepit POLITIANUS, & id fati fuit, quod ab opere incepto abstinendum ipsi fuit mature nimis. Nam, si perficere ei, quod destinaverat, licuisset, ut ipsius cura in lucem exiissent emendatiores Pandectarum libri, laboris tam praeclari dignitas profecto clarius patesceret. Jam vero multum id facit ad Musae POLITIANEAE commendationem, quod, qui in munus emendandi Juris Civilis successere POLITIANO, hi praecipuam ex ejus libris legendi scribendique normam petiere. Primus ex illis fuit LUDOVICUS BOLOGNINUS, seu BONONIENSIS, Eques auratus, & in Bononiensi schola Juris civilis Professor, non infimi subsellii Jureconsultus, sed qui ad illustrandum Jus civile plus studii & boni conatus, quam judicii & elegantioris doctrinae, attulit. Ita enim industriam ejus in *Epistola ad eum (Lib. XI. Epp.* POL.) POLITIANUS indicat: *Vellem, Ludovice, vir clarissime, ceteris quoque Jureconsultis, quae tibi est corrigendis restituendisque legibus in veram, atque eam ipsam lectionem, qua ab Imperatore Justiniano publicatae sunt, & olim fuisset, & nunc esset, diligentia. Non enim nos puderet multorum, quae tam ridicule, tam perperam, leguntur in legibus, sed emaculata omnia, & vera, haberentur.* Is, sordibus suis Romanas leges purgaturus, idque cumprimis agens, ut integerrimum aliquando, ipsius opera, Pandectarum opus legeretur, non viventis tantum POLITIANI labore & consilio usus est in conferendis Pandectis Florentinis, quod patet ex literis POLITIANI

ad BOLOGNINUM, modo allegatis, quibus integra *lex quarta Tituli de Verborum obligationibus* ex Florentino Codice transſcripta continetur, ſed mortui etiam integros collationum libros deſcripſit, tanquam quibus carere non poſſet novam Pandectarum editionem paraturus. Sed dolendum eſt valde, non veniſſe hos libros in manus doctiores, & ejusmodi tractandis rebus magis aſſuetas. Nam, cum in ſcribendo interdum POLITIANUS compendii ergo notas quasdam adhibuiſſet, peregrinas Lectoribus harum rerum imperitis, ſed facilius legendas his, qui verborum vim intelligebant, BOLOGNINUS ille, ut erat hebeti ingenio, nec natus ad hæc ſtudia, mentem POLITIANI parum feliciter interdum aſſecutus eſt, & in transſcribendo errores commiſit, ſæpe admodum ridiculos. Eſt hoc de eo judicium ANT. AUGUSTINI, qui *Lib. IV. Emend. 16*: *Nam neque Politianus diligentiſſimus ſemper fuit, neque, quæ ille ſibi ſoli deſcribebat notis quibusdam, quales quisque ſuas frequentes habet, Ludovicus Bologninus, homo neque natura acutus, neque inſtitutione eruditus ſatis, & Græcarum literarum expers, deſcripſit, ut oportuit.* Specimina ejus oſcitantiæ idem AUGUSTINUS *l. c.* & *Lib. III. Emend. 1*, & *ad* MODESTINI *l. 13. §. 4 de Excuſat.* inprimis vero *Lib. III. Emend. 3*, profert, ubi, quæ ad marginem inſtar notulæ adſcripſerat POLITIANUS, temere in ipſum textum intulit, ſicque peſſime Pandectarum ſenſum corrupit BOLOGNINUS. Græca vero, quæ legebantur in his POLITIANI libris, ne ipſe quidem, forſan quod imperitus horum eſſet, deſcribere conatus eſt, ſed *hæc*, quæ verba ſunt ejusdem AUGUSTINI *Lib. III. Emend. 1*, *deſcribenda curavit;* unde nec mirum, aberratum & in his ſæpe a mente POLITIANI, quod exemplis docet AUGUSTINUS *Lib. I. Emend. 1*, & *Lib. III. Emend. 1.* Prorſus etiam his exulant Græca MODESTINI *de Excuſationibus* capita, non negligenda Pandectarum portio. Vide eundem AUGUSTINUM *ad l. 6. §. 2 de Excuſationibus.* Unde patet, quo jure hos libros ſuos *Politianei libri, ad optimum illud Florentinum exemplum emendati*, emendationes dixerit BOLOGNINUS, ut refert AUGUSTINUS *Lib. II. Emend. 4.* Hos, ad ipſum deinde Florentinum Codicem recognitosq́, quod contra AUGUSTINUM probat BRENCMANNUS *Lib. IV. Cap. 2. p. 319 ſeq.* publi-

publicare in usum eruditorum destinaverat BOLOGNINUS, sed morte præventus A. 1508, hanc curam aliis reliquit. A BRENCMANNO *l. c. p. 323* docemur, hasce BOLOGNINI emendationes accessisse *Corpori Juris*, *Lugduni A. 1516* a FRANC. FRADINO publicato. Sed & maxime his BOLOGNINI libris, de POLITIANI codice descriptis, in rem suam usus est GREGORIUS HALOANDER, limatissimæ doctrinæ Jureconsultus, qui, in nova Pandectarum editione occupatus, sive itinere Bononiam suscepto, quod verosimile videtur BRENCMANNO *Lib. IV. Cap. 3. p. 326*, sive amicorum Bononiensium opera, BOLOGNINI illas, aut POLITIANI potius, schedas diligenter pervestigavit, forsan etiam, si quidem id licuit, transscripsit. Testatur id ANT. AUGUSTINUS *Lib. III. Emend. 1*: *Est Haloander Ludovici libris, qui in Dominici Bononiæ maxima religione servantur, usus.* Neque adeo accurate satis, HALOANDRINAM illam *Pandectarum* editionem ex POLITIANI Florentinarum *Pandectarum* collatione & inscriptionum restitutione prodiisse, dicit SIM. LEEWIUS in *Hist. Jur. Rom. p. 738.* Quibus similia profert BURCH. GOTTH. STRUVIUS in *Biblioth. Jur. p. 25.* Ex solis enim BOLOGNINI libris transtulit, quæ optima viderentur, HALOANDER in novam editionem *Pandectarum*, quæ *Norimbergæ*, ut nemini ignotum puto, lucem vidit *A. 1529.* At mentionem BOLOGNINI hic nullam facit, sed, omnia sibi ex *Notis Pandectarum Florentinarum, quas Angelus Politianus descripserat*, petita, tradit in *Dedicatione Pandectarum ad Decuriones Norimbergenses.* Quod, etsi verum sit quodammodo, cum, quæ fuerant BOLOGNINI, hæc ipsa POLITIANI fuerint, unde recte AUGUSTINUS *Lib. IV. Emend. 14*: *Quicquid Bologninus, & eum meliore ingenio secuti Alciatus & Haloander, restituerunt, ex Politiani libris acceptum est*, forte tamen non dixisset HALOANDER, nisi ex POLITIANI inter eruditos autoritate plus ipse gloriæ, quam ex nomine BOLOGNINI, expectasset, aut ea essent religione in Bononiensi urbe illi BOLOGNINI libri custoditi, ut, qui inspiceret eosdem, non ei profiteri id publice liceret. Utrumque AUGUSTINO videtur; alterum *Lib. IV. Emend. 16*: *Notas*

 Flo-

Florentinorum Pandectarum (sic enim appellat) in commune se proferre, Haloander profitetur: quod & illustrius ad nomen, & cautius ad fidem, existimabat, id dicere, quam id, quod fecit, Bolognini descriptionem, ex Politiani libris acceptam, proferre se dicere; alterum *Lib. III. Emend. 3: Politiani nomen celandum existimavit* (ALCIATUS), *ob eam fortasse causam, quæ Haloandro idem faciendi fuit. Neque enim ignotum est, quanta religione suos libros coli Bologninus ipse voluerit. Itaque, qui ad ea mysteria adeunt, ab his, qui illis sacris præsunt, aut nullam earum rerum memoriam, aut sine ipsius Autoris nomine prodituram, polliceri coguntur.* Sane in *Dedicatione Pandectarum cit.* ipse fatetur HALOANDER, pæne se, dum hæc ederet, capitis periculum adiisse, quod, nescio, an spectet ad difficultates, ipsi, hos BOLOGNINI libros inspicienti, objectas. Neque tamen ubique unius fidem BOLOGNINI secutus est, quippe quam noverat esse admodum suspectam, sed multa ex probatissimis partim Codicibus MStis, partim ex libris optimorum Juris interpretum, partim etiam ex ingenio ipse suo, felicissime correxit, quod variis passim exemplis ostendit AUGUSTINUS. Et ipse in *Præfatione Pandectarum* scribit HALOANDER: *Non per omnia illarum* (notarum POLITIANI,) *fidem secutus sum, sed eatenus duntaxat, quatenus pervulgata lectionis bonitate manifeste praecelluerunt, vel alioqui probabilior ratio suasit, maxime si antiquorum Codicum consensus, quos neque paucos, neque pessimos, cum iis contuli, accederet.* Culpa tamen BOLOGNINI factum est utique, ut multa passim scripta sint ab eo vitiose admodum, præsertim in Græcis, ut hinc maxime assentiamur AUGUSTINO, *illud sine dubio esse*, affirmanti *Lib. III. Emend. Haloandrum, si aut Tuscos libros, aut saltem Politiani, vidisset, neque hæc, neque alia satis multa, quæ reprehendimus, scripturum fuisse.* Conf. JAC. FRID. LUDOVICI *Historiam Pandectarum §. 44 seq. p. 34*, ADAM. RICCIUM *de libris Juris Aphorism. 36*, JO. SALOM. BRUNQUELLIUM in *Histor. Jur. p. 223*, ALBERIC. GENTILEM *de Libris Jur. Civ. Cap. II. p. 39*, & B. G. STRUVIUM in *Hist. Jur. p. 405.* Post HALOANDRUM, ipse, quem vice plus una nominavi, ANTON. AUGUSTINUS in

in emendatione legum Romanarum POLITIANI libros in consilium adhibuit sæpissime. Nam, cum totus esset Florentiæ in describendo *perfectissimo illo Juris Civilis monumento*, (ita Pandectas Pisanas vocat CHRISTOPH. PLANTINUS *ante editionem* CHARONDÆ,) nec, sicubi difficultates ipsi in legendo vetustas scripturæ objiceret, suo satis ingenio confideret, præ ceteris ad POLITIANI libros, quorum usus tunc erat publicus, tanquam ad oraculum, confugit, & ex fonte hoc salutari vulneribus, quantumvis desperatis, medicinam attulit. Non id dissimulat vir bonus, ut facile patet ex illis, quæ profert in *Præfatione Emendationum Juris*: *Ad has difficultates Angeli Politiani libros adhibuimus, qui primus, nostrorum hominum errorem cognoscens, illos libros cum suis contulit* &c. Sed inprimis id grato animo agnoscit *Lib. IV. Emend. 14*, ubi hæc legas: *Ego me non pauca intellexisse profiteor, dum Medicea liberalitate Florentinas Pandectas perlegi. Neque eo tantum libro usus sum, sed & Angeli Politiani, & Lælii Taurelli, Jurisconsulti, libris: quibus, cum alicubi hærebam, ducibus usus sum, cum errabam, admonitoribus.* His commode usus est postea in explicatione legum Romanarum, plurimaque incomparabilis hujus industriæ specimina dedit in aureo *Emendationum & Opinionum* opere, nec non, quem illi adjecit, *ad Modestinum, sive de Excusationibus*, libro singulari, ubi per singulas fere paginas id agentem videas, ut vel antiquissimis legibus ex POLITIANI libris integritatem restitueret, vel corruptam ejus lectionem eleganti conjectura, ac prorsus erudite, emendaret. Sed nec LÆLIUS TAURELLUS, maximi nominis Jureconsultus, cui elegantissima Codicis Florentini editio debetur, sub nomine filii, FRANCISCI, *Florentiæ A. 1553* publicata, exiguum ex collationibus POLITIANI fructum tulit. Docemur id a filio, FRANCISCO, cujus in *Præfatione*, *Pandectis* præmissa, verba hæc sunt: *Politiani libros, quos vir ille doctissimus sua manu ex horum ipsorum evolutione reconcinnaverat, totos contulimus.* Quis igitur non agnoscat mecum, maximam ejus gloriæ, quæ ex splendida & emendatissima hac *Pandectarum* editione parta est TAURELLIS, partem ad POLITIANUM pertinere? Conf. BRENCMANNI *Hist. Pandect. Lib. IV. Cap. 5. p. 354*, & SIM.

LEEWII *Hiſt. Jur. Rom. p. 738.* Ipſe præterea ANDR. ALCIATUS multa eorum, quæ bona ſunt in ipſius libris, induſtriæ POLITIANI accepta retulit. *Quicquid Bologninus,* inquit AUGUSTINUS *Lib. IV. Emend. 14, & eum meliori ingenio ſecuti Alciatus — — reſtituerunt, ex Politiani libris acceptum eſt.* At non ipſius eſt POLITIANI, ſed BOLOGNINI ſaltem, libris uſus; etſi tacet prorſus de BOLOGNINO, eadem, qua HOLOANDER, cauſa inductus, ut docte ſuſpicatur AUGUSTINUS *Lib. III. Emend. 3.* Accedit altera cauſa, cur diſſimulet POLITIANI nomen, ne videretur ex ejus ſcriptis profeciſſe, cujus merita deprimit paſſim, & famæ iniquiſſime obtrectat. Denique & CRINITUM, BAIFIUM, atque BUDÆUM, in ſcriptis ſuis, ubi jura antiqua tractant, vitulo POLITIANI araſſe agros ſuos, haud obſcure indicare videtur AUGUSTINUS *Lib. IV. Emend. 14,* ſi quidem recte interpretor verba: *Non ſcrutor, quantum Crinitus, Baifius, Budæus, atque alii, ſi qui ſunt, ex Politiani obſcuris, ut ipſi ajunt, notis profecerint.* Intelligit hic BUDÆUM inprimis, qui POLITIANI in Jus Civile annotationibus obſcuritatem exprobravit, ut opportunius paulo poſt ediſſeram. Conf. SIM. LEEWII *Hiſtoriam Juris Rom. p. 738.* His igitur ſingularis famæ & doctrinæ viris ſi tantum olim commodi præſtitere POLITIANEÆ induſtriæ reliquiæ; quid non inde emolumenti ſperari poſſet noſtræ ætatis eruditis, quos aliqua elegantioris Jurisprudentiæ cura tenet, ſi quidem ita in fatis fuiſſet, ut hæc injuriam temporum evaſiſſent? Sed infauſtum jam bonis literis nuncium accepimus, illius præſtantiſſimi laboris jam nec in urbe Florentina, nec uſquam alibi, veſtigium ſupereſſe, ut accuſari ſatis vix poſſit aut illorum nequitia hominum, qui rapaci manu in hæc involarunt, aut incuria aliorum, qui, a turpiſſimis illis latronibus hæc κειμήλια defendere, ſui cummaxime putare muneris debebant. Præ ceteris jacturam hanc moleſtiſſime tulit clariſſimi nominis Jureconſultus, HENRICUS BRENCMANNUS, idque hoc majori jure, quo certiorem ipſe ex induſtria POLITIANI in nova, quam olim meditatus eſt, Pandectarum editione expectare ſibi poſſe fructum videbatur. Ita enim ille in priori ad Illuſtriſſ. CORNELIUM VAN BYNCKERSHOECK Epiſtola, quam nos in Manuſcri-

ſcriptis ſervamus : *Sed, ut hi (rei Ruſticæ Autores,* a POLITIANO collati,) *tunc temporis, ita nunc Pandectæ ejus latitant, atque utinam mihi liceret eſſe tam felici, ut εὕρετρον eo nomine perſolvere daretur.*

(f) Cum Græca multa in libris Florentinis legeret POLITIANUS, quæ accurate in Latinum transferri, multum intereſſe Jurisprudentiæ intelligebat, nec peritorum hujus linguæ, qui huic muneri ſufficerent, adeo ferax eſſet ætas illa, is vero, qui olim id tentaverat, ad id negotium illotis, quod ajunt, manibus acceſſiſſet, hanc ipſe, laudabili conſilio, provinciam ſuſcepit, &, quod AUGUSTINUS *Lib. II. Emend. 1* teſtatur, Græcis interpretationem Latinam addidit, præclare ita meriturus de his, quibus in lectione *Pandectarum* Græca hæc remoram facerent, qui, ſi Græcarum vocum interpretatione carerent, difficile aſſecuturi viderentur ſenſum legum. Nec opus nobis eſt AUGUSTINI, etſi αὐτόπτȣ, teſtimonio, cum de inſtituto hoc ſuo ipſe nos POLITIANUS doceat in *Epiſtola ad* JACOBUM MODESTUM, *Pratenſem*, quæ eſt ultima *Libri V. Epp. ejus*, ubi, ſerio ſibi has curas animo volvi, aperte profitetur. Ita enim de ſe ipſo Noſter: *Tituli præterea nonnulli, ſicuti de excuſationibus, pæne integri Græce ſunt editi, quos indoctus aliquis (ut apparet) in Latinum tranſtulit. Sed & hæc, (ut opinor) & alia pleraque, noſtras aliquando vigilias deſiderant, quas utique nos, modo vita ſuppetat, ac modo paululum quid otii contingat, nimium quam libenter tribuemus* &c. cujus promiſſi deinde, cum *Pandectis* emendandis operam ſuam addixiſſet, memorem fuiſſe, facile AUGUSTINO credimus. Nec infeliciter hunc ei laborem ceſſiſſe, hoc magis exiſtimandum eſt, quo certius, Græcis literis neminem ætate illa POLITIANO doctiorem fuiſſe, aliunde conſtat.

(g) Hoc minus abeſſe poterat a POLITIANO Hiſtoriæ Juris Romani cognitio, quo plus illa cum elegantioribus literis cognationis habet. Neque tamen affectavit hanc laudem, ſed ſatis ei fuit, vel uno ſpecimine, quantum in his etiam literis ab ipſo expectari poſſit, oſtendiſſe poſteris. *Epiſtolam* illam ad JACOBUM MODESTUM, *Pratenſem*, puto, quæ eſt ultima

Libri

Libri V. Epp. ejus, elegantem profecto, & *Epistolarum* POLITIANI omnium, si quid scio, doctissimam, qua Jureconsultorum veterum, quorum sunt ipsa verba in *Pandectis* JUSTINIANI obvia, accuratum Indicem texit, & de his commemorabilia multa profert, ipsosque *Pandectarum* libros, &, ut vocantur, titulos, indicat, ubi nomina illorum leguntur, & verba cujusque in formam legis abierunt. In qua quid præstitum sit a POLITIANO, vel eorum scripta docent, qui postea in simili scribendi argumento vires ingenii periclitati sunt. Quorum nonnulli, etsi leviores quosdam in ea errores notarunt, quales sunt, quos invenisse sibi visus est AUGUSTINUS *Lib. I. Emend. 4*, nec non LAUR. THEOD. GRONOVIUS in *Hist. Pandect. avth. p.m. 73, 78, 80, 81, & 84*, & ÆGID. MENAGIUS in *Amœnit. Jur. Civ. Cap. XXIV. p. 129*, hi ipsi tamen laudibus suis defraudare laborem ipsum non sunt ausi.

(b) Cum paucos ante mortem annos ad Juris studia animum appulerit POLITIANUS, nemo est, qui multa adeo industriæ hujus specimina ab eo exposcat. Quin potius paucis his, quæ legimus in scriptis ejus, ad id utemur, ut, quantum expectari ab eo, si vixisset, potuerit, appareat. Sed, ut supra dixi, non tam leges ipsas, quam ex legibus illustrare Romanam linguam, conatus est. Cujus studii manifesta vestigia ostendunt *Epistolæ* ejus, maxime vero *Miscellanea*, quorum integra *Capita 41, 82, 84, 93, & 95*, clarissimam antiquis nonnullis legibus lucem accendunt. Quibus lectis, facile, quod puto, intelliges, non sine fructu inspectum ipsi *Pandectarum* Florentinorum opus, quin ex maximo Jurisprudentiæ commodo id futurum, si quando, bono quodam fato, integri POLITIANI libri, quibus Florentini Codicis diversæ a vulgatis exemplaribus sunt lectiones annotatæ, in nostras, aut posterorum, manus traderentur.

(i) Dolendum est utique, non ita, ut merebantur, quæcunque in Jus Romanum commentatus est POLITIANUS, injuriam ætatis evasisse. Latent enim, &, quod metuo, porro latebunt, ipsa hæc, quibus, si extarent publice, vel maxime suum POLITIANUS inter clarissimos illius ævi Jureconsultos locum tueri posset. Sed, hæc quorsum migraverint, vel ii ipsi ignorarunt olim, quibus usus est Noster familiarissime. An, quod relatum sibi perhibet SIM. LEEWIUS in *Hist. Pan-*

Pandect. p. 738, in Byzantina Turcarum Bibliotheca superstitiose hæc etiamnum asserventur, & quo fato in manus venerint tam barbaras, eorum est inquirere, quibus hæc sacra, nimis longe a nobis remota, forsan adire aliquando contigerit. Illud satis constat, cessisse eorum, quæ in schedis ille reliquerat, partem maximam furunculis nonnullis, qui, ex alienis laboribus gloriam captantes, & hæc edituri aliquando pro suis, clam subduxerant ex scriniis demortui, quicquid ita viderant comparatum, ut & dignum luce esset, & sub alieno nomine prodire tuto posset. Acriter in hos plagiarios invehitur PETRUS CRINITUS in *Epistolis* duabus ad ALEXANDRUM SARTIUM, adjectis *Libro XII. Epp.* POLITIANI, ubi, præter alia, *alteram Miscellaneorum Centuriam*, opus prorsus compositum & elimatum, *privati juris* a nonnullis *factam*, *& in eorum devenisse manus*, conqueritur, *qui aut talia non agnoscant, aut, si agnoscant, dissimulent.* Magno igitur posteritatis solatio, in his ipsis *Epistolis* præcipua eorum, quæ in Commentariis illis disputaverat POLITIANUS, argumenta indicavit CRINITUS, *ut furta quorundam* (ita sunt verba ejus) *deprehendi facilius possent, si hæc aliquando, qui togati obambulant, pro suis depromant. Futurum enim*, ait, *ut ex rerum saltem indiciis facilius istis plagiariis pudor imponatur, si quando talia pro suis ediderint.* Patet vero ex ejusdem CRINITI testimonio, id præcipue in hoc libello, quem furaces improborum manus nobis abstulere, actum a POLITIANO, ut in intima Juris Romani viscera penetraret, nec in enodandis iis ipsis legibus, quæ aliis inexplicabiles viderentur, versatus frustra diceretur. Idem CRINITUS secum servavit *Quaternionem* quendam, manu POLITIANI scriptum, quo fuerat ille pauculas in Jus Civile annotationes complexus. Meminit hujus GUIL. BUDÆUS in *Annotationibus ad Pandectas p. 67*, sed qui, cum addit judicium suum, parum POLITIANO honorificum, satis, quo fuerit erga illum animo, ostendit, nec is nobis videtur, quem laborum suorum judicem agnoscat Noster. Audiamus tamen accusationis formulam: *Cum aliquando apud Petrum Crinitum, Florentinum, essemus, hominem & comitate & doctrina singulari præditum, — — inter contrectandos nonnullos ejus libros, in quaternionem*

incidimus, manu Politiani ſcriptum, in quo Annotationes paucula erant, conſulta (ut videbatur) obſcuritate congeſtæ, ut, ſi forte intercidérent, a nullo legi poſſent. Sic enim erat ingenium hominis. Pleræque tamen frigidæ ſcrupuloſitatis, & contemnendæ. Profert deinde harum Annotationum ſpecimen, de cujus pretio Lectores, malo, quam me ipſum, exiſtimare. Iniquitatem in his BUDÆI verbis animadvertiſſe ipſe AUGUSTINUS videtur, qui, parum abeſt, quin credat, obſcuris his POLITIANI notis opportune BUDÆUM in rem ſuam uſum; ſi quidem recte interpretor verba ejus in *Lib. IV. Emend. 14: Non ſcrutor, quantum — — Budæus, atque alii, ſi qui ſunt, ex Politiani obſcuris, ut ipſi ajunt, notis profecerint.*

(*k*) Erat jam in eo Noſter, ut ampliſſimos in Jus univerſum *Commentarios* conficeret, quibus id conſecuturum ſe ſperabat, ut priſtinum nitorem ſuum reciperet barbara tunc & inculta Jurisprudentiæ facies. Sed ſerio has curas animo volventem, mors præmatura intercepit, non Italiæ tantum, ſed omnium terrarum eruditis, luctuoſiſſima. Meminit hujus inſtituti ALDUS MANUTIUS, editor ſcriptorum POLITIANI, & ob id iſtarum rerum peritiſſimus, in *Epiſtola ad* MARINUM SANNUTUM, *Operibus* POLITIANI præmiſſa: *— — ſi annos ſuos vixiſſet, & leges ex Pandectis, quæ olim Piſanæ fuerunt, in priſtinam, quod cœperat facere, lectionem reſtituiſſet, Commentariosque in illas, quod prædicabat, non barbare, ſed more Romano, & doctiſſime, confeciſſet.* Sed quid alienis utamur teſtimoniis, cum ipſe nos expectare *Commentarios* illos POLITIANUS jubeat, partim in *Prælectione Lamia*, ubi hæc profert: *Commentarios jam diu ſimul in Jus ipſum civile, ſimul in Medicinæ Autores, parturio, & quidem multis vigiliis*, &c. partim in *Epiſtola ad* MARQU. BREISACIUM, qua univerſam inſtituti hujus rationem exponit amico ſuo, idque daturum ſe operam promittit, ut, quæcunque Juris JUSTINIANEI loca partim ab ipſis interpretibus miſere corrupta, & in alienum detorta ſenſum eſſent, ex Codice Florentino, & Autoribus antiquis, unde ſtilus Pandectarum lucem accipit, ſuæ & integritati & elegantiæ reſtituerentur. Omnem tandem dictorum ſummam in pauca hæc contra-

tractam vides: *Quapropter operæ pretium me facturum credidi, si Commentarios aliquos evigilarem, quibus in integrum corrupta diu lectio restitueretur, & linguæ Latinæ vis, quæ tota pæne in legibus est, explicaretur.* Sed quid mirum, horum nihil post mortem ejus publicatum, cum altero statim a scriptis his literis (annum enim 1493 subnotatum vides,) anno e vivis excesserit, vixque primis tanti operis lineis ducendis tempus sufficisse tam breve videatur.

§. 16.

Copiose hactenus præclara POLITIANI in universum literarum genus merita, admirabilemque ejus doctrinam, laudavimus. Quæ cum ante oculos omnium posita, nec ignota cuiquam, essent; non mirandum adeo, amicos POLITIANO ex omni non Italia tantum, sed, qua patet, Europa cultiore, præstantissimos quosque obtigisse. In quibus ut nemo fuit, qui non tenerrime eum complecteretur, haberetque in dilectissimis, ac velut pulcherrimum virtutis exemplar continuo in oculis gestaret; (*a*) ita præ ceteris studiosissimos amantissimosque sui habuit Marsilium Ficinum, (*b*) Jo. Picum, (*c*) Herm. Barbarum, (*d*) Hieron. Donatum, (*e*) Ludov. Bigum, (*f*) Platinum Platum, (*g*) Andr. Dactium, (*h*) Titum Vespasianum Strozam, (*i*) Jo. Reuchlinum, (*k*) Cassandram Fidelem, (*l*) & Alexandram Scalam, (*m*) ma-

magni nominis ſingulos, quos ille viciſſim diligenter coluit, nec exquiſitis tantum laudibus, ſed officiis etiam vere fraternis, proſecutus eſt. (*n*) Neque vero amicorum tantum voluntatem & benevolentiam, ſed, ut nunquam virtuti obtrectator defuit, acerbiſſima etiam, & tantum non capitalia, invidorum odia, expertus eſt; quibus etſi famam maxime exiſtimationemque ſuam peti intelligeret, animum tamen adverſus has injurias ſemper invictum ſervavit, nec, opprimi virtutem ſuam, paſſus eſt unquam. Nihil commemoro de his, qui clam & per inſidias oppugnatum ivere dignitatem ejus, quorum & fuiſſe multos numero, & eos ad nocendum intentos valde, perquam mihi veroſimile videtur. (*o*) Ampliſſimam dicendi materiam præbere ii poſſunt, qui plenis turmis invaſerunt in virtutem ANGELI, & ſimultates cum eo non atroces tantum, ac pæne internecinas, ſed publicas etiam annoſasque, aluerunt. Hos inter vehementiſſimi, & ad rabiem usque truculenti, fuerunt Georg. Merula, (*p*) Barth. Scala, (*q*) Mich. Marullus, (*r*) Jac. Sannazarius, (*s*) Pacificus Maximus, (*t*) Andreas Dactius, (*u*) & Joannes Parrhaſius, (*x*) quem ipſum, etſi in re literaria diſſentien-

tientem a POLITIANO, multo tamen fuiſſe leniorem mitioremque ceteris, apparet. Horum cum tanta fuerit obtrectandi libido, ut omnes modeſtiæ ac pietatis fines longiſſime transſcenderit; veniam utique POLITIANO dari fas exiſtimo, ſi quando irarum fervore nimio incaleſcentem, vi non iniqua vim repuliſſe injuſtiſſimam, intelligamus. (y)

(a) Quantus eorum fuerit numerus, quibus uſus eſt familiariſſime POLITIANUS, ſi non aliunde, ſaltem ex Libris Epiſtolarum ejus, quæ Lectorum cuique patent, cognoſci luculenter poſſet. In his enim quot legis *Epiſtolas*, tot teſtes habes amoris prolixiſſimi, quo Italorum eruditiſſimi quique proſecuti ſunt virtutem & doctrinam ANGELI. Quos inter ſi magna illius ætatis nomina, POMPONIUM LÆTUM, BAPT. GUARINUM, PHIL. BEROALDUM, NIC. LEONICENUM, PHIL. CALLIMACHUM, LUD. ODAXIUM, M. ANT. SABELLICUM, JAC. ANTIQUARIUM, CÆSAREM CARMENTUM, ANTON. CODRUM URCEUM, FRANC. PUCCIUM, AUGUSTINUM MAPHEUM, JO. FRANC. BENEDICTUM, TYDEUM ACCIARINUM, BACCIUM UGOLINUM, ALDUM MANUTIUM, MATTHÆUM BOSSUM, PAUL. CORTESIUM, BARTH. CHALCUM, MICH. ACCIARINUM, SCIPIONEM CARTEROMACHUM, RAPH. VOLATERRANUM, aliosque ejus famæ & dignitatis multos, conſpicis, ſatis, in quanta vixerit exiſtimatione Noſter, intelligis. Plura de his dicere ſuperſedeo, nec id ago, ut exquiſitæ illæ tenerrimi amoris formulæ, quibus uſus eſt unusquisque horum, in unum hic congeſtæ cumulum legantur, quippe id indicaſſe Lectoribus ſatis habens, ita comparatas ad unam omnes videri, ut nihil his ſcribi ſive ad ſignificandum amorem, ſive ad laudem POLITIANI, accommodatius

tius potuerit. Taceo alios POLITIANI familiares, quorum etsi nullæ exstant ad eum Epistolæ, amicitiam tamen aliorum ad Nostrum literæ, aut ipsius POLITIANI passim scripta, testantur. Quo in numero sunt CHRISTOPH. LANDINUS, JO. CAVALCANTES, ROB. SALVIATUS, PETRUS CRINITUS, aliique complures. Ex quibus cognosci potest, quanta injuria facta sit POLITIANO ab HENR. BRENCMANNO, cum *Lib. IV. Cap. 1. Histor. Pandect. p. 316*, *invisum fuisse tantum non omnibus suæ ætatis eruditis*, scribit. Neque vero eruditos tantum, & in Musarum castris commilitones, sed, quod CÆSAR CARMENTUS scribit in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. IV. Ep. 3*, *supremæ* etiam *fortunæ* viros, maxime *amicos* habuit POLITIANUS, & humanissimæ ei ab ipsis Regibus, summis Pontificibus, viris Purpuratis, & Episcopis, literæ venere, vel ob id posteritate dignissimæ, quod egregium exemplum præbeant illius studii, quo literarum tuendum honorem primarii quique in republica viri susceperunt. Plura ut hic addam, vix exposcat Lector, quippe eorum probe memor, quæ supre *§. VIII. not. b, c, d, g*, satis eam in rem copiose sunt allata.

(*b*) Ut amicorum non idem omnium genus est, nec iisdem ardent omnes amoris igniculis; ita a numeroso eorum grege, quos amantes studiososque sui habuit POLITIANUS, facile segregari ii pauci possunt, quibuscum ipse præ ceteris conjunctissime familiarissimeque vixit. Primum in his locum dedi MARSILIO FICINO, Philosophorum PLATONICORUM sua ætate principi, cui ab eo inde tempore, quo institutione ejus usus est, ita carus fuit POLITIANUS noster, ut vix magis esse filius parenti possit. Ipse FICINUS POLITIANUM inter eos, qui sibi sint *consuetudine familiares*, *confabulatores*, *atque ultro citroque consiliorum disciplinarumque liberalium communicatores*, refert in *Epistola ad* MARTIN. URANIUM, quæ est *Lib. XI. Epp.* FICINI *Ep. 27*. Ejus amoris certissimæ etiam interpretes sunt variæ FICINI ad POLITIANUM Epistolæ, quarum alias *Libro VI*, alias *Libro IX Epistolarum* POLITIANI legimus. Exstant eædem *Libro I, VI, & XII Epistolarum* FICINI, conjunctim editarum, in quarum & *Libro I* quatuor

alias

alias habes, Lector, quæ in POLITIANI *Epistolis* minime sunt obviæ. Spirant hæ omnes singularem quendam ac vere paternum affectum, tamque blanda sunt ac mollia hic verba omnia, ut fucum hic suspicari vix lectorum quisquam audeat. Nunc *suum* vocat, nunc *Poetam Homericum*, nunc *divinum* prorsus. Sed magnifica inprimis est *Herculis* appellatio, qua in libro *de Vita* donaverat POLITIANUM, dubito, an hoc nomine multas ipsi gratias habentem. Ita enim ea de re ad FICINUM POLITIANUS noster *Lib. VI. Ep. ult.* : *Herculem me vocas in libro tuo de vita, quod monstra domem, puto, illa intuens monstra, quæ veterum libros nimis obsident, in quibus ego purgandis diu multumque laboro. Magnifica laus, præsertim a Philosopho illo, qui sit princeps in secta principe. Sed ego tanti nominis pondus sustinere non queo, non magis, quam cœlum, quod ipse tamen Hercules sustinuit. Iolaum potius appellato me, si speciosis nominibus delectaris : quod pæne oppressæ ab Hydra vetustati, velut Herculi clamanti, sum præsto cum face. Tu tamen indulgens amori, (quod & parentes alii facere solent,) nomen imposuisti filio, non quod aptissimum, sed quod pulcherrimum.* At ipse PICUS tantopere sibi ingeniosa hac appellatione placuit, ut denuo scriberet ad POLITIANUM, *Lib. IX. Ep. 12* : *Contra multos Astrologos, qui more gigantum eripere cœlum Jovi tam frustra, quam impie, moliuntur, merito & Picus, alumnus Palladis, & tu miles Herculeus, sæpe feliciterque certatis. Nempe Palladem Orpheus gigantum expultricem canit, & ab Hercule Poetæ multi gigantem Antæum a terra simul, & e vita, sublatum ferunt.* Et paulo post : *Tu enim semper hac in causa, ut ubique soles, te Herculem præstitisti. Soles profecto jam diu hæc Astrologorum prodigia, ut alia monstra, passim acriter insequi, ut non in terris solum, sed etiam in cœlo, monstra fortissimus Hercules expugnaveris. Utinam denique, sicut Herculi, sic & tibi, superata tellus sydera donet.* POLITIANUS vero, cum, serio rem agi a FICINO, nec invidia carere divinum hoc cognomentum, intelligeret, serio, &, quod puto, prudenter, respondit : *Illud vero, nescio, satisne probem, quod Herculem vocare me pergis. Tu quidem, opinor, jocularis. Sed tamen, ansam, timeo, ne præbeas cavillandi,* ri-

ridendique, malevolis, & invidis, quibus nemo unquam vir bonus ac doctus caruit. Quod enim tu, si non amore deceptus, (quanquam id potius) at levi certe similitudine, qua parva sæpe magnis comparamus, adductus, mihi tribuis, hoc isti maligni interpretes adulationi, credo, potius assignabunt, ac me quoque ridebunt, ceu si de eo mihi cognomine multum placeam. Nec vanus fuit metus iste; quandoquidem hinc statim obtrectandi occasionem rapuit BARTHOLOMÆUS SCALA, acerrimus Nostri æmulus, qui salse admodum hæc ei exprobravit in literis ad ANGELUM, *Lib. XII. Epp.* POL. *Ep. 16: Appellant te quidem Herculem, neque te invito, quod audio, ut puta qui tibi temporis hujus monstra, præsertim quantum ad literas pertinet, superanda susceperis. O ego tardi ingenii, qui, quid id rei sit, nescíverim hactenus perspicere. Es tu quidem Hercules, vel multo etiam meliore conditione, quam ille Jovis filius, Alcides, quem imperii necessitas trahebat in periculum. Ille jussa adibat monstra, tu tibi ea confingis, instruisque, ut superari a te queant. His demis arma, hæc enervas viribus prius, quam aggrediare, etiam quæ nulla sunt: &, quæ tu pro ingenio effinxeris, evicta a te trahis in popularem gloriam. Si placet, volo & ego indere tibi aliquod cognomentum. Volo, ut sis mihi Hercules fictitius, nomen certe factum ex re, habiturum apud te quoque autoritatem.* &c. Sed legi etiam merentur, quæ Epistola hanc statim subsequente contemtim & cum bile POLITIANUS respondet. Redeo jam ad FICINUM, studiosum POLITIANI sui ad invidiam aliorum usque. Hunc vicissim POLITIANUS, non tam ut amicus amicum, quam ut parentem filius, coluit, quin disertis verbis *filium* FICINI se ipsum dicit in literis ad eum, *Lib. VI. Ep. ult.* Et, quæcunque exstant *Libro VI & IX* POLITIANI ad FICINUM Epistolæ, ejus partim in Philosophiam Platonicam, partim in POLITIANUM, merita exquisitis laudibus concelebrant. Invitavit etiam subinde FICINUM in Fæsulanum rusculum, Medicæorum secessum suburbanum, ibidemque, eo socio, inter pocula confabulationesque jucundas genium suum bonumque otium fefellit.

(*c*) Non fallitur in eo GERH. JO. VOSSIUS, cum *Joannis Pici*, Mirandulani Ducis, subtilis & ingeniosissimi Philosophi, *indivi-*

dividuum ſtudiorum ſocium POLITIANUM dicit *Lib. III. de Poet. Lat. p. m. 628.* Et res ipſa docet, vere ſcripſiſſe JO. FRANC. PICUM, hujus JOANNIS ex fratre nepotem, in *Vita Pici*, hujus *Operibus* præmiſſa : *Literario amore duos ſibi potiſſimum devinxit Jo. Picus, Angelum Politianum, virum Græce Latineque doctiſſimum, nec non variarum literarum floribus refertum, ac prope vindicem Latinæ linguæ ; alterum Marſilium Ficinum*, &c. Sane POLITIANUS, ſi quando in mentionem PICI incidit, tantis eum laudibus extollit, ut nihil fere magnum ſit & eximium, quo non admirandum dicat. Cujus generis ſunt illa *Cap. XC Miſcellaneorum : Talis eſt item Joannes Picus hic meus, e Mirandulanis Principibus abſolutiſſimum naturæ opus, a quo Philoſophia Latine jam meditans loqui, ſummum, puto, faſtigium accipiet.* Et pertinet huc maxime longa illa virtutum PICI narratio, quæ *Miſcellaneorum* Caput ultimum ornat, & cujus vel ultima verba huc proferam, quod teſtimonium clariſſimum præbeant illius vinculi, quo conjunctus PICO POLITIANUS vixit : *Is igitur continuo me, cum quo partiri curas dulciſſimas, & nugari ſuaviter, ſolet, & quem ſibi ſtudiorum prope aſſiduum comitem (qui ſummus honor) allegit, is me inſtitit ad Philoſophiam* &c. Nec diſſimulat ibidem, PICI potiſſimum conſilio, & amicis adhortationibus, factum, ut, quam antea faſtidiverat pæne, certe ſegnius fuerat conſectatus, ardentius jam complectendam, ſuaque opera in majori luce collocandam, Philoſophiam duxerit. Nec minus illud tenerrimo amori tribuendum, quod, ingenioſa nominis mutatione, PICUM hunc *Phœnicem ſuam, in ſacra Medicum lauro nidificantem*, dixit, ut ex BACCII UGOLINI ad ROBERTUM SALVIATUM, (*Lib. VII. Epp.* POL. *Ep. 5,*) & ex ipſius POLITIANI ad HIERON. DONATUM literis, (*Lib. II. Ep. 10,*) patet. Sed omnium maxime POLITIANI erga Principem Mirandulanum amorem teſtantur ejus variæ ad PICUM Epiſtolæ, quæ *Libro I, VII, & XII Epp.* POL. leguntur, nihil pigmentorum habentes, ſed aperte & familiariſſime ſcriptæ. Laudant hæ divinum ingenium PICI, & inſignes in Philoſophia & poeſi progreſſus, aliaque magna omnia, quorum copia mirifice inſtructum fuiſſe hunc Principem,

vel ipsa ejus scripta testantur. Neque vero id unice agunt, ut laudent PICUM, sed monent etiam interdum, leniterque objurgant, hoc certius, quod puto, ab amico profectæ, quo longius ab adulandi studio remotæ. Specimen ejus rei *Epistola IV Libri I* exhibet, quæ expetenti id PICO liberum exponit de ejus versiculis judicium, probans alios, alios plausu non satis dignos pronuntians. Nec lectu indignum est Epigramma Græcum, quod in *Libri I. Epistola* 7, & in Volumine *Epigrammatum* ejus, legitur, quo facultatem PICI poeticam extollit, nec non aliud, quo vehementer indignatur Astrologis nonnullis, quorum invidiam ipsi contraxerat jucundissima PICI consuetudo. Sed constantissimus is in amando fuit, nec ab ANGELI sui commercio divelli se unquam passus est. *Contubernalem suum* ipse vocat in *Epistola ad* BAPT. MANTUANUM, quam legis inter Epistolas PICI, a CHRISTOPH. CELLARIO editas, *n. 34;* & *in re literaria socium individuum* in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. XII. Epp.* POL. *Ep. 4.* Sæpe etiam unius POLITIANI causa Florentiam concessit, communia hic cum eo seria jocosque habiturus. Faciunt huc, quæ ipse scribit in literis ad JAC. ANTIQUARIUM (*Epp.* PICI *n. 38*, & *Lib. IX. Epp.* POL. *n. 8*): *Inter voluptates, quas, cum eram Florentiæ, de Politiani consuetudine maximas capiebam, viri mea sententia nostro ævo omnium literatissimi, non erat illa mediocris*, &c. Ex quo amicissimo congressu hunc fructum tulit POLITIANUS, ut in Philosophiæ inprimis studia majore, quam antehac, ardore incumberet, felicissimosque brevi tempore in his progressus faceret. Unde ad POLITIANUM NIC. LEONICENUS, *Lib. II. Epp.* POL. *Ep. 7*: *Nec sane mirandum, te unum esse perpaucorum, qui ætate nostra eloquentiam cum sapientia junxerunt, cum in ejusdem sapientiæ studio habeas ducem ac comitem divino virum ingenio, Joannem Picum Mirandulanum nostrum, cum quo dies ac noctes in omni doctrinarum meditatione verfaris*: &c. Epistolæ præterea, quas ad POLITIANUM dedit PICUS ille, *Libro I & XII Epistolarum* POLITIANI insperfæ, amoris non fucati luculentissimum exemplum præbent; id quod inspicienti cuivis facile apparet. Quanti vero æstimaverit doctrinam Nostri, non ex eo tantum liquet,

liquet, quod præclarum *de Uno & Ente* opus uni POLITIANO, tanquam peritissimo istarum rerum judici, esse sacrum jussit, sed illud cummaxime testatur, quod, si quid interdum libellorum excuderat, id, priusquam ederetur, limandum POLITIANO, & utcunque castigandum, permitteret, ut patet ex *Epistola* ejus *ad* POLITIANUM, *Lib. I. Epp.* POL. *Ep. 3.*

(d) Consulto HERMOLAUM PICO adjunxi, quod horum & inter se, & cum POLITIANO, tam arcte colligata amicitia fuerit, ut vix colligari arctius potuerit. Quod, si aliunde non constaret, vel ipsius testimonium POLITIANI nos doceret, ita ad PICUM scribentis *Lib. XII. Ep. 1: Quantopere me semper, dum vixit, Hermolaus Barbarus dilexerit, quantum ego illi vicissim tribuerim, notum tibi, mi Pice, qui ita utrumque amabas, ita rursus ab utroque amabaris, ut, sicut uterque se esse apud te primum, sic tu primum te esse apud utrumque existimares. Adeoque singularis hic inter nos amor alios delectabat, alios rursus perstringebat, ut, qui unum vel laudabat e tribus, vel vituperabat, idem sibi ceteros vel laudandos esse, vel vituperandos, arbitraretur.* Contraxit hanc cum HERMOLAO amicitiam Noster anno circiter 1481, cum Venetias visendæ civitatis caussa se contulisset, ut patet ex LVD. ODAXII ad POLITIANUM *Epistola, Lib. III. Epp.* POL. *Ep. 5.* Tumque in id amicissime conspirarunt, & conjunctis viribus incubuerunt hi Triumviri, ut, quæ bonis literis interitum minabatur, longissime propellerent barbariem, & situ obsitas in pristinum nitorem liberales artes restituerent. Jucundissimæ sunt HERMOLAI ad POLITIANUM, hujusque ad illum literæ, *Lib. I. Epp.* POL. *Ep. 9 & 10*, quibus alter alterius adversus barbaros opem implorat, uterque gravissimum rectioris doctrinæ hostibus bellum indicunt, & ad debellandos hos sanctissima fœdera pangunt. Ab eo tempore majus in dies robur accepit eorum amicitia, purissimumque candorem præ se ferunt, quas *Libris I & IX Epp.* POLITIANI legimus, mutuæ eorum Epistolæ. Omnia dixero, si, quæ ipse de arctissimo hoc vinculo POLITIANUS in *Epist. ad* BARBARUM, *Lib. I. Ep. 11*, scribit, huc attulero. *Non amicitiam nostram*, inquit, *blandi-*

mentis istis & assentationibus indecoris, & ineptis, atque optimo cuique maxime suspectis, addo etiam vulgaribus, fovemus. Non tamen ullo loco vel studio desumus alter alteri vel officio. Speciosa ista & popularia benevolentiæ ostentamenta, quasique fucum, & præstigias, neque tu, arbitror, desideras, & ego abominor. Quodsi vero eos plerumque præ ceteris nobis amicissimos existimamus, in quorum scriptis laudes nostras legimus, isque nobis certissimus amor putatur, qui publice & ante oculos omnium significatur; nec hoc officiorum genere defuisse sibi viri optimi, HERMOLAUS & POLITIANUS, videntur. Nam, quod ad HERMOLAUM, is de se ipse in literis ad POLITIANUM, *Lib. I. Epp.* POL. *Ep. 9: Post discessum tuum Venetiis ad te scripsi nunquam, de te sæpe: nec scripsi modo sæpe, sed etiam locutus sum de te, quoties incidebat, incidebat autem, cum volebam, volebam semper. Omnino multus mihi in ore Politianus est, eritque, dum vixero.* Vicissim ad HERMOLAUM POLITIANUS *Lib. I. Ep. 11: Cave, putes, Hermolae, non diem dixerim, sed horam pæne ullam, præterire, in qua non ego de ingenio, de literis, de prudentia, de consilio, de humanitate, de candore, de studiis denique tuis, prope declamitem. Testis Medices Laurentius meus, testis hic item Mirandula Picus, heroes (arbitror) duo, non viri, quos aut auditores habeo laudum tuarum attentissimos, aut benevolentissimos prædicatores. Jam apud eruditam juventutem, & familiarium cohortem, tantum de te loquendo profecimus, ut unus utique habeare, non solum doctissimus, sed & humanissimus, & prudentissimus. Porro autem, ut Epistolas, ut orationes omiserim, in queis de te semper a nobis illustris mentio facta, vel hæc ipsa, quæ mox edentur, Miscellanea nostra, cum quidam (ut Horatius inquit,) dignus vindice nodus incidisset, te scilicet una cum Laurentio Picoque judicem sibi contra rudem inscitiam nuncupaverunt.* Et, vere hæc ab illis prolata, non ignorat, quisquis scripta utriusque diligentius inspexerit. Ex quibus scilicet illud etiam cognosci potest, nihil impedimento fuisse arctissimam eorum conjunctionem, quo minus interdum de literariis argumentis inter se amice dissentirent. Ubi operam uterque dedit, ne verbum elaberetur, quod scriptum immodestius videri posset. Talis fuit

liticu-

liticula, quæ ſuborta eſt POLITIANO cum BARBARO de vocis *entelechia* ſcriptura. Fecerat cum iis POLITIANUS *Miſcellan. Cap. 1*, qui *endelechiam*, non *entelechiam*, ſcribunt. Minus recte id factum, oſtendit BARBARUS in eruditiſſimo *Plinianarum Caſtigationum* libro. Sed ita in refutando ſe geſſit, ut nihil minus, quam refutare, viſus ſit. Audi POLITIANUM in *Epiſt. ad* JO. PICUM, *Lib. XII. Ep. 1*: *In me unum tamen paulo fuit indulgentior: ubi enim occaſio laudandi, nominatim me citat: ubi rurſus diſſidet, rem refellit ipſam, nomini parcit.* Eadem, quam modo dixi, Epiſtola ab objectionibus BARBARI ſententiam ſuam vindicat POLITIANUS, ſed modeſtiſſime prorſus, & intermixtis multis doctrinæ tanti viri præconiis. Quantum vero ex præmatura HERMOLAI morte, quæ incidit in annum 1494, eundem nempe, qui & POLITIANO atque PICO fatalis fuit, vulnus acceperit POLITIANUS, doceat nos PETRUS CRINITUS, cujus *Lib. I. de Honeſta diſcipl. Cap. 7* verba ſunt: *Quo tempore has noſtras Commentationes meditabar, relatum nobis eſt, Hermolaum Barbarum (qui Romæ tum agebat,) peſtilentiæ morbo affectum, lethaliter decumbere. Quæ res Picum Mirandulanum & Angelum Politianum, viros & ingenio & doctrina nobiles, ita ſtatim commovit atque affecit, ut illachrymari propemodum cœperint, ac ſortem bonarum literarum maxime deqaeſti ſint; quaſi in hoc uno homine Romana res periclitari videretur, neque jactura quidem, ſed naufragium, foret, ſi Hermolaus interiret.* Refert etiam JOVIUS in *Elog. doct. vir. Cap. XXXVI. p. 87*, quamprimum de lethali HERMOLAI morbo nuntius perlatus ſit Florentiam ad aures PICI & POLITIANI, hos ſtatim per diſpoſitos equos Romam miſiſſe miræ poteſtatis antidotum, ſed cujus vim præverterit morbi vehementia, qui jam tum ſuſtulerat BARBARUM, longiore vita, quod fatentur omnes, digniſſimum. Neque dolore tantum & lamentis proſecutus eſt viri amiciſſimi funera, ſed ferali etiam carmine manibus ejus parentavit, quod inter tot lugubres cantus, quos doctiſſimorum virorum dolor expreſſerat, publico Senatus Romani ſuffragio, primo omnium loco monumentum BARBARI, in æde S. Mariæ de Populo magnifice exſtructum, ornavit. Id,

cum minime ſit obvium in libro Carminum POLITIANI, ex GEORG. JOS. EGGS *Libro III. Purpuræ doctæ p. 273*, & JOVII *Elog. vir. doct. l. c.* nec non NIC. COMN. PAPADOPOLI *Hiſt. Gymn. Patav. T. II. Lib. I. Cap. 8. p. 28*, ſed qui poſteriores duo tacent POLITIANI nomen, huc transferri, operæ pretium videtur:

Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem,
Barbarus hic ſitus eſt; utraque lingua gemit.
Urbs Venetum vitam, mortem dedit inclyta Roma,
Non potuit naſci, nobiliusve mori.

(*e*) Occupat & DONATUS iſte, Patricius Venetus, ad latus PICI atque HERMOLAI locum aliquem, quod eleganter Triumviros hos literarios, ſibi amiciſſimos, ipſe POLITIANUS conjungit in literis ad DONATUM, *Lib. II. Ep. 10*: — — *tibi quoque non abhorrens videor a Muſis, Picoque item ipſi, & fortaſſe Hermolao, Triumviris ſcilicet literariis*: *qui ſi me vel tantillum probatis, jam nunc medium oſtendo digitum non popello tantum & literatoribus, ſed Philoſophis adeo ipſis, ne excepto quidem Platone ipſo, ſed Florentino.* Excellentis vir doctrinæ, literarum Græcarum pariter, ac Latinarum, peritiſſimus, fuit, etſi de ejus in ſtudia elegantiora meritis ſecure taceant vulgares Biographi. Nimirum, digna hæc eſſe, quæ poſteris narrentur, patet ex his, quæ JOVIUS in *Elog. doct. vir. Cap. XLVI. p. 123*, & GESNERUS in *Biblioth. p. 328. A.* nos docent. Mihi, præter *Epiſtolas* ejus quatuor ad PICUM & POLITIANUM, quas lego *Lib. II. Epp. POL.* terſiſſimas profecto & melle conditas, ſcriptorum ejus nihil inſpectum eſt. Sed ex his ipſis ſatis, quantus vir fuerit, addo, quam addictus POLITIANO, intelligo. Hunc *virum* πολιτικώτατον in *Epiſt. ad ipſum, Lib. II. Epp.* POL. *Ep. 11*, & *ſplendorem ætatis ſuæ*, & πᾶν ἐπ' ἀληθέιᾳ πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος, dicit in *Epiſt. ad* PICUM, *Lib. II. Epp.* POL. *Ep. 9*, viciſſim tribus a POLITIANO Epiſtolis tenerrime ſalutatus. Nec Epiſtolis tantum, ſed pulcherrimo etiam carmine, inſignem erga POLITIANUM amorem teſtatus eſt. Facit ejus mentionem POLITIANUS *Miſcellan. Cap. XC*, cujus verba, cum ſint horum utrique honorifica, hic jure quodam ſibi locum

cum poscunt. *Hieronymus Donatus*, inquit, *vir, nescio, utrum gravior, an doctior, an etiam humanior, certe omni lepore affluens, omni venustate, cujus tamen ob id vereor, ne levior cuiquam censura videatur, quoniam me pulcherrimo carmine, sed & Epistola una atque altera, mire laudavit. Licet enim tantum boni de me ipso, qui multum a tolerabili, nedum a perfecto, absum, pudeat credere; magis tamen tanto viro pudet non credere, talia de me sic (ut apparet) ex animo affirmanti, dum nostra hæc, qualiacunque sunt, arriserint.* Sed subtraxit posteris, ut videtur, carmen hoc invidia temporum; certe, quocunque circumspicias, nusquam id legis. Neque id ipsum nobis compertum est, Italicane, an Græca, an Latina, lingua sit compositum. Quin de poetica DONATI facultate scriptores, qui de ejus vita commemorant, prorsus omnes tacent.

(*f*) Fuit iste BIGUS ortu Ferrariensis, carminibus magis, quam aliis ingenii monumentis, famam consecutus. Sunt illa *Carminum illustr. Poet. Ital. Tomo II* adjecta, legiturque in his *p. 235* Epigramma *ad Angelum Politianum*, unde patet, familiaritatem ei cum POLITIANO arctissimam intercessisse. En integrum:

Cum sis & vates, nostri decus, Angele, secli,
Et mihi Phocea junctus amicitia;
Quis credet de me tibi tanta? poetica quando
Fingat, & ex facili decipiatur amor.

Facile hinc colligas, fuisse antea carmine laudatum a POLITIANO BIGUM, sed, id quale sit, fateor, me ignorare. Neque enim in *Carminibus* POLITIANI, neque in ullo librorum ejus, BIGI hujus legere me nomen memini.

(*g*) Fuere & PLATINI hujus, patria Mediolanensis, præclara in poesin Latinam merita, leguntur que tersissima ejus Carmina in *Carm. illustr. Poet. Ital. Tomo VII*, &, ut GESNERUS in *Bibl. univ. p. 563. B.* testatur, in *libro Epigrammatum scholæ Christianæ*, *Basileæ* edito. An præter Carmina quidquam exstet librorum ejus, jam non definio, utpote quem, nemo est Scriptorum, qui hæc edoceat. Sed illud clarum est ex his Carminibus, POLITIANI adolescentis amicum fuisse PLATINUM, etsi

ætate,

ætate, ut videtur, paulo provectiorem, quippe æqualem FRANC. PHILELPHI, ut ipſa hæc Carmina teſtantur. Habes hic *p.* 277. (*T. VII. Carm. Poet. It.*) venuſtam *ad Adoleſcentem Angelum Politianum* Epigramma, etſi non adeo tenere, tamen familiariter, ſcriptum:

Angele, cui puero facundia contigit omnis;
Angele, qui lingua clarus utraque vales;
Nulla tibi, ſolvens iſtinc, mea pignora liqui,
Dicor & abſentis nulla tuliſſe tui.
Nec potui tibi diſcedens auferre libellum,
Servandum dederam quem tibi caſtra petens.
Ut ſuus hunc peragat librarius, ipſe remittas,
Inque meas cures hunc revolare manus.
Annue, ſi domini communis honore moveris,
Cui me commenda, Nicolaoque meo.

(b) Et Orator eximius, & feſtivi ingenii Poeta, fuit DACTIUS, civis Florentinus, cujus ſcripta nominatim indicat JUL. NEGRI in *Iſtoria degli Scrit. Fior. p. 35.* Carmina ejus, neſcio, an omnia, adjecta ſunt *Carminum illuſtr. Poet. Ital. Tomo IV. a p. 1 ad 69.* Ex horum uno, quo POLITIANUM, ut in publicam exire lucem elegantes ingenii ſui partus ſinat, amice hortatur, ſatis intelligo, non ultimum ei inter amicos POLITIANI locum tribuendum. Exſtat id *l. c. p. 12*, cumque politulum ſit ac plenum laudum POLITIANI, non indignum videtur, quod & noſtra cura propagetur ad poſteros:

Angele, Pierios inter grave nomen alumnos,
Præcipuum noſtri temporis ingenium;
Quem bene conſultum fato ſervante, negabit
Jure ſoror nunquam Theſpias eſſe ſibi.
Erue congeſtos exculta mente labores,
Nec tuus incaſſum ſudor & algor eat.
Conſule venturo ſcriptis gravioribus ævo,
Vincat & hærentem poſteritatis amor.
Natus homo eſt homini, male grati pectoris ille eſt,
Ingenii quisquis condit avarus opes.
Gloria ſpernentem ſequitur; laus, utile, honorque
Vel fugiat, virtus ſufficit una ſibi.

Gra-

Gratius hirsutos inter rosa candida vepres
Ridet: & arenti pulchrior unda loco.
Exilit impatiens angusta sede teneri
Ocyus, & fertur lata per arva bonum;
Hoccine avaritiæ poterit cohibere potestas,
Victurusque brevi tempore livor edax?
Turpiter argenti cælat si pondera & auri,
Turpius ingenii condit avarus opes.
Quid nondum nati, quidnam meruere nepotes?
Ipsa luet patrum crimina posteritas?
Futile nomen honos, laudes, & gloria utrisque
Communis, virtus possidet una bonos.
Consuluisse suis æterna nepotibus illa est
Gloria, fama, decus, utilitas, & honor.

(i) Poetis Poetam jungo, TITUM VESPASIANUM STROZAM, Ferrariensem ortu, in arte poetica paucos ætate sua pares habentem, cujus Carmina nonnulla leguntur in *Carmin. illustr. Poet. Ital. T. IX. a p. 97 ad 174*, sed pleniora longe in Collectione *Carminum Strozianorum, Venetiis A. 1513* ab ALDO edita. Volumen hoc pervestiganti, obvenit *p. 121. b.* longa satis, nec invenusta, *ad Pollicianum* Elegia, canens argumentum admodum jucundum, *cur rosa grata sit Veneri, ac rubra?* Ea cum locum hic invenire haud possit integra, utpote longior, &, si argumentum spectes, rosæ magis, quam POLITIANI, laudibus dicata; sufficiet nobis, eorum, quæ pertinent ad ANGELUM, & amicitiæ, quæ huic cum STROZZA fuit, argumentum præbent, inde pauca attulisse. Ita vero sub initium Carminis Poeta:

Quæris, cur Veneri gratissima, curve coloris
Sit rosa purpurei, quæ prius alba fuit?
Ripa licet melius, Baptistaque, doctus uterque,
Eloquio valeant hæc aperire suo,
Et quamvis eadem Grais de fontibus hausta,
Attigeris scriptis, Polliciane, tuis;
Ne tamen a nobis tua non spernenda repulsam
Vota ferant, mentem, percipe, nate, meam.

Nulli dicta prius nostrorum, & cognita paucis
Restabant, tibi quæ Musa jocosa refert. &c.

Sane dulcissima *nati* appellatio, qua POLITIANO blanditur, non vulgarem inter eos conjunctionem animorum fuisse, meo judicio, abunde docet. Exstant & *p. 39. A.* alii ejus ad ANGELUM elegi; sed de quibus aptior infra dicendi occasio recurret.

(*k*) De REUCHLINI hujus in Ecclesiam & sanctiorem doctrinam meritis, non est, quod multa hic commemoremus, cum hæc pervulgata sint dudum, &, si quis eorum sit ignarus, ex JO. HENR. MAJI *Vita Joannis Reuchlini, Durlaci A. 1687* edita, abunde cognosci possint. Saltem, quæ hujus loci sunt, dicam breviter. Nimirum, cum is A. 1487, ætate jam tum satis matura, literarum causa iter in Italiam susciperet, & Florentiæ liberali hospitio frueretur LAURENTII MEDICÆI, communis doctorum hominum nutritoris, qui & utendam ei splendidissimam MEDICÆÆ gentis Bibliothecam concessit; factum tunc est, ut in eorum omnium, quibus hic cum literis commercium, & cum MEDICÆIS arcta necessitudo erat, familiaritatem veniret. In his præcipui DEMETRIUS CHALCONDYLAS, MARSIL. FICINUS, GEORG. VESPUCIUS, CHRISTOPH. LANDINUS, JOANNES & JO. FRANCISCUS PICI, & ipse noster POLITIANUS, fuere. Testatur hæc ipse REUCHLINUS in *Epistola ad Leonem X*, cujus mentionem facit doctissimus MAJUS *l. c. p. 171 seq.* qui & rem eandem in *Oratione de Jo. Reuchlino*, ipsi *Vitæ* præmissa, *p. 19 seq.* memorat. Ex scriptis POLITIANI vix cognoscere quidquam liceat, unde de amicitia, quæ ipsi cum REUCHLINO intercessit, constare possit. Nec in *Epistolis illustrium virorum ad Jo. Reuchlinum* sive POLITIANI ad REUCHLINUM, sive REUCHLINI ad POLITIANUM, ulla legitur, cum variæ FICINI, DEMETRII, & JO. FRANC. PICI, legantur *Lib. I & II.* Idem mecum animadvertit MAJUS *l. c. p. 172.* Viris hisce eximiis arctius conjunctus REUCHLINUS, singularem eorum doctrinam propius inspexit, & ab eo tempore tantum eos coluit, ut redux postea ex Italia, DIONYSIO, fratri, studiorum cursum adituro, visendam maxime Italiam,

liam, & audiendos excellentis illos doctrinæ viros, commendaret; id quod supra *§.V.not.(l)pag.85* dictum est plenissime. De itinere REUCHLINI in Italiam, & contracta cum celebratissimis Academiæ Florentinæ doctoribus amicitia, addo testimonium DESID. ERASMI, cujus in *Epistola ad* JO. REUCHLINUM, *Lib. II. Epp. vir. illustr. ad Reuchlinum*, verba hæc sunt: *Et in felicitatem tuam deploras? qui felicissimo illo Seculo videris Italiam, florente Agricola, Politiano, Hermolao, Pico, cui tam varia tamque recondita contigerit eruditio, qui tot summatibus viris notus ac familiaris fueris?*

(*l*) Honoris ergo nominamus illustrem hanc fama meritisque fœminam, qua doctiorem non vidit Italia, præstantissimorum ingeniorum fœcunda nutrix. Celebratissima sunt omnis ævi gentisque, maxime Venetorum, Scriptoribus, quæcunque animo ingenioque plus quam virili insigne hoc sexus sui ornamentum præstitit. Reliqua igitur omnia prætereuntes, quæ a nemine hic expeti videntur, vel unius hic *Epistolæ* POLITIANI ad ipsam hanc CASSANDRAM, quæ est ordine *17 Libri III. Epp.* POL. mentionem facimus. Universas hæc *puellæ doctissimæ* (ita enim in fronte *Epistolæ* vocatur,) laudes velut in nucleo complectitur, imaginemque ejus omnibus virtutis ac doctrinæ ornamentis condecoratissimam exhibet. In qua nisi plus datum amicitiæ, & studio, quo fœminas prosequimur, quam veritati, putes; non poteris non, lecta hac, de eruditione ingenioque Virginis magnifica omnia sentire. POLITIANO, quod videtur, amicissima fuit, deditque ad eum subinde literas, ut patet ex his, quæ sub initium *Epistolæ*, quam modo diximus, POLITIANUS scribit: *O decus Italiæ virgo, quas dicere grates, quasve referre parem, quod etiam honore me tuarum literarum non dedignaris? Mira profecto fides, tales proficisci a fœmina, (quid autem a fœmina dico?) imo vero a puella & virgine, potuisse.* Sed dubito, an hæ venerint ad posteros, certe POLITIANI *Epistolis*, quas cummaxime ornassent, non sunt additæ. Dicitur & JAC. PHIL. TOMASINO, qui diligenter nobilissimæ Virginis vitam descripsit, *amicissimus* CASSANDRÆ ANGELUS in *Elog. Vol. II. p.347*; testaturque idem Scriptor *p. 349*, videndæ potissi-

mum hujus puellæ caufa iter Venetias fufcepiffe POLITIANUM, hic *eleganti habitu & politiffimis verbis humaniter* ab illa exceptum.

(m) Sociam CASSANDRÆ ALEXANDRAM jungimus, BARTHOLOMÆI SCALÆ filiam, uxorem MICH. MARULLI, elegantiffimam Poetriam, nactam præcones multos, quos nominatim indicat JUL. NEGRI in *Iftor. degli Scrit. Fior. p. 23.* Fuit inprimis multis Carminibus decantata MICH. MARULLO, ipfius olim fponfo, poftea marito, cujus *Epigrammatum* libelli pleni funt laudum ALEXANDRÆ, quam blando *Neæra* nomine potiffimum hic celebrat. Hujus & patrem & maritum cum hoftes, ut mox dicetur, infenfiffimos haberet POLITIANUS; aluit tamen ipfa haud vulgarem cum eo amicitiam, tantumque eum, quantum licuit per leges honeftatis, amavit. POLITIANUS vero, etfi fummopere coluit doctrinam ejus, non minus tamen ipfa ejus forma raptus in amorem videtur. Non obfcure id cognofcas ex Græcis ejus ad ALEXANDRAM *Poetriam* Epigrammatis, quæ plena funt amoris tenerrimi, nec non fufpiriorum, ardentiffimique defiderii. Horum numero feptem leguntur in *Græcorum* POLITIANI *Epigrammatum* libello, in quibus nullum eft, quod non polite, terfe, & amanter, fcriptum fit. Nec infeliciter prorfus amavit ANGELUS, fi quid fufpicari licet ex his ipfis Carminibus. Exclamat enim in horum uno:

Εὕρηχ᾽, εὕρηχ᾽, ἣν ἤθελον, ἣν ἐζήτεον αἰεί,
Ἣν ἤγουν τὸν ἔρωθ, ἣν καὶ ὀνειροπόλουν.

Nec, quod huic refpondet, friget Græcum ALEXANDRÆ ad POLITIANUM Epigramma, quippe nihil diffimulans laudum POLITIANI, atque tale prorfus, quale ab amante, etfi cafta fimul, fœmina expectes. Placet inprimis elegans verfus ille, cum Hercule comparans POLITIANUM, idque carmine complectens, quod ftilo epiftolari expreffum a FICINO diximus:

Ἄστρα, Φύσις δ᾽, ἀριθμοὶ, ποιήματα, κίρϐις, ἰατροὶ,
Ἀλκείδη καλέει δ᾽ ἀντιμεθελκόμενα.

Nec

Nec munuſculis ALEXANDRÆ caruit, violis interdum ſuavioribusque floribus donatus, quod ejus tria Epigrammata teſtantur. Sed quid mutui muneris POLITIANUS offert? Ex oſſe pectinem, ſordidum & ad captandum amorem parum accommodatum munus. Sed offert tamen, ut certiorem facere puellam poſſet, cupidiſſimum ſe carneæ illius comæ eſſe, cui pectendæ vile hoc inſtrumentum inventum ſit. Audite illepidum Poetam:

Δέξο τὸν ἐξ ὀστοῦ, δάμαλι, κτένα τὸν τριχοτάκτην,
Δὸς δὲ τὸν ἐκ σαρκὸς τόνγε τριχωτὸν ἐμοί.

Quicquid autem fuerit amoris ejus, quo conjuncti utriusque horum animi fuere, parum abeſt, quin credam, ab ipſo amoris hujus uſu longiſſime abfuiſſe POLITIANUM. Queritur ſæpiſſime in his Carminibus, parce admodum & vix per annum ſemel ALEXANDRÆ ſibi conſpectum indulgeri, nec uſquam ejus veſtigia ſibi apparere, id quod unice cuſtodiæ parentis, BARTHOLOMÆI, tribuo, qui, alieniſſimus a POLITIANO, quam potuit, amori huic feciſſe remoram videtur.

(n) Tantum dedit amori erga hos, quos a ſuis ſtare partibus intelligebat, POLITIANUS, ut ſæpius dediſſe nimium diceretur, &, cum laudaret eos in Epiſtolis, in adulationis haud difficile ſuſpicionem incurreret. Quæ etſi locum habere neutiquam videtur iis in Epiſtolis, quæ ſunt ad ſummos terrarum dominos, MATTHIAM, Pannoniæ, & JOANNEM, Luſitaniæ Regem, principes omnibus præconiis majores, datæ, in quibus regnare effrænam quandam aſſentandi libidinem, perperam judicat HENR. BRENCMANNUS in *Hiſt. Pand. Lib. IV. Cap. 1. p. 316*, non æque tamen removeri forſan poſſit ab earum nonnullis, quas ad homines ſibi familiares & æquales dedit. Carpit id in POLITIANO JUL. CÆS. CAPACIUS in *Elog. illuſtr. viror. p. 350*: *Politianus uti livide, quam ſeveritate alienus quasdam ſcriptiones caſtigabat, ita contra, cum laudabat, redundantem dixeris. Teſtes laudes Hermolai, Barbari, Pomponii, Læti, Guarini, Beroaldi, Donati, Leoniceni, Sabellici, Puccii, Maffei, Ficini, Scalæ, Criniti, Antiquarii, Merulæ, & aliorum, quos habuit contemporaneos, & familiares, & eorundem ſtudio-*

 rum

rum amatores, & ad quos ſcribens, varios Epiſtolarum locos tanta eloquentia conſperſit, ut Oratorum potius dignitatem, quam familiaris ſermonis comitatem, fuerit amplexus. Vere hæc omnia CAPACIUS. Nam, ubi ſemel laudantis perſonam ſumſit POLITIANUS, nullum laudandi modum facit, ſed ingenii conſumit vires omnes, &, quam in promtu habet, eloquentiam effundit. Amice id ei exprobrat BAPT. GULARINUS in *Epiſt. ad eum, Lib. I. Epp.* POL. *Ep. ult.: Illud tamen monuiſſe, aut ſaltem rogaſſe, velim, ut & morſibus viventium, & laudationibus, (non enim adulationes appellaverim,) quam minime in ſcribendo utaris. Nam, præterquam quod ea res dignitati ſcribentis officit, multi ſunt, qui magis affectionibus animi id ſcribendi genus, quam vero judicio, acceptum referant.* Rem eandem in POLITIANO reprehendit ipſe LAURENTIUS MEDICÆUS, Deus Noſtri tutelaris, qui graviter ad eum in *Epiſt. V. Lib. X. Epp.* POL.: *Verum, cum tu in Epiſtola ad Michelotium imbecillitati animi noſtri diffidere non parum videaris, atque in tuis ad nos literis ſummopere virtutem atque ingenii noſtri dotes extollas, hæcque ſimul pugnare videantur, aut alterum falſum eſt, aut non ea es animi magnitudine, quam in me deſiderare videris. — — Nolo eſſe in parvis longior, ut non idem incurram vitium, quod in te vitupero, neque in iisdem literis & parva ſpernere, & prolixioribus verbis proſequi, videar.*

(o) Eos puto, qui, ubi in mentionem POLITIANI inciderunt forte, contemtim de eo & cum quodam faſtidio ſcripſere, dictisque contumelioſiſſimis viri optimi lacerare famam conati ſunt. Præcipuum hos inter locum ſibi vindicat GUILIELMUS BUDÆUS, clariſſimus Gallorum doctor, qui, nulla, quod ſciam, re offenſus a POLITIANO, niſi quod in Græcarum literarum ſtudiis præſtare is magnum aliquid ac ſingulare diceretur, haud facile ullam paſſus eſt ridendi POLITIANI occaſionem præterlabi, ſæpiusque innocentem, & nihil minus merentem, obtorto velut collo in jus rapuit. Vera hæc dici, & ex illis cognoſcitur, quæ jam ſupra paſſim attulimus, & ex his, quæ deinde dicentur, clarius pateſcet. Neque defuere tamen, qui lon-

longe infra POLITIANI subsellia, sive Latini, sive Græci sermonis vim respicias, collocandum BUDÆUM judicarent. Ex quibus vel unum magni nominis Criticum, FRANC. FLOR. SABINUM, profero, *Lib. II. Lect. subseciv. Cap.* 7 ita pronuntiantem: — — *de recentioribus hoc tantum dicam, non esse eorum quemquam (de paulo eminentioribus loquor), qui Budæo aliqua in parte cedere debeat. Imo vero Angelum Politianum, quem ille tanquam peculiarem hostem ubique impetit, adeo Græca Latinaque literatura excelluisse, ut ea scripserit tertio & quadragesimo aut circiter ætatis suæ anno vita functus, quæ octuagenarii Budæi lucubrationibus nihilo sint inferiora. Ac, si forte plura a se, quam ab illo, observata diceret Budæus, in Politiani certe scriptis major apparet, quam in illius operibus, ingenii vis, major Latinæ linguæ candor. Nam in Græcis vertendis Noster multo fuit felicior, omnia, quæ a viro doctissimo absolutissimoque exigi queunt, facillime præstiturus, nisi immatura mors tanto Italiæ ornamento invidisset.* Fuit & ANDR. ALCIATUS eorum unus, quos parum studiosos famæ suæ expertus est Noster, & in quorum scriptis non obscura invidiæ odiique clandestini vestigia apparent. Raro enim, ubi in mentionem POLITIANI incidit, existimationi ejus parcit, id agens unice, ut eximia ejus in literas merita deprimat, &, quæ laudanda videbantur, turpiter in opprobrium ejus trahat. Fuit & primus illius fabulæ præco, quam, ut juris omnis ignarus haberetur ANGELUS, ejus malevoli confinxerant. Pluribus de ea supra dixi, ut jam, quod addi possit, supersit nihil. Similis ingenii fuit PAULUS JOVIUS, homo, ut natura maledicus, & ob id suspectæ inter eruditos fidei, ita in alios omnes magis, quam in POLITIANUM, benevolus. Is *Elogium* Nostro scripsit in suo *Elogiorum* libro, sed quod verius dicere carmen famosum possis; adeo turpissima omnia de eo comminiscitur, &, quæ præclara sunt reapse, & aliis omnibus laudata, vafre & astute in contumeliam ejus torquet. Quodsi vero memineris eorum, quæ ad castigandam hominis turpissimi impudentiam, & tuendam POLITIANI famam, jam supra loco plus uno disputavimus serio ac studiose, vix fore quemquam arbitramur, qui non malitiam hominis improbasque artes facile intelligat. Sci-

Scilicet SANNAZARIUM amabat ille præ ceteris, cui cum parum amicum putaret ANGELUM, non poterat non in ejus odii ſocietatem venire, & ad opprimendum hoſtem amici ſui curas ſuas omnes, machinasque, & inſidias, conferre. Callide id ſubodoratus eſt THOM. DEMPSTERUS, cujus ex *Tomo II Etruriæ regalis Lib. VI. Cap. 10. p. 405* teſtimonium profero: *Angelus, ex familia Cini, — — inimicitias cum Jacobo Sannazario, Patricio Neapolitano, exercuit, cui cum Paulus Jovius impenſius æquo faviſſet, parum honeſte, aut vere, de Angelo ſcripſit, cui non minus vita, quam eruditio, pura.*

(p) Priusquam ad ſpectandum literarium hoc bellum convertamur, non injucundum fuerit Lectori, lepidiſſimum errorem cognoſcere, commiſſum a viro doctiſſimo, RICHARDO SIMONE, in Operis eruditi, cui rubrum *Bibliotheque Critique, Tomo III. Cap. 22. p. 237*, ubi homines duos, & patria, & fatis, & doctrina, diſſimillimos, GEORG. MERULAM, & MICH. MARULLUM, temere in unum confundit, quæque adverſus POLITIANUM diverſo tempore, diverſisque conſiliis, ab his tentata ſunt, tam continuo orationis filo inter ſe conjungit, ut, ad eundem hæc omnia ſive MERULAM, ſive MARULLUM, pertinere, nemo ſit Lectorum, qui dubitet. Nec ſatis ipſi fuit, confuſanea hac narrandi ratione erroris tam inelegantis ſuſpicionem incurriſſe, ſed, ne quis excuſationi locus detur, verba tandem addit, manifeſtos ignorantiæ teſtes: *Il eſt certain que ce Merula ou Marulle etoit trés-ſçavant dans les belles lettres* &c. Quem lapſum ſi dixeris ab homine in re literaria prorſus hoſpite, nedum tantæ doctrinæ viro, vix expectandum; non injuſte ſecum actum putet Criticus tam acutus, & inter eruditos tanta autoritate pollens. Ut taceam enim, horum inter ſe ſimilitudinem, niſi quod uterque cum POLITIANO ſimultates exercuit, & eorum nomina literas tres aut quatuor communes habuere, prorſus nullam fuiſſe; turpe inprimis viro tam docto videatur, eorum nullam habere notitiam, quæ partim ex vulgatiſſimis vitarum ſcriptoribus, partim ex diverſis, iisque magnam partem celebratiſſimis, utriusque horum ſcriptis, cognita & explorata dudum fuerant. Non hæc pluribus jam contra SIMONEM diſputari opus eſt; cum ex his, quæ paulo poſt de MERULA pariter ac de MARULLO dicentur, vel nunc tacentibus nobis,

nobis, doceri is meliora possit. Errorem hunc SIMONIS, non putabam, ante me cuiquam observatum; sed incidit nuper demum in manus meas Diarii Italici, *Giornale de' Letterati d' Italia, Tomus XVII*, quem inspicienti obvenit *p. 325 seq.* longa & nimis, ut videtur, verbosa lapsus SIMONIANI, per se cuilibet patentis, refutatio. Age jam, ad bella nos strepitus tubarum vocat. Quae, ut tristissima pugnantibus fuerunt, ita spectantibus admodum jucunda ominamur. De GEORGIO MERULA primum dicemus, quod reliquorum in POLITIANUM odia quadam velut cognatione inter se conjuncta, neque adeo separanda hic, videantur. Fuit ille, quod omnibus notum vel ex JOVIO putamus, ortu Alexandrinus Statielensis, nobilissima MERLANORUM gente natus, sed qui, abjecto MERLANI cognomine, MERULAM se dixit, persuasurus ita posteris, ab antiquissimis Romanis originem genusque sibi duci. Vid. Cl. APOSTOLUM ZENUM in *Additamentis ad* VOSSIUM, in *Giorn. de' Letter. d' Ital. T. XVII. p. 291.* Quae res ut multis ludicra & jocularis visa est, ita prae ceteris GABRIELI PAVERO FONTANAE ansam praebuit scribendi Satyram, quae Mediolani A. 1481 ita inscripta prodiit: *Ad Bernardum Justinianum, Equitem auratum, Patricium, Senatoremque Venetum*, Gabrielis Paveri Fontanae, *Placentini, in* Georgium Merlanum *Merlanica prima*; sub cujus finem exstat Epigramma *ad Georgium Merlanum, nunc Merulam.* Annos quadraginta, ut tradit JOVIUS, Venetiis primum, postea Mediolani, publice juventutem docuit Latinas literas, extantque scripta ejus complura, in quibus, praeter doctrinam, sermonis inprimis castitas & elegantia laudatur. Edidit enim *Autores de re Rustica*, quibus accessere *Enarrationes brevissimae priscarum vocum* CATONIS, VARRONIS, COLUMELLAE, & PALLADII, porro PLAUTI *Comoedias*, magna ex parte ab ipso emendatas, *in Juvenalem Annotationes, in Martialis expositionem Annotationes, in Statium Annotationes, M. Tullii Ciceronis de finibus Libros V, Quintiliani Declamationes exactissime recognitas, Montisferrati descriptionem & conflagrationem Vesevi montis, Bellum Scodrense*, denique *Vitas Trajani, Nervae & Adriani, ex Graeco Xiphilini in Latinum translatas.* Edidit hos ipse, in-

quam, MERULA; sed prodiere etiam post mortem ejus *in Ciceronis Epistolam IX ad Lentulum Lib. I Commentarius*, aliusque *in Orationem Ciceronis pro Q. Ligario*, porro *Ausonius cum Præfatione* MERULÆ, *Velius Longus de Orthographia*, *Terentiani Mauri de literis, syllabis, pedibus, & metris, Carmen, Annotationes in Gal. Martii libros de homine*, &, quod præstantissimum omnium ejus operum habetur, *Antiquitatum Vicecomitum Mediolanensium Libri X*, sæpius recusi, & recentissime *Tomo III. Volum. I. Thesauri Antiquit. & Histor. Italiæ* GRÆVIANI adjecti. Laudatur etiam MERULÆ quidam *in Virgilium Commentarius* PHILELPHO in Epistolis suis, sed, an is publicam unquam lucem viderit, nec PHILELPHUS, nec Scriptorum ullus, nos docet. De singulis his MERULÆ scriptis diligenter ac erudite agunt GERH. JO. VOSSIUS *Lib. III de Hist. Lat. Cap. 8. p.544*, APOST. ZENUS *l.c. p.297 seq.* & P. NICERONIUS in *Memoires des homm. illustr. T. VII. p 89 seq.* Hominis valde docti, & in veterum Autorum lectione admodum versati, qui neget laudem GEORGIO, nemo est; ingenium vero justo vehementius, turbarumque amantissimum, & ad bella literaria paratum semper, omnes vituperant. VOSSIO *l.c. mire malignus, ac magnus eorum obtrectator, qui in eadem palæstra secum desudarent*, & M. ANT. SABELLICO in *Epist. ad* DAN. RAINERIUM, *Lib. X. Epp.* SABELL. *vir* dicitur *gravi judicio, & diligentia non vulgari: sed mediocri ingenio; facundia propemodum nulla; suarum rerum mirator immodicus: alienarum insectator.* Idem loquitur Epitaphium, positum ei a JO. LATOMO, quod profert JOVIUS in *Elog. Cap. XXXVII. p. 81*:

Cur fugis a titulo? quo tam cito, quæso, viator?
Siccine, quod possim carpere, habere times?
Ingenio hoc vixi, fateor: pluresque lacessi,
Pro rigido exercens scilicet ense stilum.
Parcebam nulli, gaudens, e cæde frequenti
Lassa cruentatas figere in ora manus.
Et tu forte times, ne nunc quoque dentibus idem
Quæque tibi ominis non placitura petam.
Optarim sane; neque enim tibi abiret inultum,
Phœbe, sacerdotem sic habuisse tuum.

Nam

Nam fœdasse suas quod me malus arguit artes,
(Tutari partes hoc vocat ille suas)
Tergendis voluit pueris a clunibus essem,
Quos male mundatos mors inopina rapit.
Ah miser; at, quod idem multi quoque nunc imitantur,
Jam successorem mi fore spero aliquem.

Addimus his testimonium PHIL. BEROALDI, celeberrimi Bononiensium doctoris, perquam MERULÆ honorificum, scilicet. Is in Epistola ad POLITIANUM, *Lib. VI. Epp.* POL. *Ep. 2*, scribit: *Hic Georgius instar Zoili jam sibi cognomentum Homeromastigis adoptaverat: qui in cunctos seculi nostri literatos non dentes, cum edentulus foret, acuebat, sed linguam vibrabat virulentam: qui pati æquo animo non poterat virtutem in juvenibus sobolescentem. Qui ad maledicendum faberrime formatus ingemiscebat, imo (ut verius loquar) disrumpebatur, orientem solem a plerisque omnibus jam pridem adorari, quam occidentem. Mors hominis declaravit, quam gratus foret omnibus. Videtur enim Merula ex gaudio esse procreatus, ita cuncti mortales ex illius obitu gaudent.* A quibus non dissentiunt, quæ idem profert in aliis ad POLITIANUM literis, *Lib. XI. Epp.* POL. *Ep. 24*: *Sed jam vivat valeatque Merula apud manes cum sua canina facundia, qui, ut bellissime verissimeque scripsisti, jam perierat, nisi periisset: prout sementem fecisset, ita messem plane facturus.* Nimirum, cum animum is circumferret fastu quodam plus quam rustico turgentem, atque inter eruditos publice principatum affectaret, scriberetque arroganter ad POLITIANUM, *Lib. XI. Epp.* POL. *Ep. 5*: *Satis constat ex Commentariis nostris, qui circumferuntur, quid in re Latina præstare valeat Merula;* hinc factum, ut reliquos omnes in Musarum castris commilitones alto supercilio contemneret, &, si quem intelligeret præ ceteris caput proferre longius, & Grammatici illustre nomen cum laude sustinere, publicumque plausum ferre, in herbascentem hujus famam non per insidias, sed strictis armis, involaret, dirissimasque contumelias pleno gurgite evomeret. Talem quippe experti sunt MERULAM BAPT. GUARINUS, NIC. LEONICENUS, & DOMITIUS CALDERINUS, aliique, quos probrosis-

ſimis dictis inſectatur in *Commentariis in Juvenalem*, & *in Martialis expoſitionem Annotationibus*, ſed graviter eo nomine caſtigatus CORNELIO VITELLIO CORYTHIO, jurato ipſius hoſti, in *Epiſtola ad* HERMOL. BARBARUM *in defenſionem Plinii & Domitii Calderini, contra Georgium Merulam, Alexandrinum*, incertum, quo anno aut loco edita, cui deinde A. 1482 Venetiis oppoſuit PAULUS ROMULEUS, Regienſis, *ad Petrum Dandulum, pro Georgio Merula Alexandrino, adverſus quendam Cornelium Vitellium, Apologiam.* Conf. *Giorn. de' Letter. d'Ital. l. c. p. 328.* Talem porro erga M. ANT. SABELLICUM ſe geſſit, in cujus *Hiſtoria Veneta* multa intempeſtive reprehenderat, ut patet ex ipſius SABELLICI in Epiſtola modo adducta teſtimonio: *Nulli hominum minus infeſtus fuit a principio, quam Sabellico: nullum, poſtquam res Venetas ſcripſit, eſt gravius inſectatus: fuit enim ex confeſſo Veneti nominis inimicus, cum obſervantiſſimus eſſe debuiſſet, ſi grato fuiſſet ingenio.* Idem furor MERULAM in GALEOTTUM MARZIUM agitavit, cujus *de homine* opus, *varia eruditione potius*, ut JOVIO dicitur *Elogio XXXIV*, *quam eloquentia, mirabile*, libro integro perſtrinxit, ſed qui *ea vehementia*, ut verba ſunt ejusdem JOVII, *ſeſe defendit, uti Apologeticus priore libro varietate eruditionis multo uberior cenſeri poſſet.* Conf. *Giorn. de' Letter. d'Ital. l. c. p. 328 ſeq.* Unde judicari poteſt, verene ſcripſerit VARILLASIUS in *Anecd. de Flor. Lib. IV. p 192*, eorum, quos impugnavit MERULA, ne unum quidem fuiſſe, qui calamo uti ad defendendum ſe auſus ſit. Nec ipſius præceptoris, FRANC. PHILELPHI, famæ pepercit, cui leniter objurgatus, quod in una Epiſtolarum ſuarum *Turcas*, non *Turcos*, ſcripſerit, tantas in ſenem octogenarium iras concepit, ut binis ſtatim Epiſtolis, altera ad BARTHOLOMÆUM CHALCUM, altera ad JO. JAC. GHILINUM, junctim, absque indicio loci, A. 1480 editis, famæ & dignitati ejus inſultaverit turpiſſime. Quibus lectis, ita commotus dicitur vir bonus VOSSIO *l. c.* ut triduo poſt vitam cum morte commutaverit. Sed in dubium vocatur id genus mortis APOSTOLO ZENO *l. c. p. 331*, ob ſilentium aliorum Scriptorum, PHILELPHO æqualium, qui de fatali ejus morbo alia

alia omnia commemorant. An ab harum Epiſtolarum biga diſcrepet *Invectiva* MERULÆ *in Philelphum*, Venetiis vulgata A. 1480, 4, cujus mentionem facit BEUGHEMUS in *Incunab. Typogr. p. 94*, forſan non immerito dubitari poſſit. Parturivit præterea GEORGIUS in PHIL. BEROALDUM Annotamenta horribilia, ſed quorum editionem ipſa impudentiſſimi hujus gladiatoris mors intervertit. Glorioſe de his BEROALDUS ad POLITIANUM, *Lib. VI. Epp.* POL. *Ep. 10*: *Quod ad me attinet, vellem, viveret, vellem, peperiſſet criminoſiſſima Annotamenta, quæ in me fertur diu parturiſſe, ut ita inter veteranum & tyronem pugna foret conſpicabilis. Forſan, forſan didiciſſet, ſe cornutam beſtiam irritaſſe, & momordiſſe remorſurum, & quod noſtro ſequitur de vulnere ſanguis. Namque nobis neque machæra hebes eſt, neque ſtilus retuſus.* Patet ex his, quæ dicta ſunt hactenus, quam jucundum fuerit per omnem vitam MERULÆ, inter turbas & tumultus vivere, graviter affligere alios, & ex horum pernicie laudem gloriamque inhoneſtam petere. Quid mirum igitur, ſi nec ab hujus telis tutum præſtare ſe POLITIANUS potuit, quippe hoc minus ferendus MERULÆ, quo majorem ſibi inter eruditos ex præclaris in literas elegantiores meritis famam acquiſiverat. Videtur tamen ab ejus inſultibus integram ſervaſſe ætatis ſuæ partem maximam, nec niſi ſub vitæ exitum hiſce ſimultatibus implicitus. Fuit enim ipſe amantiſſimus olim MERULÆ, plurimique fecit doctrinam ejus, ſi vera ſunt, quæ ſcribit ad LUDOVICUM SFORTIAM, Mediolani Vicecomitem, *Lib. XI. Ep. 1*: *Hunc ego virum cum antea ſemper dilexi, & colui, tum, poſteaquam ſub tuum quaſi vexillum ſe contulit, quibuscunque officiis potui, ſum proſecutus. Nam &, quoties incidit mentio, laudavi, ſic ut neminem magis: & obtrectatoribus ejus, quibus profecto non caret, audaciſſime reſtiti: & ejusdem poſtremo nomen, quam honorificentiſſime potui, ſcriptis meis intexui: ſperavique, fore, ne minor eſſe inter nos animorum, quam ſtudiorum, conjunctio diceretur, quæ me tamen ſpes valde fefellit.* Et ad ipſum MERULAM, *Lib. XI. Ep. 2*, ſimiliter: *Ego te ad hunc diem, mi Merula, ſemper & dilexi, & colui, quotidianisque ſermonibus, atque hoc ipſo Miſcellaneorum*

Opere, quod reprehendis, collaudavi. Nulla denique est a nobis in te unquam (cujus quidem mihi sim conscius) orta injuria. Quæ an vera ita scripserit, jam non inquirimus; saltem ex parte vera esse, patet ex his, quæ honorifice de MERULA Noster *Miscellan. Cap. IX*: *Ceterum Georgius Merula, vir plane doctus ac diligens, longeque, quam Domitius, in scribendo acutior, & nunc primi fere nominis, non remulo (quod ajunt) sed velificatione plena, invectus, Commentariorum illius in Martialem permultis editis notis, licentiam primus hominis, magno veluti passu gradientem, prorsusque jam ferocientem, compescuit.* Nec minus præclare de eo in *Epist. cit. ad* LUD. SFORTIAM: *Georgium habes Merulam, providentissime Princeps, hominem doctissimum, qui non solum docendo politiores cottidie tuos cives reddit, verum scribendo quoque res tuas gestas majorumque tuorum non posteritati modo, sed etiam (ut credimus) æternitati, commendat.* Quod vero ad MERULAM attinet, etsi is eadem fere scribendi ratione utitur in literis ad LUDOVICUM SFORTIAM, Vicecomitem Mediolanensem, *Lib. XI. Epp.* POL. *Ep.* 7: *Intercessisse inter nos amicitiam, non diffiteor; sed prior Merula magnis beneficiis in Politianum provocavit* &c. & in aliis ad ipsum POLITIANUM, *Lib. XI. Ep.* POL. *Ep.* 5: *Ego, mi Angele, priusquam te nossem, fama nominis tui adductus, quibus potui, officiis sum prosecutus libros Græcos, in quibus eruditio ampla & recondita continetur, Florentiam ad te misi, nihil sane veritus, quod æmulus & imitator studiorum fores. Quid quod de te semper honorifice sum locutus: tantumque tibi deferebam, ut, qui audirent, plus amicitiæ, quam veritati, me tribuere existimarent? Meministi, credo, quid in frequenti auditorio Venetiis, cum ad me accessisses, palam dixerim, te illum esse, quem priscæ & Romanæ doctrinæ instauratorem mihi pollicerer*; negavit tamen POLITIANUS, horum quidquam sibi præstitum, in *Epistola* illam subsequenti: *Commemoras officia, quæ adhuc ignoto præstiteris. Misisse enim Græcos ais libros ad me Florentiam, plenos eruditionis recognitæ, nihil veritum, quod æmulus & imitator studiorum forem. Non soleo, Merula, nec facile oblivisci, nec libenter dissimulare, si quod aliquando in me quis-*

quam

quam beneficium contulerit. Ceterum tu quidem ad me libros misisti nullos, ac, si qui Florentiam Venetiis allati sunt, eorum copiam Senatus Venetus Laurentio nostro Medici semper fecit. — — Nam, quod te semper de nobis honorifice ais locutum, malo quidem tibi, quam tuis familiaribus, credere. Solent enim minuti quidam & pusilli famam quoque libenter magistrorum suorum detrectare. Idem tamen POLITIANUS in aliis ad JO. FRANC. BENEDICTUM literis, *Lib. VI. Ep. 9*: *Olim nos cumprimis amabat* (MERULA,) *nunc, ut ais, accusationes quoque parturit, non livore, credo, sed judicio.* Quicquid hujus rei sit, si qua olim animo irarum semina concepit in POLITIANUM MERULA, non hæc ante edita hujus *Miscellanea* in publicas erupisse flammas puto. Fuisse nempe hunc librum facem quasi & tubam earum simultatum, quæ Italos hos ipsos intercesserunt, dubium prorsus est nullum. Illo enim conspecto, cum hic sententias passim suis adversas, suasque nonnullas JUVENALIS aliorumque Scriptorum interpretationes ad examen revocatas, legeret, quod ipsum tamen modestissime, & dissimulato semper GEORGII nomine, factum a POLITIANO, ira repente homo ferox incanduit, &, ut modum tenere furoris sui nunquam didicerat, erga obvium quemque contumeliosissime dicere in POLITIANUM, hunc furem appellare, quem multa ex suis libris suffuratum clam & subdole appareat, funesta in eum omnia meditari, & horribiles *Centurias* parturire, cœpit, quibus se omnem viri famam eversurum, & in apricó positurum ignorantiam ejus, furta, & nescio quæ magna crimina, clamitabat. Non hæc diu latere poterant POLITIANUM, sed, cum amici ei & multi, & ii conjunctissimi, essent, hos inter primus, ut videtur, JO. FRANC. BENEDICTUS de nequissimis his MERULÆ machinationibus certiorem fecit in *Epistola ad eum, Lib. VI. Epp.* POL. *Ep. 8*: *Essent & alii, & præcipue Georgius Merula, si naturalis livor permitteret: cum quo tui causa pugnando, res mea fere ad triarios pervenerat, qui te furem, te Cæsariani præcepti immemorem, appellabat, instabatque acrius (prout ejus est instituti) amplissimam virtutum tuarum famam deturpare, ac statim post compositam in te invectivam ostendit, qua conatur te manifesti furti depreben-*

prehendere. Ego autem virum admonere non cessabam, hortans, & enixe rogans, ut ab hujusmodi invidioso desisteret instituto. — — Verum irrita & vana nostra fuit omnis admonitio. Nam transscripturus invectivam, quamprimum in lucem dabit. Sed parturient montes, nascetur ridiculus mus. Accepit hæc placidissimo animo ANGELUS, respondens BENEDICTO Epistola subsequenti: *De Miscellaneis, credo equidem, ita tibi videri, ut scribis, fortasse aliter videbitur, cum in amoris locum censura subierit. Hoc & Merulæ fortasse usu venit. Olim nos cumprimis amabat, nunc (ut ais) accusationes quoque parturit, non livore, credo, sed judicio. Cupio, quamprimum clamet, Juno Lucina fer opem. Ac, si opus fuerit, egomet quoque obstetrix accurram.* Ab eo tempore securus rerum suarum, nec mali quidquam formidans, hostiles illas MERULÆ turmas magno animo expectavit, ad sustinendos harum impetus omni tempore paratus. Tandem, integro triennio exacto, cum nullas interea MERULÆ Centurias adversus se in aciem procedere vidisset, sed certiores quotidie de obtrectationibus ejus dictisque contumeliosissimis nuntios acciperet, literas dare statuit ad ipsum MERULAM, quibus de illatis sibi injuriis expostularet, &, ut prodire tandem pateretur formidabiles illas Centurias, amice moneret Adversarium. Adhæc, ne, serio rem sibi agi, dubitaret MERULA, prudenti consilio, ipsius LUDOVICI SFORTIÆ, Vicecomitis Mediolanensis, a quo omnis MERULÆ fortuna unice pendebat, adversus eum autoritate usus est, submisse obtestatus Principem hunc benignissimum, eo rem redigeret opera & jussu suo, ut, in aciem eductis tandem MERULANIS legionibus, sibi defendendi sui potestas fieret. Utraque harum *Epistolarum* sub initium *Libri XI Epp.* POLITIANI legitur, unde scilicet MERULÆ in POLITIANUM iniquitas, hujusque in exprobrando modestia, abunde cognosci potest. Mutila foret controversiæ, quam hic exponimus, historia, nisi inspiciendæ Lectoribus ipsæ accusationum formulæ hic dentur. Ex ipsa igitur ad MERULAM Epistola pertinent huc ille maxime: *Ex literis & sermone multorum cognovi, jam diu te parum amice de nobis & sentire, & loqui: scripsisse etiam contra Miscellanea nostra librum criminosissimum, quem soleas quoque libenter, ut in quemque*

que

que incideris, recitare : denique me ipsum abs te (quod vix equidem credo) tertio quoque verbo contumeliosissime appellari. Quæ quoniam res magis rumoribus increbuit, quam ut dissimulari jam possit, visum mihi est dare ad te has literas, quibus voluntatem sensumque meum omnem tibi declararem. — — Rogo te per amicitiam nostram, per communia studia, perque tuas vigilias, obtestor, ut istud, quicquid est, edas aliquando in lucem, neve mihi occasionem vel emendandi mei eripias, si vero, vel defendendi, si falso accuser. — — Ego illud a te breviter peto, notas ut istas scriptorum meorum (quas ajunt) aliquando publices, locumque mihi des vel purgandi me ipsum, vel corrigendi: quod si feceris, polliceor, me quoque par pari relaturum. Nec altera illa ad LUD. SFORTIAM penitus hic prætermittenda videtur, unde, quæ in rem nostram faciunt, pauca proferam : *Triennio jam & literis suorum familiarium, & multorum sermonibus, & fama denique ipsa, cottidie certior fio, non modo eum de nobis aspere & acerbe quacunque occasione, sed etiam contumeliosissime, solere loqui. Postremo librum quoque adversus Miscellanea nostra composuisse dicitur, plenum fortasse (quod ipse ait,) erratis nostris, certe plenum conviciis. Quo ejusdem libro, tantum abest, ut offendar, ut etiam gratias agam, modo aliquando edatur. Sed hoc molestum, quod, cum diu vulgo recitet, adhuc tamen domi retinet, multa jactans, multa minitans. Itaque visum mihi est dare ad hominem literas honoris mei causa : non quidem ut in his injurias illas expostulem, sed ut eum tamen rogem verbis amicissimis, ut mihi etiam aliquando potestatem faciat audiendæ accusationis : ne scilicet indicta causa condemner, ac, si non excusandi, quæ scripsi, certe castigandi, copia quandoque fiat. Hoc est denique, quod ab ipso non solum multis precibus, sed loco etiam maximi cujusdam beneficii, peto. — — quod etiam ut impetrem, rogo, me adjuves nutu autoritateque tua.* Scripsit has Epistolas POLITIANUS A.1493, quas non LUDOVICO tantum SFORTIÆ recte redditas, sed in aliorum etiam, ut BERNARDI RICCII & JAC. ANTIQUARII, manus venisse, constat ex JACOBI hujus ad POLITIANUM *Epistola, Lib. XI Epp.* POL. *Ep. 3*, qua factum POLITIANI vehementer probat, scribens inter alia :

 Spero,

Spero, (ne a joco abſim,) hominem tibi non multum nocere poſſe, cui undique dentibus ſit os vacuum. — — Sed, quod æquiſſime petis, ſi quid in tuis libris a veritate aut a majeſtate Latina, cujus aſſertor ſtudioſiſſimus ſemper fuiſti, remotum deprehendit & alienum, oſtendat boni conſulentis more: quia ſis paratus herbam dare, neque puditurus errata corrigere: qui plurimum prodeſſe ingeniis concupiſti. LUDOVICUS SFORTIA, ſatisfacturus precibus POLITIANI, commendatas ſibi hujus literas, ut ſcriptæ erant, perferendas ad MERULAM curavit; qui, nihil his ad leniorem mentem redactus, ſed novas jam irarum flammas animo concipiens, acerbe & contemtim POLITIANO reſpondit, vetereſque injurias velut in ejus os evomuit, atque certiſſimam ei a *Centuriis* ſuis ſtragem interitumque minatus eſt. En accuſationis importunæ formulam, *Lib. XI. Ep. 5: Conquereris, Angele, per literas, quod maledictis, ſive profitear, ſive in circulis adverſus literatos ſermo habeatur, te inſecter: criminoſiſſimum præterea libellum confecerim, quem, etſi nondum edidi, tamen, ut in quemque incido, recitem: — — Ceterum familiares quidam & diſcipuli, animadvertiſſe ſe, mihi retulere, non pauca, quæ jam pridem a me didiciſſent, & literis prodidiſſem, ceu autor eorum eſſes, in Miſcellaneis a te uſurpari, atque, ſuppreſſo nomine, alia velut perverſe interpretata damnari. Movit ea res mihi ſtomachum, extra tamen iram & obtrectationem. Deinde, paulo curioſius dum capita percurro, plus inveni, quam a familiaribus accepiſſem. Ita, dum mea partim ſubrepta, partim ſubdole deſignata, cognoſco, pauca tumultuario in adverſariis magis, quam in codice, adſcripſi. — — Exibunt in publicum & in aciem elucubratæ noſtræ Centuriæ, quarum vim & impetum quis ſuſtinebit? Terga protinus dabunt, & diffugient.* Has literas MERULA ſimiliter, ut ſuas POLITIANUS, commendavit LUDOV. SFORTIÆ. cui & ipſi ampliſſimis literis ſe purgare, &, quantum poſſet, inviſum reddere POLITIANUM, conatus eſt. Sed illud in his literis mirari vix ſatis poſſum, de plagio POLITIANI, in quo præcipuum defenſionis caput vertebatur, taceri hic prorſus, nec niſi de his, quæ in MERULANAS veterum Autorum interpretationes dixerat POLITIANUS, querelam moveri, in quo

quo uno nempe videor mihi odii tam internecini materiam & fomentum omne inveniſſe. *Gratiam ſe retuliſſe*, ſcribit ibidem MERULA, *exiſtimat, quod de Merula in Miſcellaneis cum Præfatione honeſta mentionem facit. Quorſum tendit, agnoſco. Pugnant facta cum dictis; nam, quoties explicare quippiam, & obſcuros ſenſus explanare, tentat, Merulam perſtringit. Hæc animadvertunt, & rident, qui Miſcellanea legunt. Et, quod non bene literati hominis eſt, intervertere, ne dicam circumducere, iis Merulam conatur, quæ aliquot abhinc annos expoſuimus, & literis prodidimus.* MERULANA hæc Epiſtola ut recte perferretur ad POLITIANUM, ſua opera effecit LUDOVICUS SFORTIA, Mediolanenſis Princeps, ut ex ipſis hujus ad POLITIANUM literis, *Lib. XI Epp.* POL. *Ep.* 4, apparet, benigniſſimis prorſus, ſtudiique plenis, ſed ita ſimul comparatis, ut non obſcure hinc intelligas, cauſam MERULÆ fuiſſe huic Principi commendatiſſimam. Non enim omni carere bile verba Epiſtolæ ultima videntur: *Itaque putamus, eum tibi ſatisfacturum, & oſtenſurum, quamvis moleſte tulerit, quæ ſua putat, ab aliis tanquam ſua uſurpari, non oblivisci tamen, quod veteri amico, & homini literato, a ſe debeatur.* Neque vero MERULANÆ Epiſtolæ illi POLITIANUS nihil repoſuit, ſed, ne cedere quidquam hoſti tam protervo videretur, quicquid ad abolendas ejus criminationes pertinere videretur, novis ad MERULAM literis complexus eſt, quæ ſunt *Libro XI. n. 6.* Hic, ut primo plagii ſuſpicionem a ſe averteret, ſerio graviterque ſcribit: *Venio ad Miſcellanea, in quibus offenſum te ſcribis, quod tua quædam ſubripuerim, quædam autem ſubdole (ſic enim inquis,) deſignaverim. Ita nobis & plagium, Merula, objicis, & dolum malum: grave utrumque crimen, ſed utrumque falſum: nihil enim eſt apud me, quod tibi ſubreptum dicas, quoniam, quæ ſcripſi, partim nihil ad tuos Commentarios attinent, partim ab iiſdem magnopere diſſentiunt. Tantum de Baptis nonnihil apud te, ſed rude tamen adhuc, & inchoatum, de quo mihi tacendum putavi, ne ſtatim ibidem reprehendere in Cotytto nominatim te cogerer. Nam, quod Ovidianum tu quoque verſiculum citaſti de Nauliis in Commentariolis quibusdam, quos adhuc equidem non videram, tam puſil-*

lum, minutum, tamque nihil est, ut illius etiam fortasse te pudeat. Tum nec illud concedit, subdole a se notatum MERULAM, aut quidquam in eum sinistre dictum: *Ubi autem subdole tua notaverim, nondum profecto intelligo. Bis equidem toto opere te laudavi, prius a doctrina, posterius & a moribus. Sed tu fortasse injuriam tibi factam credis, quod de rebus iisdem non eadem tecum prodiderim: quasi vero major tui mihi, quam mei ipsius, habenda ratio fuerit. Satis, opinor, amicitiæ dedimus, quod, ut quæque fuit occasio, te laudavimus, nunquam reprehendimus.* Denique illud MERULÆ persuasum esse cupit, acceptissimas sibi fore notas errorum suorum, Centuriasque illas, a tanto tempore sibi frustra expectatas: *Jam nostra illa errata, quæ te aliis indicasse prædicas, rogo, nobis ipsis quoque aliquando indices. Efficiam, credo, efficiam, Merula, protinus ut sententia decedas. — — Quod si tibi idem sensus atque animus est, ut indicari a nobis vicissim tua tibi vel optes, vel saltem non moleste feras, profiteor, hoc me quoque laute munus administraturum. Nam, quod & Centurias facis, ac ne titulis quidem nostris abstines, facile patior. Sed quid est, quod ais fore, ut terga dent protinus, ac diffugiant? An ex Parthorum gente tuæ istæ Centuriæ sunt, ut videlicet fugientes prælientur? Sed hæc jocatus* &c. Vix peregre miserat has literas POLITIANUS, cum opportune in manus ipsius incidere, quas dederat ad LUDOVICUM SFORTIAM GEORGIUS, & quarum paulo ante mentionem fecimus, ipsæ illæ literæ, ubi cum illud actum magno studio a MERULA videret, ut hominis omnium turpissimi injustissimique notam ipsi inureret, indignumque omni Principis benevolentia pronuntiaret, jam eo rem redactam ratus, ut humanitati & modestiæ vix amplius esse locus posset, & in summo discrimine, nisi armis omnibus defenderetur, ipsius fama versaretur, in insidiis huc usque constitutas copias in aciem eduxit, &, cujus huc usque senectuti & dignitati pepercerat, eum, ut graves illas Centurias cogeretur tandem foras emittere, suo jam impugnandum ferro statuit. Novas igitur ad MERULAM literas exaravit, *Lib. XI. Ep.* 10, tales profecto, quales cuique viro bono dolor justus & suæ

ſuæ famæ amor expreſſiſſet. Copioſiſſimæ hæc ſunt, maximamque partem in colligendis erroribus occupantur, quos in ſuis *ad Juvenalem Annotationibus* MERULA commiſerat; quos, nemo eſt, qui non in turpiſſimis habendos, & vix condonandos pueris, exiſtimet. Sed hæc, quantaquanta ſunt, non eſſe Noſter niſi ſpeciminis loco voluit graviorum longe lapſuum, quos ſive in his ipſis *ad Juvenalem*, ſive in aliis *ad Plautum*, & *Scriptores Ruſticos*, *Annotationibus* animadvertiſſe ſibi viſus ſit. *Ceterum*, inquit, *quoniam epiſtolam ſcribo, non librum, ludoque tecum blande potius, quam adhuc certo, paucula tantum de multis, eaque breviter, attingam. — — Hæc atque alia multa in iis iſtis famoſis Commentariis nos homines indoctiſſimi deprehendimus. Sed erit operæ pretium, credo, aliquando etiam in Emendationes Plautinas, in quibus Herculem te facis, inquirere. — — Verum de hoc, & item de Ruſticis Autoribus, alias prolixius.* Literas has, jam in eo erat, ut ad MERULAM perferendas curaret, ANGELUS, cum ipſi reddita eſt JACOBI ANTIQUARII Epiſtola, *(Lib. XI Epp.* POL. *Ep. 8,)* docens repentinam mortem MERULÆ, oſculumque & complexum teſtamento relictum ANGELO. *Concordiam tibi*, ſcribit ille, *complexum, & oſculum, teſtamento reliquit. Atque in his, quas ſcripſerat, Latinarum literarum nonnullis obſervationibus, & ceteris id genus, ob Miſcellanea tua, nomini tuo parci mandavit.* Quo nuntio audito, graviter Noſter in ſuis ad ANTIQUARIUM literis *(Lib. XI Ep. 9)* doluit inopinatam viri docti mortem, at, quod ita proſpectum nondum ipſius famæ eſſet, rogat tamen obteſtaturque ANTIQUARIUM, *curet, ne diutius* ipſe *animi pendeat, notæque illæ ſcriptorum ſuorum, qualesquales omnino ſint, ut quam ocyſſime publicentur.* Addidit &, quas MERULÆ deſtinaverat, literas, ut intelligeret JACOBUS, non defuiſſe ſibi arma, quibus, ſi congrediendum cum MERULA fuiſſet, hoſtem hunc feroculum penitus conficeret. Reſpondit JACOBUS *Lib. XI Epp.* POL. *Ep. 12: Quid conficere potueris, delectis ad prælium ex illius Commentariis in Juvenalem variis locis, probe atque ſatis oſtendiſti.* Venerunt & iſtæ ANGELI ad MERULAM literæ in manus PHILIPPI BEROALDI, qui, multum his delectatus, ita ſcribit ad ANGE-

LUM *Lib. VI. Epp.* POL. *Ep. 2 : Perlegi libentius, quæ in Merulam eloquenter & cordate exarasti. Qui instar Zoili jam sibi cognomentum Homeromastigis adoptaverat : qui in cunctos seculi nostri literatos, non dentes, cum edentulus foret, acuebat, sed linguam vibrabat virulentam : qui pati æquo animo non poterat virtutem in juvenibus sobolescentem : qui, ad maledicendum faberrime formatus, ingemiscebat, imo (ut verius loquar,) disrumpebatur, orientem solem a plerisque omnibus jam pridem adorari, quam occidentem. – – Gratias tibi uberes ago & habeo pro honorifica illa nominis mei mentione, quam amanter nimis inseruisti epistolæ, in Merulam graphice luculenterque conscriptæ.* Eodem tempore, quo ad ANTIQUARIUM, ad ipsum etiam LUDOVICUM SFORTIAM literas POLITIANUS exaravit, exprimentes vehementissimum dolorem, quem de præmaturo MERULÆ obitu conceperat, laudantesque doctrinam ejus, nec dissimulantes quidquam, unde honestissimus ejus erga defunctum amor cognosci posset. Vix enim ab eo homine, cujus famæ tam proterve obtrectaverat MERULA, id scribendi genus expectes: *Ita mihi contingat in otio & literis molliter consenescere, clarissime Princeps, ut hoc tam subito, tamque inexpectato, Merulæ nostri obitu non levius commotus sum, quam si ei discipulus, aut alioqui familiarissimus, fuissem. Quod fortasse parum credent, si qui certamen hoc, inter nos de communibus studiis exortum, parum benigne interpretabuntur. At enim, quod ego sæpissime sum testatus, non video, quid impediat, quo minus dissidere inter nos de literis, salvo tamen amicitiæ jure, potuerimus. – – Denique certamen hoc inter nos ejusmodi futurum videbatur, ut ego nec vinci turpiter ab homine tam docto, nec eum contra vincere, nisi magna mea cum gloria, potuerim. Dolendum profecto studiosis omnibus illius desiderio est : in quo publice res Latina jacturam fecit. Sed, quoniam sic ille vitam, quasi bonus Poeta fabulam, magna laude, magnaque omnium approbatione, peregit, non lachrymis ejus interitus, verum dulci grataque potius mentione, prosequendus est.* Sed forte hic dedit aliquid Principis erga MERULAM singulari studio ; quippe qui GEORGIUM *inprimis vehementer amabat, quia, de se, & de majoribus suis, ab eo singulari fide, ne dicam æternitatis spe, scribendi studium susceptum fuisse, animadvertebat*, quæ verba sunt JAC. AN-

TIQUA-

TIQUARII in literis *ad* POLITIANUM, *Lib. XI Epp.* POL. *Ep. 8.* Scribit & ipse LUDOVICUS ad POLITIANUM, *Lib. XI Epp.* POL. *Ep. 13: Facile credimus, tibi, viro eruditissimo, mortem Merulæ nostri, doctrina & eruditione multarum rerum excellentis, gravem fuisse. — — Facis ergo probe, qui fateris, viventem amasse Merulam, adeo de literarum studiis meritum, licet in quibusdam ambo dissideretis, & nunc amissum mentione amoris plena prosequeris.* Sed, quantumvis modeste senserit de mortuo POLITIANUS, difficile tamen impetrare a se potuit, ut, interire *Merulanas* illas *Centurias*, suique adeo defendendi occasione se defraudari, pateretur. Exstant enim ejus ad BARTHOLOMÆUM CHALCUM, cui demandata erat schedarum MERULANARUM cura, literæ (*Lib. XI. Epp.* POL. *Ep. 14,*) tam supplices, tamque submisse ea de re scriptæ, ut, si de vita ipsa ageretur, vix magis lamentabili uti genere scribendi posses. *Obsecro vos*, inquit, *ne tolli patiamini scriptorum meorum notas de Merulæ Commentariis. Multo enim vos mihi graviores notas inuretis: occupabunt hanc invidi ansam, credituri semper, imo futuri similes credentibus, hoc me a vobis imbecillitatis meæ conscium multis precibus impetrasse. Si jure me carpit, cur ipsius invidetur laudi? Si injuria, cur meæ?* &c. Et, si legas CHALCI hujus ad POLITIANUM literas, (*Lib. XI. Epp.* POL. *Ep. 17,*) responsionis loco datas, non longe absuisse ab eo putes ANGELUM, ut voti sui compos redderetur. Futurum enim sua opera, promittit CHALCUS, ut, quicquid adversus POLITIANUM scriptum sit a MERULA, id omne exeat in lucem publicam. Addit tamen: *Sed, quoniam ea adhuc vix notata prima in forma sunt, neque Georgius, morte occupatus, ea elimare & meliore nota conscribere potuit, primum curabimus, ut prius, quam edantur, censeantur, & in eum ordinem, quem prætendisse Georgius videtur, redigantur, moxque ita absoluta ad te mittentur.* Sed, an id factum sit postea, dubito, & dubitandi caussas habeo. Suppetunt enim aliæ & JACOBI ANTIQUARII, (*Lib. XI. Epp.* POL. *Ep. 12, 18, & 22,*) & ipsius LUDOVICI SFORTIÆ, (*Lib. XI. Epp.* POL. *Ep. 21 & 23,*) ad POLITIANUM Epistolæ, quæ de publicandis illis MERULÆ scriptis spem POLITIANO præcidere prorsus omnem videntur.

LUDO-

LUDOVICUS autem SFORTIA, ne, ſi ſupprimerentur MERULANA illa, famæ POLITIANI detrimentum immineret, publicis, iisque honeſtiſſimis, literis ita proſpexit dignitati ejus, ut adverſus quascunque malevolorum obtrectationes jam fortiſſime munita videatur. Et poſtulat honor POLITIANI, quem nos quodammodo tuendum ſuſpecimus, ut hæc velut in tabula publica omnibus hic legenda præbeamus: *Non eſt*, inquit LUDOVICUS *Lib. XI. Epp.* POL. *Ep. 21, quod verearis, Angele, ne tibi notam aliquam inurant, ſi ſupprimantur, ſcripta, quæ in te Merula paraſſe dicebatur. Tua enim opera minime factum putari debet, qui non quæſiviſti, ut occultentur: ſed multis precibus per noſtros agere apud nos non deſtitiſti, ut ea in lucem venire pateremur. Quod ſcribere ad te voluimus, ut hæ noſtræ apud omnes teſtari poſſent, te ſcripſiſſe, non modo non futurum grave tibi, ſi in manus hominum viri literatiſſimi ſcripta venirent, ſed etiam, ſi ita pateremur, nobis te gratias ingentes debiturum, affirmaſſe.* Satis his ipſis refellitur calumnia PAULI JOVII, ſcribentis in *Elog. Cap. XXXVII: Periit* (MERULA) — — *Politiano obiter vehementi metu liberato, cum in Miſcellaneam ejus Centuriam cohortes & alas, quæ impetu obruerent, emiſſurus eſſe diceretur.* Quibuscum egregie conveniunt, quæ absque autore & teſte omni, mero conficta ingenio, fabulatur magis, quam narrat, ineptiſſimus JOVII Paraphraſtes, VARILLASIUS, in *Anecdot. de Flor. Lib. IV. p. 192*, cujus verba, tanquam teſtis idonei, cur prolata ſint a BÆLIO in *Lex. Hiſtor. T. III. p. 2343. not. (N)*, habeo, cur mirer. Videtur autem LUDOVICUS, ſi quid recte colligo, MERULÆ magis, quam POLITIANI, cauſa illorum ſcriptorum editionem prohibuiſſe. Timendum enim erat, ne illa publicata officerent valde exiſtimationi MERULÆ, quod expectatione leviora, & vix digna tanto autore, eſſent. Ita enim POLITIANUS ad BERNARDUM RICCIUM, *Lib. XI. Ep. 20: Significas, deſperandam plane mihi eſſe publicationem Georgii Merulæ ſcriptorum, quod frivola, quod paucula, quod imperfecta, quod perturbata ſint, & interlita.* Abjecte etiam & contemtim de' his JAC. ANTIQUARIUS in literis ad ANGELUM, *Lib. XI. Ep. 15: Morem tibi profecto gereremus, niſi Ludovici, ſapientiſſimi Principis,*

pis, decreto, Chalcus, vir optimus, & rariſſimus, id genus, quicquid Merula ſcripſerit unquam, diligenter collectum conjeciſſet in vincula: Centurias inprimis, neque quidem reluctantes, non enim ſunt ejusmodi, quæ lucem perferre poſſint. Vix triginta Annotamenta ſunt, in queis tam ad alienas lautitias compellere muſcas, quam inde abigere, quæ alioqui nuſquam erant, viſus eſt, adeo, ut vicem hominis doctiſſimi pudenter doleam. Repetit (ut audio,) pauca quædam de Miſcellaneis tuis tanquam ſua: non multa rurſus per te ab aliis accepta, quod tua eſſe volueris, ſomniculoſe conqueritur. Quæ igitur evanida fuit illius ac edentula morſicatio, tam ad te eam pertinere credimus, quam ad elephantum culices Indum. Similiter PHIL. BEROALDUS ad POLITIANUM, *Lib. XI. Epp.* POL. *Ep. 24: Quod Merula impoſturam fecerit poſteritati, minime miror. Sic enim glorioſi milites facere conſueverunt, qui, verborum ſtrepitu vigentes, reflacceſcunt. Nimirum egregius hic noſter Imperator, dum Centuriarum impetum impatibilem minitatur, nondum decurias in acie collocaverat: &, dum haſtatos triariosque terrificos cum ſolicitudine præſtolamur, vix rorarios accenſosque centuriaverat.* His lectis, glorioſe POLITIANUS ad ANTIQUARIUM, *Lib. XI. Ep. 16: Sed quid tu ais? Adeon' pauca Merula noſter, adeon' incondita, reliquit, ut juſſu Principis etiam ſupprimantur? Ubi ergo Centuriæ illæ, tam paratæ, tam inſtructæ, tam formidabiles? Ubi tam diu nobis expectatæ, toties promiſſæ, Plautinæ Quæſtiones? An eas ſecum forſitan tulit ad manes, nec dignos putavit nos, quicunque ſuperſtites eramus, indoctos prorſus homines, rerum tantarum lectione?* At ſpecimen eorum, in quibus diſſenſerat a Noſtro MERULA, exhibet Epiſtola POLITIANI ad BERN. RICCIUM, *Lib. XI. Ep. 20,* unde patet, vitio id ipſi vertiſſe MERULAM, quod *albæ lineæ* proverbium in bonam partem acceperit; id quod erudite & exquiſitis Autorum veterum teſtimoniis in hac Epiſtola contra MERULAM defendit Noſter. In JO. TRITHEMII *Catalogo Script. Eccleſ. p. 178. A.* video inter ſcripta MERULÆ, quæ ab eo ſunt edita, numerari has ipſas *Centurias*; ſed nolim, unius hujus Scriptoris autoritas aſſenſum extorqueat Lectori, cum alia omnia colligere liceat partim ex his, quæ paulo ante diximus,

 partim

partim ex aliorum,qui diligentiſſime de ſcriptis MERULÆ egere, inprimis APOSTOLI ZENI *l. c.* & P. NICERONII *l. c.* ſilentio. Videtur autem feſelliſſe TRITHEMIUM rumor de publicandis his Centuriis MERULA adhuc vivente ſubortus, nec ſtatim eo mortuo exſtinctus; de quo ſatis conſtare Lectori ex noſtra hac ampliſſima geſtorum inter MERULAM & POLITIANUM narratione poteſt.

(q) De BARTHOLOMÆO SCALA diximus ego & Pater meus, JO. BURCHARDUS, quantum pro inſtituto noſtro ſatis fuit, in *Bibliotheca Virorum militia æque ac ſcriptis illuſtrium*, nuper demum edita, *p. 417 ſeq.* Sed illud valde doleo, non fuiſſe tunc ad manum mihi, quæ de vita ſcriptisque hujus SCALÆ ſummo cum eruditionis apparatu, prorſusque diligentiſſime, commentatus eſt celeberrimus Vir, APOSTOLUS ZENUS, in *Acceſſionibus ad librum Voſſii de Hiſt. Lat.* quarum partem huc ſpectantem exhibet *Diarii Veneti, Giornale de' Letter. d' Italia, Tomus XXII a pag. 404 ad 430, & Tomus XXIII p. 366 ſeq.* unde ſcilicet, quæ in rem noſtram facerent, peti tunc bene multa potuiſſent. Idque adeo cumprimis vitio vertendum Gallo illi, NICERONIO, accurati vitarum Scriptoris inde ab aliquo tempore gloriam affectanti, quod, cum, unum hunc ZENUM ſecutus ducem, hiſtoriam vitæ & meritorum SCALÆ tradat *Tomo IX Commentar. Hiſt. vir. erud. inſerv. p. 165*, plurima eorum, quæ ab illo ſunt commemorata ſingularia, temere negligenterque prætermittat. Idem, quod mihi, fatum contigit nupero Carminum SANNAZARII Editori, PETRO VLAMINGIO, Viro in Batavis eruditiſſimo, qui, ſi propius inſpexiſſet, aut inſpiciendi copiam habuiſſet, elucubratos illos ZENI Commentarios, ſuccurriſſet, quod puto, inopiæ BROUCKHUSII, quæ doceret nos de SCALA illo *ad Eleg. XI. Lib. I. Eleg.* SANNAZ. habentis pauca admodum, & ea partim pervulgata diu, partim falſa, & a ZENO multo rectius narrata. His igitur, qui noſſe ſive fata SCALÆ, ſive ingenium & doctrinam, cupiunt, commendatiſſima eſſe cupimus, primum quæ VOSSIUS refert *Lib. III. de Hiſtor. Lat. Cap. 8. p. 556*, deinde ad hujus Hiſtoriam copioſiſſimas Annotationes ZENI, paulo ante nominatas, meritorum ac geſtorum SCALÆ

tam

tam plenam, tamque compositam, quam unquam dari possit, narrationem continentes, quasque adeo penes Autorem suum legi integras, quam in compendium hic redactas, malumus. Quibus indicatis, haud fore quemquam, opinamur, qui longam hic eorum, quæ pertinent ad vitam atque scripta SCALÆ, commemorationem expetat. Paucis saltem, ne hominem ignores prorsus, docemus te hoc in loco, ortu Collensem fuisse SCALAM, natum A. 1424, patre *Joanne*, molitore, homine obscuro, & omnium rerum inope; prima juventute Florentiam delatum, in tantam LAURENTII MEDICÆI gratiam venisse, ut hujus beneficio Scribæ Florentini munus publicum, postea & Equitis insignia, Vexilliferatumque, obtinuerit; tum INNOCENTIO VIII, Pontifici Maximo, de doctrina & ingenio commendatum, ad Senatoris Romani & Secretarii Apostolici illustres dignitates adscendisse; inter viros doctos locum, etsi non ultimum, tamen nec supremum, occupasse; libros scripsisse partim, partim edidisse, varios, argumento magis, quam genere scribendi, bonos, *Historiæ* nempe *Florentinæ Libros V*, *Vitam Vitaliani Borromæi*, *Orationem ad Papam*, *Innocentium VIII*, & aliam *pro imperatoriis militaribus signis dandis Constantio Sfortiæ*, *Imperatori*, porro *Collectiones Cosmianas*, *Dialogum de Consolatione*, qui dicitur *Cosmus*, *Apologos centum*, LAURENTIO MEDICÆO inscriptos, *Apologiam contra vituperatores civitatis Florentiæ*, *Epistolas* multas, sed quarum paucissimæ lucem publicam viderunt, denique *Carminum* libros, in quibus leguntur adversus POLITIANUM Satiræ nonnullæ. Habes leviter adumbratam BARTHOLOMÆI hujus imaginem; jam ex ignobili armorum usu vanas laureolas captantem, omnibusque modis adversantem famæ & fortunæ POLITIANI, spectabimus. Obtigit novus hic hostis POLITIANO eodem fere tempore, quo MERULANIS odiis expositum se vidit. Nam, quæ *Libro quinto Epistolarum* POLITIANI exstant, mutuæ horum *Epistolæ* scriptæ sunt sub initium anni 1493, hisque posteriores esse, quas *Libro XII* legimus, omni anni indicio destitutas, ex eo discimus, quod in una harum, *(Lib XII. Ep. 14,)* quas eodem omnes tempore scriptas, res ipsa docet, & GEORGII MERU-

LÆ, & LAURENTII MEDICÆI, ut jam mortuorum SCALA mentionem faciat. Inter hos quid geſtum ſit, & quibus alter alterum diris inſectatus ſit, cum aliunde cognoſcere, niſi ex his ipſis, quas diximus, Epiſtolis, & POLITIANI nonnullis Carminibus, non liceat, rem omnem ex his ſimpliciter narrabimus, adductis ſubinde ipſis eorum verbis, ut, quantus animi exacerbati furor ſit, clarius intelligas. In ipſa harum contentionum viſcera inquirentibus, illud facile apparet, idem, quod omni tempore in transverſum egit magna ingenia, in ipſis horum animis prima ſimultatum ſemina ſparſiſſe, pertinaciſſimum æmulandi ſtudium. Alter alterius non fortunæ minus, quam doctrinæ, æmulus. Uterque non vulgari apud Principem LAURENTIUM gratia pollebat. Magis tamen probari LAURENTIO POLITIANI Muſas, quam ſuas, forſan non fruſtra ſuſpicabatur SCALA. Non raro, quas hic publico civitatis nomine literas conſcripſerat, inelegantes admodum & impolitas, elimandas POLITIANO dederat LAURENTIUS, quantum SCALÆ ineptiis doctrinam POLITIANI præferret, ſuo ita judicio teſtatus. Factum & aliquando, ut, quo luſerat in SCALAM POLITIANUS, nollet e medio tolli Carmen Jambicnm LAURENTIUS, ſed hujus publicandi ipſe autor exiſteret. Hæc fax, hæc tuba bellorum. Aperte hanc tanti erga ſe odii cauſam BARTHOLOMÆO POLITIANUS exprobrat in *Epiſtola ad eum, Lib. XII. Ep. 18*: *De Coſmo quæ jactas, deque Laurentio Medice, falſa omnia. Certe Laurentius, (hunc enim familiariter colui,) quoties de te mecum loquebatur, ſatis indicabat, alienum ſe judicium fovere, non ſuum. Scis autem tu quoque, literas illum ſæpe tuas publice ſcriptas rejeciſſe, nobisque dediſſe formandas, quæ prima odii livorisque in me tui cauſa exſtitit. Nec me paſſus Jambicum Carmen, quod in te conſcripſeram, concerpere: quippe qui diceret, eſſe indignum nimis, ut ita bonum carmen interiret.* Fieri hinc aliter non potuit, quam ut in æmulum, famæ ſuæ tam pernicioſum, iras SCALA graviſſimas conciperet, &, quas publice non audebat, clam exiſtimationi ejus ſtrueret inſidias, mala omnia de ejus ſive ſcriptis, ſive moribus, in vulgus diſſeminaret, curasque & cogitationes omnes ad opprimendam ejus dignitatem converteret.

Sed

Sed alia omnia putes, si ipsas BARTHOLOMÆI ad POLITIANUM Epistolas inspicias, ubi sæpe, omnibus maledicentiæ loculis excussis, ad extremum inopportunis laudibus POLITIANUM obruit, idque serio ab eo contendit, contumelias illas omnes per jocum dictas, & ipsi amicissimum se, putet. Sic *Lib. V. Epp.* POL. *Ep.* 2 ipsi POLITIANUS *deliciæ urbis Florentinæ*, & *meliorem legendo & docendo Florentinam reddidisse juventutem*, dicitur; *ibidem*que blanda sunt verba: *Sed certe sum longior amoris vinculo extractus, quo te complector, coloque, atque admiror.* Similiter *Lib. V. Ep.* 4: *Admirabilis est profecto ornatus Epistolæ tuæ, doctrina nova plane, atque incredibilis, inusita incomparabilisque facundia. En habes, quod sentiam de scriptis tuis, etiam chirographo confirmatum, si quid malevoli obloquerentur. — — Tu certe præter ceteros, mi Politiane, naturæ multum debes. Illa tibi ingenium istud, quo agere tam multa, atque memoriam, qua omnium fere rerum reminisci potes, dedit:* &c. Et *Lib. V. Ep.* 6: *Tanquam qui asperiora prægustaverunt, si deinde in mitiora inciderint, sapere videntur dulcius: ita sum ipse modo isto sacccharo tuo istoque nectare epistolæ recreatus: atque, ut, quod est, fatear, nescio, quomodo acciderit, quæ scribuntur a te, cuncta tuum sapiunt salem, ac te referunt.* Nec ab his discrepant, quæ sequuntur, reliqua, ironiæ tamen, quam veris laudibus, meo judicio, similiora. Videntur & hujus generis illa esse *Lib. XII. Ep.* 14: *Mi Politiane, vale. Non insaniam profecto gratis, audacior tu quidem es, pugnacior es, sternacior es: milesque, & dux, neque ego resisto. Vale, & me serva amicum, & cultorem tui.* Denique huc pertinent inprimis, quæ de amicitiæ suæ integritate & constantia non sine fuco scribit *Lib. XII. Ep.* 16: *Quæso te, bone Vir, quid tibi cum amicitia, quid cum inimicitia, cum ridicularia, ita ut nos fecimus, scribuntur ab amicis? An ita levis est apud te amicitia, ut vel levissima etiam quaque de aura fluctuet? Constantior illa multo est ac firmior, multo virtus elegantior, quam quæ hos amicorum ludos pertimescat. — — Parum multa scio esse hæc ad amicitiæ conditionem: sed ipsa se melius tuebitur, quæ testis mihi est, de ea cunctanda tecum, aut minuenda, ne cogitationem quidem ullam in animum incidisse.*

ſe. Verum, quam in partem interpretanda ſint hæc omnia, patet ex his, quæ ad SCALAM POLITIANUS ſcribit *Lib.XII. Ep.17 : Audes autem negare, factam mihi abs te injuriam, quam neque clam tuleris, neque diſſimulaveris, ut qui dux & ſignifer uſquequaque contra me fueris. Poſſum tibi (ſi ſit opus) impingere atque inculcare longam illam, quam ſcis, amici quondam tui, nunc vero mei, Epiſtolam, quæ frontis integumentum detrahet, neque tergiverſari te diutius patietur. Eam tamen adhuc non oſtendo, ne ſimul domeſticæ (quod nollem) tuæ maculæ proferantur. Non enim tam quid te, quam quid me, dignum ſit, reſpicere debeo.* Quæ ipſa haud obſcure indicant, clandeſtinis, iisque valde improbis, conſiliis POLITIANI ſive famam, ſive fortunam, perditum iviſſe SCALAM. Quod ſi ita eſt, vix ſatis pro merito SCALÆ durum & acerbum in Epiſtolis fuiſſe POLITIANUM arbitror. Videtur enim diu adverſus privatas SCALÆ obtrectationes animum immotum ſervaſſe, hasque devoraſſe forti ſtomacho, donec eo uſque procederet hominis audacia, ut de Latini ſermonis elegantia gloriam ipſi facere dubiam, & in ſcriptis ipſius voces antiquas & obſoletas notare, eoque nomine ipſum contemtim dicere *ferruminatorem,* non erubeſceret. Quod cum minus ferendum, quam atrociſſimas quasque injurias, putaret ANGELUS, eo quippe jam loco conſtitutus, ut eloquentiæ tenere principatum videretur, cauſæ ſuæ publicum adverſus criminationes SCALÆ patrocinium ſuſcepit, deditque ad eum literas, (*Lib. V. Ep. 1*) ſatis amice ac modeſte ſcriptas, etſi, quod ad rem ipſam, minime deſtitutas nervo ſuo. Harum initium: *Et tu mihi ſuperioribus diebus aperte dixiſti, & abs te auditum multi retulerunt, non placere genus ſcribendi meum, propterea quod aſcita nimium verba, & remota, conſecter. Me quoque eſſe quendam (ſic enim ſoletis dicere,) ferruminatorem. Vox enim hæc apud te ſignificare jam diu cœpit eum, qui verbis iſtis paulo minus vulgatis uteretur.* Oſtendit deinde rationibus non ſpernendis, non vituperandum de eo, ſed laudandum potius, Scriptorem, quod Latinas, & idoneis Autoribus uſitatas, voces, quæ temporum culpa & hominum negligentia in deſuetudinem abierint, in uſum revocare, & Latinæ linguæ hoc ipſo amplificare pomœria, laboret; non

ex

ex uno CICERONIS fonte universas Romanæ facundiæ divitias manare, sed in subsidium vocandos purissimæ ætatis Scriptores reliquos, qui pro diverso scribendi genere diversis usi sint vocabulis; accommodatam esse debere omnem scribendi rationem argumento, quod pertractandum suscepimus, eamque præ ceteris vocem adhibendam, quæ rei quam maxime conveniat; denique, verbum *ferrumino*, non esse, cur cum risu proferatur, cum sit proprium, simplex, non male sonans, non obsoletum, quo nec PLINIUS ipse, proprietatis amator, nec Jureconsulti, abstineant. Quibus docte peroratis, de scriptis SCALÆ ita per contemtum judicat: *Multa tu quidem (credo) scripsisti;* (tangit his ipsis scribæ munus, quo fungebatur SCALA,) *non multa adeo tamen edidisti, quæ vulgo ferantur. Sed Historiam certe componis, longum, opinor, opus & arduum.* Tandem peramanter ad SCALAM Noster: *Sed te censorem, Scala, facile ferimus, hominem tot annos in literis non sine gloria versantem. Male doctos quosdam ferre item non possumus, qui tamen ipsi quoque omnia exigunt ad Ciceronis gustum. — — Hæc ego ad te libere quidem, sed & amice, scripsi, mi Scala, non tam me ipsum videlicet asserens a risu tuo, quo equidem non offendor, quam Hermolaum ipsum Barbarum leviter defendens, — — Liceat autem mihi per te, (ut opinor,) quæ tua est in rebus omnibus æquanimitas, sentire aliud omnino in literis, quam tu sentias, dummodo nulla inter nos amoris, hoc nomine, benevolentiæque mutuæ jactura fiat.* SCALA, his ipsis audacior factus, non responsionem diu distulit, nec satis ei fuit, orationem POLITIANI affectatam dicere, sed, quam laudare alii solent, industriam etiam reprehendit. Libere enim & absque pigmentis omnibus *Lib. V. Ep. 2* scribit: *Non stilum ego duntaxat non probavi tuum aliquando, quod nimis affectata videretur oratio: sed & alia fuerunt, in quibus a tuis ego opinionibus facile dissentirem.* Quæ ipsa multis verbis deinde recitat, inepta profecto, & vix digna homine liberalem doctrinam profitente. Exprobrat enim POLITIANO magni criminis loco, quod *Vergilius* pro *Virgilius*, *toties* & *quoties* pro *totiens* & *quotiens*, *intellego* pro *intelligo*, *compremo* ac *redemo* pro *comprimo* ac *redimo*, denique *adulescens* pro *adolescens*, scriben-

bendum contendat. *Indigna hæc*, ait, *tot tantisque ſtudioſorum hominum digladiationibus.* Et, quod ad ultimam vocem, addit maligne confictum Epigramma :

Num quid adoleſcens ἀπὸ τῆς ὄρας *ut adulor*
Fiet? & a cauda nomine nomen erit?
Αἰσχρὸν τοῦτ' ἐστιν *nomen: tolle ergo pudendum,*
Cenſeo, quodque adolet, Papiriane, voca.

Inde, vocem *ferruminator* ex veteri Latio exterminaturus, aſperam natura, nec uſu ipſo emollitam, vocat, & exemplis undique conquiſitis illud evincere laborat, rebus non niſi aſperis ac horridis vocabula competere ejusmodi, quibus frequentior ab antiquis litera *r* ſit addita. Ceterum ad ea omnia, quæ de vocum antiquarum uſu dixerat POLITIANUS, nihil habens, quod regerat, niſi quod QUINTILIANUM, SENECAM, PLINIOſque ambos, valde contemnat, de ſe ipſo tantum, per modeſtiam ſimulatam, addit, de *Ciceronianorum* grege exemtum ſe cupere, cum ne inter mediocriter quidem eruditos connumerari jure queat. Ad extremum POLITIANO, diſſimulato quidem ejus nomine, ſed ita, ut facile morſum ille ſenſerit, exprobrat ſcribendi multa, hæcque publicandi ſtatim, pruritum : *Quæ ſcripſi ego quidem, parum multa ſunt, edita vero nulla : — — Contra illorum opinionem, qui prius etiam, quam atramentum (quod ajunt,) exaruerit, informatores habent librorum paratos, & multa millia ejusdem ſcripti exempla per Italiam orbemque terrarum legenda diſſeminant : ut quaſi latioribus ex campis uberiores famæ ſuæ fructus percipiant : ingenti profecto de ſe potius, deque viribus ſcribendi ſuis, quam de aliena virtute, proferre ſententiam videntur.* Omnibus his ita, ut merebantur, Epiſtola illam ſubſequente reſpondet Noſter, contemtum contemtu, morſibus morſus, vindicans. Timore, ne inter *Ciceronianos* referatur, volentem & expetentem id SCALAM ſtatim liberat, nec id ſine ſale & aculeo : *Ac primo quidem, quod vereris, ne te inter Ciceronianos numeremus, ſuſpicione iſta falſa te libero. Nec eſt, cur Theodorum deſideres ob id aliquem: tale nihil de te (crede mihi,) homines exiſtimant. Nec vero id ego unquam dixi : non ſum tam temerarius, nec audax, nec mendacia qui loquar libenter. Nam, quod Livium modo & Salluſtium*

ſtium probas, Quintilianum, Senecam, Plinios ambos, rejicis, cauſa eſt, opinor, quod otium tibi nondum fuit, hiſtoriam ſcriptitanti, etiam horum virtutes inſpicere. Nec injuriam his ipſis SCALÆ factam, aliorum de oratione ejus judicia docent; ut ERASMI in *Ciceroniano p. m. 281: Non exprimam quorundam nomina, quibus fortaſſe in votis ſit, vel ſic innoteſcere. De Bartholomæo Scala dicam, cui Hermolaus & Politianus viſi ſunt parum Ciceroniani, ipſe ſibi Tullianus eſt viſus, utcunque diſſimulat. At ego malim ſomnia Politiani, quam quæ Scala ſobrius ſummoque ſtudio elaboravit*; & JOS. JUST. SCALIGERI in *Epiſt. Lib. I. Ep. XXI. p. 120: De Scala illo nihil dicam aliud, quam totius Latinitatis hominem ignarum fuiſſe. Itaque de eo ὐδεὶς λόγος: non magis quam Megarenſibus, quos ἐν ὐδενὶ ἀριθμῷ ponit oraculum.* Nec opus eſt teſtimoniis, cum ante oculos omnium verſentur SCALÆ hujus ad POLITIANUM Epiſtolæ, ſtilo ſcriptæ forſan tolerabili, quæ videtur eſſe BÆLII ſententia *T. III. Lex. Hiſt. p. 2542*, ſed ab elegantia veterum longius remoto, nec maculis ejusmodi carente, quas nos Barbariſmos vulgo aut Solœciſmos dicere ſolemus. Sed & illud maxime offenderat POLITIANUM, quod affectatum SCALA ipſius ſcribendi genus dixerat. Quod ne facere in poſterum auderet, ita hominem pungit, ut ridiculus is legentibus evadat: *Sed & affectatam videri tibi orationem meam, facile patior, quoniam dictandis epiſtolis ſcriba publicus aſſuetus, probare eum ſtilum maxime debes, qui a vulgari conſuetudine minus abhorreat. Nec in eo tu reprehendendus tamen, quoniam plerumque ad indoctos epiſtolæ iſtæ veſtræ mitti ſolent: nos contra, qui juventuti veterum ſcripta prælegimus, delectum habere verborum ſententiarumque didicimus. — — Hoc vos affectatum forte putatis, quo majeſtas quædam potius linguæ continetur & ſanctitas.* Quod vero in orthographicis minutiis juſto laborioſiorem dixerat BARTHOLOMÆUS, eo nomine graviter ſe defendit non adverſus SCALAM duntaxat, ſed adverſus alios etiam ipſius æquales, qui eandem ipſi notam temere inuſſerant, quin adverſus ipſos poſteros, quorum aliqui tam in accuſando malevoli fuere, ut ne apertis quidem mendaciis abſtinuerint. Pertinet præ ceteris in hunc numerum JO. LUD. VIVES, a

quo ſcriptum nollem *Lib. II. de Veritate Fid. Chriſt. p. m. 364* : *Angelus Politianus totam ſacram lectionem aſpernabatur. — — Sciamus, quæ tandem erant occupationes iſtorum, præ quibus ſordebant eis ſacra, & pietas : nam maximas & præclariſſimas fuiſſe oportet. — — Politianus quærebat, dicendumne eſſet Carthaginenſis, an Carthaginienſis, ſcribendum primus, an preimus, Vergilius, an Virgilius, & de hiſce nugis inſtruebat centurias*, &c. Manifeſta calumnia, ſi inſpicias ipſa *Miſcellanea* POLITIANI, quorum unum *Caput LXXVII* de ſcriptura nominis *Virgilius* eleganter differit, *Caput LXXXV* vocis *preimus* non niſi duobus verbis mentionem facit; ut taceam, de voce *Carthaginienſis*, aut aliarum hujuſcemodi, orthographia ne verbum quidem hic prolatum. Nec minus inique de POLITIANO PHIL. MORNÆUS *de Veritate Relig. Chriſt. p. 449*: *Politianus* (*inquit* VIVES,) (non alia penes VIVEM inveni, quam quæ paulo ante attuli: ut mihi videatur ipſe hæc MORNÆUS confinxiſſe,) *ſcripturarum lectionem plane rejiciebat. Videamus, quid idem in pretio haberet. Diſputavit, quamdiu vixit, dicendumne eſſet Vergilius, an Virgilius, Carthaginenſis, an Carthaginienſis, primus, an preimus*, &c. At, horum autoritas ne turpiter poſteritati imponat, ut impoſuiſſe noſtro tempore multis video, qui laudabile hoc POLITIANI ſtudium, præter omne ejus meritum, in ludibrium traxere, rogo Lectores, POLITIANUM ipſum audiant pro cauſa ſua eleganter dicentem, &, quantum hæc veritati conveniant, deinde ex re ipſa diſcant. *Jam, quod minuta quæpiam*, ſcribit in *Epiſt. cit. quæ ad orthographiam potiſſimum pertinent, adeo improbas, ut pæne tragœdias excites, rogo te, mi Scala, nec mihi invidiam iſtam facias, nec, ob id turbas cieri, aut ſtudioſorum digladiationes miſceri, aut diſtorqueri bona ingenia, clamites, propterea quod Vergilium ſcribere malo, quam Virgilium. Non enim, puto, ad pileum ſervos ideo voco, non adverſus optimates armatam multitudinem concito, quin dejerare tibi perſancte poſſum, nunquam me ob eam cauſam nec cum quopiam verba commutaſſe, nec in eo mihi aliquem repugnaſſe præter te unum. Diu vero iſta, qualiacunque ſint, non juventus modo noſtra, ſed & doctores plerique, bonis auribus acceperunt, — — Quodſi tu Virgilium mavis, non equidem clamo, flagitium te facere.*

cere. Quid enim mea id refert? Non te ſcilicet docendum ſuſcepi, ſed Florentinam juventutem. Ceterum, de iſto quidem quæ dicenda videbantur, abunde in Miſcellaneis expoſui: ſimul iis reſpondi obiter, qui modum ſtatuere noſtræ induſtriæ conabantur: ac me in crimen vocabant, quod ad hæc minuta & vilia non conniverem, quaſi vero iſta me vel a linguæ utriusque, vel ab ipſius denique Philoſophiæ, ceterarumque bonarum artium, profeſſione avocaverint. In quibus jam multos annos magno quidem cum labore, neſcio vero, an & cum laude adhuc aliqua, verſor. Cum ad *Miſcellanea* provocat, ea intelligit, quæ *Cap. LXXVII* vere & prudenter ſcripſerat, hoc minus prætermittenda nobis, quod hæc obtrectatoribus ſuis ad unum omnibus fortiſſimi munimenti loco oppoſuit: *Hæc* (monumenta) *libens equidem ſubjiciam, propter propudioſos neſcio quos, & æruginis plenos, odio omni faſtidioque digniſſimos: qui, quanquam ſemper elementarii ſunt, vindicare tamen inter indoctos fautores audent ſibi cenſuram literarum. Sicut iſtam quoque qualemcunque noſtram vetuſtatis deprehendendæ ac revocandæ (ſi liceat,) diligentiam, ſtudiumque, non cavillentur modo, ſed & ita reprehendant acerbe, quaſi flagitium facere putent, quod his otium oblectemus, vel (ut ipſi magis contemtim,) quod ob hæc otio noſtro invideamus, dum in rebus adeo frivolis & levibus operam ſumimus, quaſique tempus, rem pretioſiſſimam, in ſupervacua erogamus. Qui tamen, ſi legiſſent aliquando, maximos viros de ſingulis quoque literis integra volumina compoſuiſſe, ac ne Cæſarem quidem ipſum veritum in hanc tenuitatem deſcendere, darent fortaſſe mihi veniam non occupatiſſimo homini, ſi quando, inter altiora ſtudia, etiam res iſtiusmodi tractarem, parvas quidem, ſed quibus etiam magna juventur. Neque enim, reprehendi me jure, puto, ſi hæc etiam, ſed hæc ſola, conſecter, ad quæ, non ut ab otio ad ſtudium, ſed ut a ſtudio ad otium, me refero, & in quæ non tam feror ex profeſſo, quam caſu incido, ceu ſi, littoribus ex commodo inambulans, conchas interim colligam ſecurus. Neque tamen in id ego ſupercilium ſubduco, nec inde me cenſeri facile paterer, ut qui, non apinas modo hæc eſſe & trichas, ut in proverbii ludicro eſt, verum etiam pæne nihil, & novi, & fateor. Sed tamen hoc ipſum tam nihil præſtat agere, quam longas ad*

ipſorum fortaſſe exemplum trahere oſcitationes, & grunnire in cœno turpiter, aut quam omnino nihil agere, ne nihil prorſus agendo male diſcamus agere. Sed ad Epiſtolam POLITIANI revertimur, in qua non tantum ſtudium hoc ſuum, docendi juventutem, quicquid ad rectam ſcribendi rationem pertinet, defendit, ſed ipſam etiam ſcripturam vocum *toties, intelligo, adoleſcens,* & *Carthaginienſis,* nec non uſum vocabuli *ferruminator,* integritati ſuæ aſſerit, multum eo nomine laudatus Autoribus Diarii *Hiſtoire Critique de la Rep. des Lettr. T. III. p. 251,* qui & opinionem POLITIANI multis rationibus, aliorumque Scriptorum teſtimoniis, corroborant. Quod vero ad vocem *ferrumino,* hanc valde probat, SCALÆ ineptias rejiciens, JOS. JUST. SCALIGER *Lib. I. Ep. 21. p. 120: Hæc non debent ſolicitare animum tuum. Neque enim, ſi ferrumino verbum diſplicuit homini ignaro,* (SCALÆ) *propterea diſplicere debeat tibi, homini melioribus literis exculto.* Facit hic etiam mentionem POLITIANUS vocum *vicenſimus, tricenſimus,* hasque in Pandectis Florentinis ubique induci, ut erratum librarii, contendit. At eo nomine acriter reprehenditur, prorſusque falſi arguitur, HENRICO BRENCMANNO, qui, alia omnia in Codice Florentino animadverti, oculos ſuos teſtatus, perhibet in *Hiſtor. Pandect. Lib. IV. Cap. 1. p. 315. Acri odio* (ſunt hæc ejus verba,) *& inimicitiis plus quam civilibus flagravit contra ſummæ dignitatis civem, Bartholomæum Scalam, & hoc fere ob diſſenſionem in re orthographica paucorum quorundam vocabulorum* (multum a vero aberras, BRENCMANNE,); — — *uſque adeo, ut contentionis impetu manifeſtis mendaciis ſeſe involveret. Ait enim, τὸ n in vicenſimus, tricenſimus,* &c. *de quorum ſcriptura diſputabat, perpetuo induci in Pandectis archetypis, ut erratum librarii. Hoc autem tam procul a vero eſt, ut ex contrario primis Pandectarum libris, eo loci, ubi non erat, quod & ipſum rarius, appoſitum conſpiciatur. Tanquam videlicet poſteritatis ſecurus fuiſſet Politianus. Et hæc quidem, ut dixi, ſolo diſſenſus fervore, idque in re plane nihili.* Qua in re is demum arbitrum agat, cui poſt BRENCMANNUM inſpicere ſanctas illas vetuſtatis reliquias contigerit. Epigrammate illo *in Adoleſcentem* cum in mores magis POLITIA-

TIA-

TIANI, quam ſcripturam vocis, luſiſſe nonnullis diceretur SCALA, maluit non agnoſcere Noſter, quam graviter vindicare, injuriam. *In adulescentem,* ſcribit, *tetraſticho etiam luſiſti, verba ſcilicet Græca Latinis admiſcens: ne perdidiſſe operam te credamus, quod homo ſenex in Græca ſchola ſedere cœperis ſub magiſtro, Catonem puto illum Cenſorium æmulatus. Et ſunt quidam tui familiares, qui, latere cavillum neſcio quod in calce, dicant, iſtius Epigrammatis, quod equidem nec agnoſco, nec credo. Nam & tu homo prudens non temere jeceris in alterum, quod in te facile rejiciatur. Et me adeo morum non pœnitet, ut, ſi turpicule aut nequiter quippiam dixeris, pertinere id ad me ideo credam.* Quæ cum legeret CASP. SCIOPPIUS, ita interpretatus eſt cavillum Epigrammatis, exprobrari hic POLITIANO familiarem nimis & omnino turpem PETRI MEDICÆI, diſcipuli ſui, uſum, quem non ſibi potius, quam POLITIANO, conceſſum, valde indignatus ſit SCALA. Sed videtur hic meris conjecturis indulgere SCIOPPIUS, laudandus in eo, quod a crimine tam impuro abſolvendum dicat ANGELUM. Non abs re fuerit, ipſa ejus verba hic legere, quæ ſunt in *Epiſt. ad* JUL. CÆS. CAPACIUM, adjecta PASCASII GROSIPPI (SCIOPPII) *Paradoxis literariis, p. 34 ſeq.: Nimirum hoc Politiani peccatum fuit maximum, quod diſciplinæ ejus alumnus, Petrus, Laurentii, literarum parentis, filius, ea corporis ſpecie fuit, ut multi, non ſibi potius, quam Politiano, familiarem ejus uſum contigiſſe, æquis animis concoquere vix poſſent. Hinc illud natum Bartholomæi Scalæ, inſulſi ac malevolentiſſimo genio nati hominis, Epigramma, quod Politianus, innocentiæ ſuæ ſibi conſcius, ultro in Epiſtolis ſuis evulgavit, cui etiam quid pro ſe repoſuerit, operæ pretium eſt cognoſcere* &c. Denique, cur ſcripta ſua huc uſque publicanda potius, quam relinquenda tenebris, duxerit, hanc SCALÆ rationem reddit ANGELUS: *Sed & arrogantes temerariosque judicas, qui ſua ſcripta publicent, ac propagari formis patiantur: quaſi vero, qui recte ſcribant, non eo pacto pluribus etiam proſint. Iſto utantur conſilio tuo, qui miſeras chartas oblinunt, ut eas videlicet perpetuis tenebris ſepeliant. Me vero nec pudeat emendare ſequentibus ſcriptis, ſi quid in prioribus quan-*

 doque

doque deliquerim: quo videlicet (ut quidam inquit,) & ſcribendo proficiam, & proficiendo ſcribam. Literis his POLITIANI cum plus ineſſe roboris ſentiret SCALA, quam ſuſtinere ipſe poſſet, jamque ſe tanto hoſti fere imparem agnoſceret, receptui canere ſigna jubet, victasque POLITIANO manus præbet, neſcio tamen, utrum vera magis, an magis ſimulata, modeſtia. Nam, cum illud unice agere videtur in Epiſtola ſequente, (*Lib. V. Ep. 4,*) ut magnificis laudibus ingenium POLITIANI extollat, ſuum vehementer deprimat, iis laudandi formulis utitur, quæ vehementius pungere POLITIANUM, quam contumeliæ graviſſimæ quæque, poterant. Hujus generis ſunt: *Nam cum Hercule congreſſus, quem tot tantaque evicta monſtra transferunt in cœlum, herbam do jam, manusque, &, ſerves victum, precor.* Quis enim non videat, rideri hic magnificam *Herculis* appellationem, qua donatum a FICINO POLITIANUM ſupra dixi. Sed nec illa virus ſuum diſſimulant: *Tu certe præter ceteros, mi Politiane, naturæ multum debes. Illa tibi ingenium iſtud — — dedit: ut corporis modo prætermittam dotes, quæ nonnihil & ipſæ habere a quibusdam putantur momenti ad felicitatem & fortunæ commoda: quæ profecto juvare nativam virtutem, niſi ipſa ſeſe deſerat, vehementer ſolent. Cæcus ſit funditus, qui hæc non viderit.* Si quid video, ſunt & hæc per ludibrium, forſan & per invidiam, a SCALA dicta, ut obſcœnos POLITIANI mores perſtringeret, quaſi is nempe corporis ſui copiam principi juventuti fecerit, ſemper ita amantes ſtudioſosque ſui Medicæos habiturus. Ut adeo mirari vix ſatis poſſim, non ſenſiſſe hos aculeos, nec his quidquam repoſuiſſe, POLITIANUM, cujus, quæ ſequuntur, literæ (*Lib. V. Ep. 5,*) multum blandiuntur SCALÆ, & pro amore illo gratias agunt humaniſſimas. Reſpondit & his ipſis literis SCALA, (*Lib. V. Ep. 6,*) idque tam amice & obſervanter, ut jam iras omnes penitus expuliſſe animo, ac primum inter eruditos tribuere POLITIANO locum, videretur. Cumque hac ipſa SCALÆ Epiſtola ſopitas ad aliquod tempus, neutiquam exſtinctas, horum contentiones puto. Apparuit enim paulo poſt, nihil his minus in animo fuiſſe, quam æterna amicitiæ fœdera ſervare; &, ſtimulos ſubjiciente æmulatione, novo impetu ad inglorias ſimultates

tates rediere. Nec deesse hostibus tam fervidis & incitatis materia jurgiorum potuit. Præbuit hanc BARTHOLOMÆI *in Culices Epigramma* quoddam, in quo cum *culicem* muliebri genere usurpatum animadvertisset POLITIANUS, & grammaticum hoc peccatum notasset hendecasyllabis:

Non sum fœmina, Scala, nec Latinis,
Nec Græcis, ideo placet puella;

hos SCALA remuneratus est statim aliis versiculis, *bellis & facetis*, ut POLITIANO vocantur in *Epist. ad* SCALAM, *Lib. XII. Ep. 8*, *sed in syllaba tamen una & altera negligentibus*. Nobis nec hos ipsos, nec illud *in Culices Epigramma*, propius licuit inspicere; quod SCALANA hæc aut nunquam edita conjunctim, (id quod hoc certius mihi persuadeo, quod nec addita sint *Carminibus illustr. Poet. Italorum*, nec locum, ubi sint edita, indicat diligentissimus harum rerum investigator, APOST. ZENUS, in *Addit. ad* VOSSIUM *l. c.)* aut hic locorum rarius sunt obvia. Quicquid vero de his compertum habemus, nos docet POLITIANI, quam modo diximus, Epistola, in qua severum, etsi non iniquum, in hos versiculos jus statuit, colligendo horum poeticas partim elegantias, quales sunt: *Congressum petis sic meæ puellæ*, & : *Sed, tu ni caveris, scio, jacebis*, partim solœcismos vix ferendos, quo refert illa: *citare somnum, bonam cutem ferire*, & *pasce meas carnes*, quod dictum erat pro *vescere meis carnibus*. Addit & ad calcem Epistolæ Epigramma Græcum, ingenii causa ad tuendam causam *Culicum* compositum. His acceptis literis, SCALA, ut erat ingenio moneri nescio, statim cristas erexit, nec diu responsionem distulit, qua (*Lib. XII. Epp.* POL. *Ep. 10*,) *festinantius* hæc, *quam gravem virum deceat, notata*, & POLITIANUM *acriorem scriptorum alienorum accusatorem consuetudine docendi*, dicit, *qua Florentinam juventutem tot jam instruat annos, reddatque pro viribus meliorem.* Per contemtum etiam in ipsa fronte Epistolæ inscripserat verba: *Angelo Politiano meo, monitori meo & patrono;* quod etsi non addiderit his literis, quisquis edidit, a SCALA tamen inscriptum utique fuisse, ex Epistola POLITIANI hanc sequente discimus. Sed forsan æquiore animo tulisset hunc monitorem suum, si, quæ objecerat ipsi POLITIANUS, ita fuissent comparata, ut

aliquo

aliquo modo excusari possent. Jam vero eo redactas vidit rationes suas, ut, quo illas metri maculas defenderet, ne verbum quidem haberet, &, quæ ad vindicandam dictionum proprietatem inepta & jejuna attulit, his ipsis ridendum se daret non POLITIANO tantum in Epistola hanc subsequente, sed nobis etiam omnibus, quibus hæc cum fastidio leguntur. Exacerbarunt hæc iram SCALÆ, cujus ne nullam vim sentiret ANGELUS, in Græcum ejus *pro Culice Epigramma* involavit, & rigidissimam in illud sententiam dixit: *Græcum Epigramma, quod ad me misisti, tanta inopia linguæ est Græcæ, vix verbis interpretor, nedum elegantiam perspicere possim carminis, sed, puto, tuum est.* Nec veretur in idem Epigramma criticam manum exercere, sed eam valde intempestivam, si POLITIANUM audias in Epistola subsequente, qua exprobrare SCALÆ scriptorum suorum maculas, hendecasyllabos duodecim tredecimque syllabarum, vocesque *stridaculum* & *clangacem*, lectas nunquam apud idoneos Scriptores, pergit. Claudunt eandem verba: *Tantum illud addidero, nihil me habere obscurum, nihil fictum, nihil clancularium, nec eorum blandimentis præsentem capi, qui facile obtrectent absenti. Placet enim mihi illud Homeri:*

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὅμως αΐδαο πύλησιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο γ' ἔπῃ.

Unde morosum & ignobile BARTHOLOMÆI ingenium, nemo est, qui non cognoscat. Sed quid ad hæc SCALA? Huic satis fuit, Epistolam POLITIANI *leviorem* dicere, (*Lib. XII. Ep.12,*) *morosiorem, suspectiorem, vaniorem, Politiani nomine indignam.* Pro hendecasyllabis vero egregie, scilicet: *Tu quoque, si incideris in hendecasyllabos, una plus alterave syllaba, meos esse scies, ut ego quoque habeam meum aliquid.* Sed addiderat his literis Epigramma SCALA, virulentum sine dubio, (non enim id legitur hoc in loco,) si quid suspicari licet ex POLITIANI verbis *Lib. XII. Ep. 13: Sed & clamas, pæne dixerim rabiosius, in epistolam meam, quo tamen ego non modo non offendor, sed & propemodum delector, ut qui videam, tui judicii rem non esse. Nam, de Epigrammate si quæris, quid sentiam, simillimum ceteris tuis est, & omnino (quod dici vulgo solet,) ejusdem farinæ.* Qua postrema vocula ludibrii causa usus est, quod

quod patre SCALA ille natus esset molitore. Quo POLITIANI judicio perturbatus aliquantum, visus est ad se ipsum redire SCALA, &, ne graviter offenderit POLITIANUM, metuere. Nam, qua respondet Nostro, tam longe a contumeliis remota est Epistola, (*Lib.XII.Ep.15,*) ut veteres injurias oblivione sepultas cupiat, hasque omnes ad jocum referat. Sed mox tam sani consilii pœnituit BARTHOLOMÆUM, & antiquus in præcordia furor rediit. Nam, cum aliter, ac ipse speraverat, res caderet, literasque has, quas diximus, ita acciperet Noster, ac si *receptum* hic *caneret*, & *reconciliare se ipsi studeret* SCALA, scriberetque (*Lib. XII. Ep.15,*) inter alia gloriose: *Itaque putavi, beneficium tibi me facturum, si te tibi ipsi tanquam in speculo ostenderem, persuasionemque istam scientiæ falsissimam de pulmone revellerem: quæ facit, ut super ætatis nostræ doctos homines etiam veteres illos contemnas, quos tamen extra aleam tot seculorum consensus diu posuerit. Non enim, credo, reputasti, fortuna dulci nimis ebrius, tantundem te descendisse in literis, quantum adscenderis in bonoribus: ut compensatione quadam paria tecum literati fecerint. Quod ad me attinet, nec aspernamur amicitiam tuam, nec inimicitias deprecamur. Tantum illud breviter testamur, ut tu fortunam, sic nos te, Scala, feremus;* accinxit se ille statim ad nova prælia, &, subrustico, cui dudum adsueverat, scribendi genere usus, literis amplissimis (*Lib. XII. Ep.16,*) arrogantiæ & vanitatis POLITIANUM accusavit, *Herculem*que *factitium* dixit, qui *monstrum sibi confingat, quem* (ita enim eleganter SCALA,) *devincat*; multa etiam de se ipso, illustrissimisque muneribus suis, ac rebus gestis, nec non de studio, quo prosecutus sit omni tempore POLITIANUM, gloriatus est impudentissime; denique, ut hæ ipsæ literæ cum illis POLITIANI publicentur, ne desit scilicet posteritati tam elegantis maledicentiæ monumentum publicum, serio vehementerque contendit. POLITIANO, fervidi ingenii homini, & in tuendam famam suam maxime intento, haud mediocriter moverunt bilem hæ literæ, jamque non parcendum amplius existimationi SCALÆ arbitratus, injurias injuriis cumulantis, & novas continuo turbas excitantis, abjecta humanitate omni, quam ille minime ferre videbatur, literis ei respondit multo durissi-

mis, & pleniſſimis exprobrationum, quasque paulo immodeſtius ſcriptas dicere poſſis, ſi ad Chriſtianæ de ferendis injuriis doctrinæ leges exigas. His velut prodromum præmiſit Epiſtolam brevem, ſed ponderibus verborum gravem, & vehementem *(Lib. XII. Ep. 17)* : *Accepi literas tuas, neſcio, magisne virulentas, an ineptas, omnino tamen ridiculas. Itaque me magnopere delectarunt. Omnibus tamen adhuc non reſpondeo, quia nondum conſtitui, (quando ego tibi Hercules ſum factitius,) quomodo tu mihi ſis tractandus, monſtrum furfuraceum. Cogito etiam paulisper mecum, vocandusne tu ſolus ad partes, an cum tuis omnibus. Quicquid decrevero, ſtatim ſcies. Vale, ut meritus.* Quo ſpectet illa *monſtri furfuracei* appellatio, & illi *tui omnes*, facile ſubodorabitur, quisquis meminerit molaris officinæ, unde genus duxerat BARTHOLOMÆUS. Subſequitur ſtatim longior Epiſtola, quam, etſi ſummus, isque juſtus quodammodo, dolor expreſſerat, nollem tamen ſcriptam a POLITIANO; adeo indignum hoc ſcribendi genus homine liberali, & verſante in ſtudiis humanitatis, videtur. Non enim niſi ad hominem omnium turpiſſimum profligatiſſimumque ita ſcribendum forte: *At ego monſtrum vocavi te furfuraceum. Monſtrum quidem, quod ex colluvione monſtrorum compoſitus es. Furfuraceum vero, quod in piſtrini ſordibus natus, & quidem piſtrino digniſſimus. — — Nam, ſeculum tibi tuum diſplicere, non miror, cum tu viciſſim quoque tuo ſeculo diſpliceas. Diſplices autem meritiſſimo, quoniam nihil ei ferme deerat ad ſummam laudem, ſi te vel non tuliſſet, vel certe extuliſſet. — — Nam de honoribus quidem, nihil eſt, quod tibi nimium placeas: vetus enim ludus hic, ut indigni tollantur in altum, videlicet, ut, hoc quoque ſe poſſe, fortuna declaret, cujus tu ſolius opus es, quæque jam tamen (ſicuti credo,) longe alio vultu te reſpiciet, exactura ſortem cum fœnore, de pulviſculo. — — Illa duo ſunt apud te veriſſima, quod & de tua fide locuturus, vanum te eſſe velle, profiteris: es autem profecto vaniſſimus, id eſt, mendaciſſimus; & omnium bonarum rerum egenum veniſſe te ais ad Rempublicam. Debueras hoc tamen adjicere, rerum omnium malarum veniſſe te divitem. — — Sed fruſtra, mi Scala, cupis, non enim tam mihi es odioſus, ut tuam prodere inſulſitatem velim, puerisque te deriden-*

ridendum propinare, lecturis vel hoc ita scriptum in ea epistola, monstrum, quem devincas: sic enim tu monstrum virili genere nunc dixisti, quemadmodum prius muliebri culicem, quæ ne in ludo quidem triviali dicerentur impune. Mitto enim dehonestamenta illa Romanæ linguæ, Vexilliferatum, Prioratum, mille alia, prorsus hausta de vulgi fæce: quæ publicari nolim Florentinorum causa, ne tam præclara civitas habere scribam dicatur, qui literas omnino nesciat. I nunc igitur, & nega, Politianum tibi esse amicissimum. Aspera hæc omnia & contumeliosa, sed excusanda quodammodo, si querentem eadem in Epistola de clandestinis SCALÆ obtrectationibus, & injuriis multis, ab eo acceptis, legas. Non passus est has POLITIANI literas carere responsione SCALA, quæ ipsa tamen Epistolis POLITIANI non est addita. Affert autem, & simul refellit, potiora ejus momenta POLITIANUS in alia ad SCALAM Epistola, *(Lib. XII. Ep. 19,)* quæ etsi minime accedat ad alterius illius, quam modo dixi, vehementiam, habet tamen & ipsa virus suum, & parum honoris tribuit BARTHOLOMÆO, inprimis in his, quæ sub finem leguntur: *Vides, quam te demonstrent ista non solum literas ullas non habere, sed ne sensum quidem communem. Quare testor, me posthac ad hæc ita frigida & inania non responsurum: non enim respondendum est (id quod Aristoteles præcipit,) iis, qui sine ratione loquuntur. Vale.* Nec mutavit postea hoc consilium; sed omnium, quas vel dedit ad SCALAM, vel ab eo accepit POLITIANUS, ultima hæc fuit Epistola, saltem ultima est earum, quæ *Libris Epistolarum* POLITIANI adjectæ leguntur. Forsan his simultatibus finem imposuit præmatura mors POLITIANI, quæ anno 1494, eodem quippe, quo partem harum Epistolarum scriptam supra diximus, hunc rebus humanis atque literis eripuit. Patet vero ex his, quæ hactenus absque omni partium studio, ipsarum Epistolarum fide, dicta sunt, utrumque in scribendo durum fuisse, & irarum flammis in transversum abreptum; neutri modestiæ, & in fereudis injuriis constantiæ, laudem tribuendam. Nec displicet adeo judicium JAC. GADDII *de Scriptor. non Eccl. p. 138: Bartholomæus Scala — —Politianum tetigit epistolis, vel potius carpsit gravi libertate, immutabilem*

 pro-

professus amicitiam. Scalam Politianus pluribus epistolis acriter & acerbe pupugit, contemsit, atque damnavit, amarulentus judex, vel potius accusator. Inprimis vero eorum, quæ his addit GADDIUS, ne apud posteros POLITIANI famam obscurent simultates istæ, habendam rationem putem: *Ego utriusque verba contumeliosa prætercam, utriusque parcens existimationi, licet ea fuerit hæc, ut facile oppresserit vel texerit magnitudine sua verborum aliquot notas indecoras, quæ ab iratis & infensis prolata minimum habent ponderis, ideoque ut levia sunt despicienda viris magnanimis, qui, se non sentire percussos, veræ magnitudinis opus arbitrantur.* Accedit illud inprimis, minime Lectori æquo, & famæ POLITIANI studioso, negligendum, quod, si non literæ SCALÆ, satis per se importunæ, certe insidiosæ & clandestinæ ejus machinationes, quibus invisum reddere nomen POLITIANI obvio cuique laborabat, fortiter pugnandi adversus hostem tam ignobilem liberrimum ipsi jus tribuerint. Neque vero satis fuit his Duumviris, per epistolas amanter ita & amice colloqui; sed ipsas in subsidium novem Musas vocarunt, &, quæ epistolari stilo vix satis convenire videbantur, festivo carmine complexi sunt. Et SCALA quidem Satyras in POLITIANUM tam Latinas, quam vernaculas, scripsit; Latinas quidem, easque complures, si fides JAC. GADDIO *de Scriptor. non Eccles. T. II. p. 23*, & JUL. NEGRI in *Istor. degli Scrit. Fior. p. 85*, vernaculas autem, si vera refert POCCIANTIUS in *Catal. Script. Flor.* & idem NEGRI *l. c.* qui ita inscriptas docet: *Sonetti acuti, profondi, Apologetici, ed acri Invettive contra Angelo Poliziano.* Quæ cum, teste eodem NEGRI, ad hunc usque diem sancte asserventur Florentiæ in Bibliotheca Medicæa, neque adhuc, quod sciam, exierint in lucem publicam, materiam nobis dicendi jam prorsus nullam præbent. POLITIANI vero Carmen non nisi unum, idque Latinum, exstat in libro *Epigrammatum* ejus, sed quod multorum instar millium esse possit, adeo bilem redolet, & ridendum nobis BARTHOLOMÆUM proponit. Inscriptum est: *In Quendam*, nec per universum Carmen SCALÆ usquam nomen legas. Sed, ad quem spectent hæc, unumquemque argumentum carminis & dicta aculeata docent. Non injucundum Lector

ctori, nec abs re, fuerit, tam pulchrum maledicentiæ monumentum huc transferre integrum, quod mihi de eo dicenda sint nonnulla, quæ, nisi Carmen ipsum ante oculos habeas positum, vix satis intelligas. Audiamus igitur Poetam:

Hunc, quem videtis ire fastoso gradu,
Servis tumentem publicis,
Vel hinniente per forum vehi capax
Equo, quod omnes despuant:
Turbam superbo præterit fastidio
Qui civium stomachantium,
Gravique cunctos ora torquentes retro
Despectat insolentia:
Intraque tutum mœnibus pomœrium
Agros patentes possidet,
Villamque dives publico peculio
Insanus urbanam struit,
Ubi otietur inter obscœnas lupas,
Ne turpiora dixerim:
Ubi ampla pergræcetur inter pocula,
Senex podagra rancidus.
Hunc vos putatis stirpe forsan inclyta,
Virtutis aut insignibus,
Ad hoc volasse protinus fastigium.
Falsum putatis, hospites.
Molas hic inter natus est aquaticas,
Gratus sodalis muribus.
Nigris sodalem muribus
Fortuna ludens furfuris plenum tulit
Ad usque supremos gradus,
Monstrare gaudens, arroget quantum sibi
Mortalis impudentia.
Ergo iste, tantis arduus suffragiis,
Nunc immemor natalium,
Ut quemque longo stemmate clarum videt,
Aut dote rara nobilem,
Tristi veneno spargit, & rodit statim
Rubiginosis dentibus.

Non ipse se, fortuna non ipsum, capit,
Aura favoris ebrium:
Sic culmen altum lubrico premens pede,
Ventisque turbidis patens,
Casurus usque nutat, & jamjam cadet,
Sed non gradatim scilicet.

Non aliam hic, nisi SCALÆ, imaginem depingi, vel sola molæ aquaticæ & furfuris mentio dubitare neminem sinit. Sciendum vero præterea, fuisse tunc temporis huic SCALÆ villam admodum amœnam juxta Florentiam, quæ nunc in bonis est Marchionum GUADAGNI, nec non in ipsa urbe cultissimum hortum, & ei adjacentes ædes, magnifice exstructas, quas suo tempore inhabitatas Comitibus de GHERARDESCHI, Archi-Episcopi Florentini fratribus, testatur HENR. BRENCMANNUS in *Hist. Pandect. Lib. IV. Cap. 1. pag. 315. not. (a)*. In harum suprema fronte collocari, & in lapidem incidi, curaverat SCALA insignia gentis suæ, quæ spectandam præbebant scalam, cum inscriptione: *Gradatim.* Quibus ipsis indicabat SCALA, ad illustrissimas, quibus tunc effulgebat, dignitates adscendendum sibi per gradus fuisse. Docemur ista a BRENCMANNO *l. c.* nec non APOST. ZENO, copiose hæc, accepta sibi ab Abbate SALVINO SALVINI, commemorante in *Addit. ad* VOSSIUM, quæ sunt in *Giorn. de' Letter. d' It. T. XXII. p. 413.* De quibus jam certior factus, mentem & acumina Epigrammatis, quod attuli, Lector, clarius perspicies.

(r) Quid fuerit hominis MARULLUS ille, cognomento TARCHANIOTA, si quis est Lectorum, qui ignoret, is copiosissimam vitæ & meritorum ejus notitiam petat ex doctissimis JANI BROUCKHUSII ad JAC. SANNAZARII *Lib. I. Eleg. 2 Annotationibus p. 121 seq. edit.* VLAMING. quo in loco, quicquid de hoc MARULLO memoriæ tradidere Scriptores fide dignissimi, diligenter collectum, & notabiles inprimis BÆLII errores, quos ille in *Lex. Hist. T. III. p. 2344. not. (o)* commisit, emendati exhibentur. Fontem hunc indicasse Lectori, unde doceri optima quæque possit, satis sit nobis, quibus, de char-

charta in chartam transscribere, & alieno vitulo arare agros nostros, ignobilis labor videtur. Tantum illud silentio prætereundum non existimo, Poetam Latinum fuisse MARULLUM sat tolerabilem, & supra ingenium gentis Græcæ, unde ortum duxerat, festivum, etsi minime dignum iis laudibus, quibus mactatum se vidit a multis seculi sui eruditis, maxime JAC. SANNAZARIO, in cujus judicio plus esse amoris dixeris, quam veritatis. Quid erroris commissum sit a RICH. SIMONE, delineante nobis hujus MARULLI imaginem, jam supra *not. (p)* hujus §. dictum memini. Arrogantis & sibi multum confidentis ingenii hominem fuisse, testatur acerbissimum ejus de veteris Latii Poetis effatum, quod & penes PETRUM CRINITUM *Lib. XXIII de Honesta disciplina Cap.* 7, & carmine expressum inter ipsius MARULLI *Epigrammata* legitur; de quo cum ipso commendatore suo pœnas dedit FRANC. FLORIDO SABINO, cujus liber integer, *Defensio pro linguæ Latinæ Autoribus*, adversus MARULLUM tela vibrat. JUL. CÆS. SCALIGERO *Libro VI Poetic.* qui & *Hypercriticus*, *p. 710 totus durus, morosus, aliorum obtrectator, sui admirator simul, & diffidens*, dicitur. Centies cusa & recusa ejus *Epigrammata* & *Hymnos* ait BROUCKHUSIUS *l. c.* cui tamen parvi æstimantur hæc *Carmina*, ob id inprimis, quod, si metrum spectes, licentius negligentiusque scripta sint. Et acerrimam horum censuram egit JUL. CÆS. SCALIGER *l. c.* cui ad infimi subsellii Poetas rejicitur MARULLUS. Mitius de eo judicat LIL. GREG. GYRALDUS *Dial. I de Poetis suor. temp. p. m. 530*, in nonnullis excellere eum, & plane referre LUCRETIUM, existimans. Et sane huic Poetarum veterum præ ceteris multum tribuit MARULLUS, tantopere ejus lectione delectatus, ut illustrandum sibi sumserit *Annotationibus criticis*, quas *Florentiæ apud Juntam A. 1512*, 8, edidit PETRUS CANDIDUS, ut docet JO. ALB. FABRICIUS in *Biblioth. Lat. T. I. Lib. I. Cap. 4. p. 44*, & *T. II. Lib. I. Cap. 4. p. 59.* Sed parum gratiæ hoc labore a viris doctis iniit, maxime JOS. JUST. SCALIGERO, cujus acerbum est de MARULLO judicium in *Castigat. in Catull. p. m. 106 : Sane, quibus ille vir tantus videtur, tantique fit, debebant aliquid de pertinacia remittere, si ejus editionem Lucretianam dili-*

diligenter perpenderent. Nullus enim veterum Autorum ita male ab ullo correctorum acceptus est, ut Lucretius ab illo audace Græculo. At nos illum non imitabimur, & , si quæ extant ejus ac similium correctorum in bonis libris temeritatis atque audaciæ vestigia, ea prorsus abolere, atque de medio bonorum scriptorum penitus obterere, nobis consilium est. — — Rapidum quidem ingenium Marulli fuit, & torrens, sed quod versibus nunc bonis, nunc malis, ex tempore effutiendis potius, quam bonis Autoribus emendandis, natum videtur. Ipse etiam PETR. VICTORIUS, qui *admirabilis ingenii virum, elegantissimumque Poetam*, vocat in *Annotat. in Cicer. XI ad Famil. 20. p. 184.* eodem in loco illud valde dolet, nimium in his *Lucretianis Castigationibus* ingenio indulsisse, & abusum falce critica, MARULLUM. Nec ab his discrepat judicium PETRI CRINITI, quantumvis alioquin cum MARULLO facientis, *Lib. XV de Honesta disciplina Cap. 4. p. m. 229.* Quæ ei cum POLITIANO intercessit inimicitia, tanta fuit, ut omnes prorsus modestiæ terminos migraverit, turpissimis vetularum altercationibus simillima. Quæ tantorum causa bellorum exstiterit, vix definire certo liceat, cum nihil de eo nos doceant nec ipsa horum scripta, nec aliorum, quos tulit ætas illa, testimonia. Probabilis tamen est conjectura SIMONIS *l. c.* id male habuisse MARULLUM, quod universo Græcorum, in Italia tunc hospitantium, & Græcæ linguæ principatum affectantium, gregi exitiale bellum intulerit POLITIANUS, &, quaqua licuit occasione, exponere eos ludibrio Italorum laboraverit. Hinc studio gentis suæ abreptum, id suarum partium existimasse MARULLUM, ut arma caperet pro gloria civium suorum, & feroces POLITIANI animos compesceret. Nihil repugno; sed causam huic aliam addo, meo judicio haud minus verosimilem. Quid? si iras tantas Deus Amor inflammaverit? Dixi supra, amantissimum ALEXANDRÆ SCALÆ fuisse POLITIANUM, hujusque laudes carminibus celebrasse, plane tenerrimis, nec obscure mollissimum amorem loquentibus. Sed, præter expectationem POLITIANI, postea MARULLO in prædam cessit ALEXANDRA, eumdemque constantissime amavit, ut facile colligas ex Epigrammatis multis, quibus *Neæram* suam (ita enim appellat SCALAM,) fere in cœlum extollit

MARUL-

MARULLUS. Id ipſum ſi faces irarum ſubdidiſſe, aut POLITIANO, amiſſam vitæ ſuæ partem alteram dolenti, aut MARULLO, ſuſpicioſe amanti, & rapacem vulturem timenti, exiſtimes, forſan tu conjectare non inepte videaris. Quod vero ad ipſas horum ſimultates attinet, ut licentius hic ira fureret, illo ſcribendi genere uſi ſunt, quod conviciis dicteriisque ignominioſis aptiſſimum habetur. Poeticum puto, quo ſi contumelias nequiſſimas complectimur, dicimur nos egregie ad veterum Poetarum ingenium componere. Epiſtolæ horum mutuæ plane nullæ exſtant; nec per univerſa POLITIANI ſcripta MARULLI nomen uſquam legitur. Unde patet error BÆLII, ſat grave inter MARULLUM & POLITIANUM certamen epiſtolare fuiſſe, perhibentis in *Lex. Hiſt. T. III. p. 1952.* In quem errorem ut incideret, illud in cauſa fuit, quod aliter, ac debebat, accepit verba JOVII, quem & ipſe teſtem adducit, in *Elog. Cap. XXVIII: Propterea Florentiæ Alexandram, eruditi ingenii puellam, uxorem duxit* (MARULLUS), *Bartholomæi Scalæ, Vexilliferatus honore conſpicui, filiam. Hic eſt, qui, paulo ante Græcorum nomini favens, cum Politiano, ejus gentis ingeniis infeſto, maledicentiſſimis epiſtolis lites extenderat.* Ubi ad MARULLUM male retulit BÆLIUS, quæ ad BARTHOLOMÆUM SCALAM potius ſpectare, haud obſcure intelligitur. BÆLIUM eodem nomine notatum video BROUCKHUSIO in *Notis ad* SANNAZ. *Carm. l. c.* Neque in ipſis horum Carminibus, quæ MARULLUM, quæ POLITIANUM pungant, ſubodoreris facile, niſi illi *Mabilii* (mala bile præditi,) nomen a POLITIANO, huic *Ecnomi* (nefarii) a MARULLO, datum ſcias. Ad POLITIANUM enim, quæcunque in *Ecnomum* ſcripta ſunt a MARULLO, ad hunc vero, quæcunque *Mabilio* inſultant POLITIANI Epigrammata, pertinere, docemur a BROUCKHUSIO in *Annotat. ad* SANNAZAR. *Lib. I. Epigr. 66*, & BERNARDO MONETA in *Notis ad* BAILLETI *Jug. des Sav. Tom. IV. Part. I. p. 98. not. 2.* Quorum teſtimonia faciunt, ut intelligas PETRUM DE S. ROMUALDO, ita perobſcure ſcribentem in *Abregé du troiſiéme Tome du Treſor Chronol. & Hiſtor. p. 262: Marulle l'a fort mal mené ſous le nom de Mabilius.* Quis enim

 non

non hæc ita potius accipiat, *Mabilii* nomen POLITIANO a MARULLO, quam huic a POLITIANO, datum. Possis & ita interpretari, sibi ipsi dedisse cognomentum *Mabilii* MARULLUM iis in Carminibus, quibus POLITIANO insultavit. Id quod jure suo reprehendit BÆLIUS *Tom. III Lex. Hist. p. 2344 not. (O).* Sed idem BÆLIUS plane de eo dubitat, an his, quæ in *Mabilium* composuit POLITIANUS, petitus sit MARULLUS. Sed videamus, quæ illi dubitandi causæ fuerint. Primum negat, quidquam in his Carminibus animadverti, quod MARULLUM potius, quam alium quemque, prodat. Nec in eo prorsus dissentio a BÆLIO. Varia hic de *Mabilio* contumeliose dicuntur, quæ minime de MARULLO legisse me memini penes Scriptores illius ævi alios. Nec, si conferas cum his bina, quibus in eundem *Mabilium* lusit CANTALICIUS, Poeta Italus, POLITIANO æqualis, *Epigrammata*, notitiam hinc de MARULLO certiorem petes. Utrumque huc afferam ex *Carmin. illustr. Poet. Ital. Tom. III. p. 149*, ut, si quid valeant ingenio Lectores nostri, exquirant ex his aliquid, quod ad MARULLUM spectet. En horum alterum:

Magna Fluentinis quod se cantare fatetur
Mabilius; præstas, dic mihi, Roma fidem?
Mendicat Cererem, Bacchumque, focumque, laremque,
Nec tribuit misero barbara musa lucrum.
Nam nunc Sarmatico lacerat sermone poesin,
Nunc aliquos Getico concinit ore modos.
Hanc, cui Castalii finxerunt pectora rores,
Tuscia barbariem discere velle negat.
Hic igitur qua nunc vivat ratione, requiris?
Urbis in antiquo ponte rogator adest.

Alterum Epistolæ instar ipsi POLITIANO inscriptum est:

Mabilii natale solum qui scire laborat,
Hic habet in rebus, Angele, nil quod agat.
Nec patriam meminit, nec novit in orbe parentes,
Qualibet ille suum mutat in urbe genus.
Prandia dum Latia misere mendicat in urbe,
Adriaca natum se canit ille plaga.

Bar-

Barbariem argutis Venetis dum vendere tentat,
Exquilias inter jactat habere domum.
Dumque Fluentinam collustrat perfidus urbem,
Se Ligurem clarum dicit habere patrem.
Cum Ducis Urbini blanditur in urbe crumenis,
Parthenopen patriam jurat habere suam.
Dum Ligures repetit ficto sermone penates,
Se natum mediis dictitat ille Senis.
Denique mendicus nunc hac, nunc cursitat illac,
Barbariem frustra qualibet urbe sonans:
Angele, qui toties mentitur in urbe penates,
Natalem certe non habet ille locum.

Et magis forsan dubitasset BÆLIUS, si cum his POLITIANI in *Mabilium* Satyris contulisset ipsa MARULLI Carmina. Multa enim *Mabilio* objiciuntur a POLITIANO, quorum nulla vestigia præbent MARULLI, quæ exstant, Epigrammata; idque hoc magis mirum, quod nemini esse obscurum possit, peti a POLITIANO insulsa quædam *Mabilii* Carmina. Ita vitium metricum, *expedivit* hexametro insertum, & alia nonnulla, notat, quæ in MARULLANIS nusquam invenire licuit. Porro in eodem *Epigrammate* scribit:

Quod me scire negas vel curtum scribere carmen,
Vel longum, &c.

nec non in alio:

Quod fulgur mihi te novum, Mabili,
Missurum, & tonitrus minere veros &c.

& in simili:

Quod nasum mihi, quod reflexa colla
Demens objicis, &c.

Sed horum nihil ostendunt, quæcunque *Ecnomum*, hoc est, (quod certissime constat,) POLITIANUM, laudant, MARULLI Epigrammata. At in contrariam partem multa MARULLUS POLITIANO exprobrat, ad quæ ille ne verbum quidem reponit, id quod deinde, cum ipsa utriusque proferentur Carmina, clarius patescet. Injicit vero & illud maxime scrupulum, quod sint quædam inspersa a POLITIANO, quæ non inepte ad BARTHOLOMÆUM SCALAM, ipsius item hostem infen-

ſiſſimum, transferas. Habes hic eadem *furfura*, quorum feraces ſunt ejus ad SCALAM Epiſtolæ:

Quod lurdum madido fluit capillo,
Pleno furfuribusque vermibusque, &c.

Et parentem ejus molitorem facile noſcas in his:

Hæres relictus a parente ſordido &c.

Nec ab illis, quæ ſunt in *Epiſtola ad* SCALAM, *Lib. V Ep. 5: Si tu edentulus, mi Scala, tua tamen fuerat dentata Epiſtola*, diſcrepat verſus:

Ore tibi pauci, ſed nulli in carmine dentes
Cum ſint &c.

Denique, ſi memineris eorum, quæ de æde, Florentiæ a SCALA inhabitata, ſupra diximus, facile huc trahas Jambicum trimetron POLITIANI, quod *in domum nuper a Mabilio emtam* inſcriptum eſt. Sed nolumus ſuſpicioni nimium indulgere, nec id agimus, ut elegantem BERN. MONETÆ conjecturam præter rem debilitemus. Si qua nobis ſuppetunt, quæ dubitationi locum faciant, neutiquam tamen in his tantum ineſt ponderis, ut rem prorſus evertant; nec deſunt nobis, quæ confirmare valde ſententiam MONETÆ poſſint. Latere enim ſub perſona *Mabilii* Poetam ineptum & inficetum, licentiusque carmina pangentem, ipſa Epigrammatum lectio docet. Quis vero non egregiam in his imaginem MARULLI conſpiciat, non Poetæ tantum, ſed, quod vulgo conſtat, licentioſiſſimi etiam. Adhæc, ſi nec minuta negligenda, cum præ ceteris MARONEM & LUCRETIUM magni fecerit MARULLUS, cum & dicatur parum ſancte de Diis ſenſiſſe, tetigiſſe hæc POLITIANUS in illis videtur:

Cœli numina quod negas Deumque,
Lucreti fuit hoc & Euripidis.
Pædicas, fuit hoc Maronianum.

Nec inepte *Mabilium* dixerat MARULLUM, cui pater erat nomine MANILIUS, quod eſt ab illo *Mabilii* parum diſcrepans. Nec illud caret ſuo robore, quod calumnioſiſſimis illis MARULLI in *Ecnomum* Satyris non videatur nihil repoſuiſſe Noſter, fervidiſſimi homo ingenii, nec ad pugnas imparatus alioquin; id quod factum tamen, ſi nihil rei eſſe MARULLO putes

tes cum *Mabilio.* Nam, præter hæc ipsa, nullum exstat inter Epigrammata POLITIANI, quod ad MARULLUM trahere jure possis. Neque vero quidquam contra nos valet illud alterum argumentum BÆLII, ab inscriptione unius horum Carminum, *in Mabilium Novatum Insubrem*, petitum; quandoquidem non, quod putat BÆLIUS, ortu & natalibus, sed genere tantum & majoribus, Byzantinus fuit MARULLUS, si vera sunt, quæ tradit BROUCKHUSIUS *l. c.* Fuit enim MARULLI hujus pater, MANILIUS, eorum unus, qui Seculo XIII & XIV penates exules e Græcia in Italiam transtulerunt, ubi genitum ei hunc filium, quidni verosimile putetur? Forsan igitur ex hac Carminis inscriptione, quæ fuerit patria MARULLI, discere jam nobis liceat. Denique scrupulum movit BÆLIO Epitaphium *Mabilii*, quod legitur inter ipsa hæc POLITIANI Epigrammata. Nam, si anno demum 1500, diu post mortem POLITIANI, aqua suffocatus interiit MARULLUS, qui tumulo ejus, inquit, superaddere carmen potuit POLITIANUS? Sed bene factum a BÆLIO, quod nodum hunc ipse solvit, & ingenium Poetæ hic agnovit, qui mortuum fingat hostem suum, ut sic licentius ei & magis impune insultaret. Nobis igitur, larva detracta, *Mabilius* MARULLUM sistat, usque eo, dum certiora cognoscere nobis aliunde liceat. Jam, quod hujus inprimis loci est, hostium ferocissime inter se pugnantium pulcherrimum, si Diis placet, Lector spectaculum expectat. Dabimus vero, quotquot exstant, POLITIANI æque ac MARULLI Carmina, quibus lectis, quam ingeniosus sit exacerbati animi furor, intelliges. POLITIANI, quibus *Mabilium* risit, Epigrammata numero decem sunt, in quibus nullum est, quod non petulantissimam & effrænem prorsus cavillandi libidinem loquatur. Horum primo Carmina MARULLI, innumerabilesque horum mendas, perstringit:

Innumeræ tibi sunt, Mabili, in carmine mendæ,
Atque, ubi sint, quæris; per mare quæris aquam.

Alterum, cui titulus: *in Mabilium Novatum Insubrem,* turpissimam MARULLI imaginem turpissimis coloribus depingit, & inter sordidissimos omnium Poetas eum locat:

 Quod

Quod vestes oleo geris perunctas,
Mucco & pulvere sordidas, Mabili:
Quod lardum madido fluit capillo,
Pleno furfuribusque, vermibusque,
Et cadaveribus pedunculorum:
Quod fuligine squallet atra barba,
Quam rodunt tineæ, pulexque saltans:
Quod muccosa tibi seges pilorum
Exstat naribus usque pulyposis,
Qua septem lepores queant latere:
Quod gingivaque, buxeique dentes,
Sordent Ploxonio, ac putente in ala
Educas olidæ marem capellæ:
Quodque unguis sanie rubet cruenta,
Sæpe ut lucifugam putem esse blactam,
Cœnæ relliquiasque pridianæ,
Incrementa manus habent voracis:
His te ex omnibus esse quis Poetam,
Vatem, fatidicum, neget, Mabili?
Tales Cæcilios fuisse credo,
Plautos, Pacuviosque, Næviosque,
Aut si quis Curium boves sequentem,
Traxit versibus ulmeum in theatrum.
Cœli Numina quod negas Deumque,
Lucreti fuit hoc & Euripidis,
Pædicas, fuit hoc Maronianum.
Pædicavit Anacreon Bathyllum.
Insanis, Colophonius Poeta es.
Jam jam Phthiriasi scaturiente
Semesus cadis, & foraminatis
Membris, hoc Pherecidæ habes tragœdi.
De cunctis male dicis, hoc Poeta es.
Quid multis moror, es Poeta totus,
Possum hoc indiciis probare centum.
Quo vulgus negat esse te Poetam,
Id quiddam est minimum, neque annotandum.
Quod vexas miseras subinde chartas
Plenis versibus inficetiarum.

Quod

Quod huic ſubjectum eſt Epigramma, ut facilius intelligant Lectores, verba ei inſcripſit Editor : *In eundem Mabilium, objicientem Angelo Politiano, quod neque curtum carmen, neque longum, ſciat componere*, in quo reſponſo *Mabilium* ridet, quod curtum & longum improprie uſurparit, ſimulque ei objicit, quod antepenultima producta poſuerit *Mabili*. Jam ipſum Carmen audi:

Quod me ſcire negas vel curtum ſcribere carmen,
Vel longum, fateor, ſolus utrumque facis.
Nil breve, nil medium eſt, longum eſt, curtumve, Mabili,
Quicquid habes, quicquid aut geris, aut loqueris.
Proximus a primo tibi pes eſt tempore curtus,
Quando expedivit inſeris hexametro.
Altera curta tibi ſolea eſt, curtumque Mabili
Subligar, erumpunt hinc digiti, hinc veretrum.
Si quis forte tuas ſtudeat componere laudes,
Uno longus erit hic quoque verſiculo.
At, ſi quis ſcribat, quot habent tua carmina mendas,
Conficiet curtas hic vel hic Iliadas.
Quæ ſemper fellat, dicit perjuria ſemper,
Longa tibi lingua eſt, hac cito curtus eris.
Quod vacat, eſt longum caput, atque enorme Mabili
Judice vel cerebro ſi quod ineſt, rogita.
Verum alia eſt aliis ſententia, namque Phreneſis
Conqueritur capitis de brevitate tui.
Qui cerebro tenus id lacerant, curtum eſſe fatentur,
Tu quoque mox curto curtus eris capite.
Quanquam id carnifices nondum ſtatuere, ſed ingens
De te certamen eſt gladio, & crucibus.
Hoc eſt, quod vultur, quod corvus geſtit, & eſcam
Te fore uterque ſibi prævidet augurio.
Hoc ſpurci mores, impura hoc vita meretur,
Obſcœnoque animus corpore ſordidior.
Quid morer his ? nam, ſi prolixum ſingula narrans,
In te ego nunc librum ſcripſero, curtus erit.

Subſequitur aliud *in Mabilium, minantem, novum ſe fulgur verosque tonitrus miſſurum*, quod, ſi naſo admoveas, ſtercora & latrinas olet :

Quod

Quod fulgur mihi te novum, Mabili,
Missurum, & tonitrus minere veros,
Nil est: novimus, hos neque esse fictos,
Nam veros tuus esse odor probavit.

Jam Hendecasyllabos lege, quibus nihil scribi durius inhumaniusve poterat:

Si jam carmina nostra te, Mabili,
Urgent ad laqueum, miser, crucemque,
Ne, quæso, propera mori, tuum ne
Fraudes carnificem suo lucello.
Namque est percupidus tui: ac libenter
Is tantum tibi demserit laboris.
Quid? nostin' hominem? negas? at idem est,
Aurem qui secuit tibi sinistram.

His Elegi accedunt *in Mabilii inertem maledicentiam*:

Ore tibi pauci, sed nulli in carmine dentes
Cum sint, atque illi sint putridi & veteres:
Allatras, ut, cum nequeas mordere, Mabili,
Latratu ostendas, te tamen esse canem.

Et alii *in Mabilium, quod perturbatus respondeat*:

Iratus nimium nobis, sed jure, Mabili,
Urgeris nostris jam, puto, carminibus.
Ipse jocor tecum ridens, sed jure, Mabili,
Quis non rideret carmina, quæso, tua?

Bina, quæ sequuntur, conviciosissima sunt Carmina, ad MARTIALIS scilicet, aut CATULLI, ut putat BÆLIUS in *Lex. Hist. Tom. III p. 2434 not. (O)*, ingenium conficta. Alterum responsi locum sustinet ad criminationes MARULLI, qui corporis quasdam maculas Nostro turpiter objecerat;

Quod nasum mihi, quod reflexa colla
Demens objicis, esse utrumque nostrum,
Assertor veniam vel ipse: nam me
Nil nasutius est sagaciusque,
In te dum liceat vibrare nasum.
Nam quis te, rogo, sic inelegantem,
Insulsum, illepidum, videns, ineptum,
Versus scribere prorsus inficetos,

Non

Non centum cupiat sibi esse nasos?
Centum Rhinocerotas, atque barros,
Ronchos, auriculas, ciconiasque,
Cum splene & petulantibus cachinnis?
Condas te in putidum licet lupanar,
Mergas te in mediis licet cloacis,
Non cedas olida licet latrina,
Quoquo diffugias pavens, Mabili,
Nostrum non poteris latere nasum.
Prendam te miser, utque trux molossus
Frangam dentibus imbecille tergum.
Sed nasus superest tibi, Mabili,
Curtus, dimidiatus, osseusque,
In quo polypus exurit, vel ipse
Quo cimex posuit sibi cubile,
Quo tutas pulices habent latebras,
Qui jam pervius est adusque frontem.
In quo nidificare vespa possit,
Qui neutro patet indecens hiatu,
Clausus sentibus hic quibus: sed ille
Plenus cassibus est aranearum.
Sed quid te cruciat, reflexa colla
Si interdum gero? num parum videtur,
Si pronos statuis tuos cinædos?
Si pronum statuent, miser Mabili,
Mox te carnificis manus, velut nunc
Pronum te statuunt mutoniati?
Atqui tu resupina colla demens
Posthac desine jam mihi exprobrare.
Nam, qui pronus obambulas popinas,
Spurcatum caput erigas libenter,
Si pondus sinat herniæ, Mabili.

Alterum acriter *Mabilium* sugillat de domo, ab eo emta in desertissimo urbis loco, qui ad Caballum dicitur:

Hæres relictus a parente sordido,
Ille impudicus, temulentus, aleo,

Spurcus, lutoſus, pediculoſus, hiſpidus,
Pannoſus, unctus, horridus, caprimulgus,
Edax, ineptus, inſolens Mabilius,
Uno expatravit patrimonium die,
Gula helluante, cunnilingis oculis,
Vorace culo, & exfututa mentula.
Mox, cum ſuper vix quindecim nummi forent,
Rebus cavendi jam ſuis tempus ratus,
Emit lacertis & colubris hoſpitam
Domum, rigentem ſenticetis & rubis,
Familiarem vulturi & bubonibus.
In qua ſolebat turba mendicantium
Longis coactos eſuritionibus
Mandare terræ turgidi ventris cibos;
Qua contumaces Æolus ventos ſolet
Punire clauſos: qua recuſet Tantalus
Siticuloſam Ditis horridi Styga
Mutare, & Ætnæ centiceps gigas onus.
Nec vendere illam, nec locare, ſi velit,
Donare nec Mabilius cuiquam poteſt.
Mutare dominum domus hæc neſcit ſuum.
Quantum libet, Mabilius ſit prodigus,
Profundat ore, pene, podice, & manu,
Quam nunc ſit, eſſe non poteſt pauper magis,
Fecit lucrum ingens, hanc emens Mabilius.

Ultimum omnium eſt ſepulchralis inſcriptio, qua *Mabilio* adhuc viventi parentavit:

Flecte, viator, iter: fœtet nam: putre Mabili
Hac fovea corpus conditur, atque animus.

Exſtat & inter Carmina POLITIANI quodam in *in Invidum* Epigramma, quod facile putes in eundem MARULLUM, certe in Græculum quendam, ſcriptum:

Quiſquis es, obſcuro vatem qui dente laceſſis,
Majorem triſti degener invidia,
Uſque late, lucemque pave, blactarius autor,
Lividior Græcis barbarieque tuis.
Quosque fames epicis ad nos emiſit Athenis,
Hos audi, gens eſt auribus apta Midæ.

Neque

Neque vero minorem conviciorum apparatum in Carminibus MARULLI animadvertas, *assidui*, ut vocatur VOSSIO *Cap. VII. de Poet. Lat. p. 81*, *Politiani obtrectatoris*, *doctrina licet inferioris*, *nec lepore paris*. Epigrammata ejus in *Ecnomum* numerantur octo; &, in his POLITIANUM peti, ipse adeo celare non potuit, ut loco plus uno ipsum (quod contra genium Satyræ est,) nomen POLITIANI legas. His locus datus est in *Libro III Epigrammatum* MARULLI, præter unum, quod est in *Libro IV.* Agit vero hic illud maxime MARULLUS, ut in ludibrium convertat criticas Autorum veterum interpretationes, quæ sunt in *Miscellaneis* POLITIANI magno numero congestæ. Ita, quæ de *Oarione* CATULLI leguntur *Cap. LXIX Miscellan.* ridentur Epigrammate statim primo:

Oarionem pro Erigone citat Ecnomus: unde?
Non facit ad mores virgo, sed Oarion.

Sed ineptissimum dicitur hoc Epigramma JOS. JUST. SCALIGERO in *Castigat. in Catull. p.m. 106*, nec id immerito. Stetit tamen a partibus MARULLI M. ANT. MURETUS, nescio, an in eo æquus satis judex, quod aculeos illos MARULLI probaverit, ob levem in re Grammatica dissensum. *Quo magis mirandum est*, inquit in *Commentar. in Catulli Epigr. de Coma Berenic. quid cogitarit Politianus, cum hunc locum adhibita industria corrumperet, collectis, si Diis placet, multis locis, quibus planum faceret, a Græcis interdum Oarionem pro Orione dici, quasi id ageretur. Itaque merito incidit in aculeos reprehensorum, maxime Marulli, qui quodlibet vadimonium, ut dicitur, potius deseruisset, quam illam exagitandi illius occasionem.* Similiter in hæc, quæ de *crepidis Carpatinis* CATULLI differit POLITIANUS *Cap. II. Miscellan.* morose canit ille alio Epigrammate:

Lingere carbatinas vult Vection Ecnomus, ipse
Ut possit trepidas lingere cercolipas.

Sed ad hæc idem SCALIGER *l.c. p.m. 131*: *Quod autem hac in re Marullus Politianum ridet, nihil præter solitum facit. Modo enim occasionem hominis insectandi nanciscatur, jure, an injuria, recte, an secus, id faciat, susque deque habet.* Nec passus est Græcis inopiam verborum a POLITIANO exprobrari *Cap. I. Miscellan.* ubi, *nullum Græcorum, quamlibet inqui-*

rendo ſe torſerit, inepti reperire adhuc aut excogitare vocabulum potuiſſe, contendit ille. In hæc igitur acerbe MARULLUS:

Quidam Pelasgos jure queſtus eſt ſuo
Carere inepti nomine:
Sed id Pelasgum maxima hercle injuria:
Queis nullus Arpinas foret,
Ut doctus, ut vir, ut probus, mille ut alia,
Si quæris, id denique genus.
Nam Pulcianos ut Latinus quiſpiam
Rudes, ſceleſtos, improbos,
Peculiari ſic ἀκαίρους nomine
Dixerit, & ἀφυέας, meus.

Nec minus, quæ *Cap. LXXIII Miſcellan.* ad emendandum CATULLI verſum attulerat POLITIANUS, ridentur a MARULLO:

Quid ſeparatam, inſane, ſupernatas, rogo,
Alnum Catulli nobilem?
Plebi otioſæ ſcilicet riſum parans,
Oblitus, ut ſoles, pedis.

At reſponſum is ferat a SCALIGERO *l. c. p. m.* 27: *Marullus, ingenio, quam doctrina, paratior, ſtolide conatum Politiani ridet. Ego eum Græculum tanti non facio, ut ejus rationem habendam eſſe putem.* Etiam, quæ contra HERM. BARBARUM de voce *melos* diſputaverat POLITIANUS in *Epiſt. ad* JO. PICUM, *Lib. XII. Ep. 1*, tanquam inepta rejiciuntur in illis:

Poſſe negas dici melos, facunde Poeta,
Atque adeo picas nectar aïs canere.
Scilicet huc ſtudio curaque trahente fideli,
Ne quando placidum nectar ab ore cadat.
Sed neque divinus male μέλος ἄεισεν Homerus,
Nec, niſi qui laudat, nectar inepte canit.

In reliquis Carminibus ſuum unice ingenium ſequitur MARULLUS, nec tam de materia conviciorum, quam de ipſis conviciis, laborat. Sic faciem externam oculumque diſparem POLITIANI moroſe depingit:

Fœdus

Fœdus es aſpectu: quidni? tam diſpare ocello.
Verum idem lingua fœdior, & gravior.
Si tamen ingenium ſpectas, fœdiſſima mens eſt.
O tot inauditis obrute flagitiis!

Inprimis vero Græcorum cauſam tuetur adverſus POLITIANUM acerbiſſimis Jambis:

Huc, huc, maligna, verte, quo fruſtra fugis,
Vix hoſte viſo, vipera?
Et jam tenenti frigidam tarde objicis
Seram hoſtibus foſſam velut?
Ceu præſtet inter ipſe quos noſti, mero
Fregiſſe noctes improbas.
Quid? quod Pelasgum nomen, & patriæ decus,
Sub voce mordes Græculi,
Quaſi pulciana teſqua fodientem patrem,
Laqueoſve fratrum noxios:
Quin, quicquid uſquam eſt peſtis immotæ, evome,
Deprenſus in pſylli manu:
Quin tot Latinæ principes linguæ viros
Auſus laceſſere, tot meos.
Agedum, evome, inquam, jamne ſentis ſacrum iners
Sonum, & parata verbera?
Rumpere: quid circumſpicis fruſtra? moras
Quid nectis, obſcœnum caput?
Adeſte, jambi, rapite, cædite, trahite.
Sed ſupplices tendit manus.
Bene habet, vomit, proh quæ lues! verum tamen
Non niſi timenda inertibus.

Denique de Latini ſermonis peritia, cum reliquorum ſtudiorum ignorantia conjuncta, graviter illudit POLITIANO;

Dic aliquem ſodes, dic, Ecnome, quæſo, colorem,
Hæremus almis occupati legibus.
Quid de legatis Falcidia, dic, age, ſancit?
Sophiam magiſtri, jura non exponimus.
Ecquid ſtare poteſt ſola virtute beatus?
Virtutem inertem omitte, naturam inſpice.

Cur raro Arctois bacchantur fulmina lucis?
Atqui libellos novimus, non fulmina.
Quos, agedum, si fas, quos, Ecnome, quæso, libellos?
Medicos, peritos siderum, & id alios genus.
Fasne, paroxysmi febrem curare diebus?
Egone valens de febribus verbum loquar?
Num licet infaustos signorum avertere cursus?
Quin, his relictis, ad studia vetera redi.
Incipe, sic capiti semper pater adsit Iacchus.
Non Daphni matutinus redis huc, neve alius.
Atqui non pes hic, non, Ecnome, sermo Latinus.
Abi, homo, minuta hæc spernimus docti viri.

Satis conviciorum; qualia quis non fastidiose legat? Doleo vero, mihi, quantumvis inquirenti, copiam non factam *Lucretianarum Castigationum* MARULLI, in quibus ipsis, non dubito, multa in POLITIANUM acerbe dicta. Sane, quæ de voce *Oarion* in CATULLUM commentatus est Noster, hic esse verbis acerbissimis confutata, discimus ex testimonio SCALIGERI, minime cum MARULLO facientis, *l. c. p. 106*: *Sed omnium maxime ridiculus Marullus, qui, cum nullum, aut admodum exiguum, sensum harum literarum haberet, ridet Politianum, virum non solum se majorem, sed & nullo nostræ ætatis inferiorem, qui non hæc commentus est, sed veterem lectionem, quam a magistellis depravari videbat, ab illorum audacia vindicare conabatur. Et sane omnes vetustissimæ editiones, ut dixi, & quantum scriptorum exemplarium exstat, non aliter habent. At Græculus ille putavit, sibi licere in bonis Autoribus, quod ipse sibi in suis versibus voluit licere*, &c. Sed de his, inquam, ut & de aliis, quæ per *Castigationes* illas forsan sunt dispersa, nihil est, quod hic commemoremus. Unum id addo fide JAC. GADDII *de Scriptor. non Eccles. T. II. p. 24*, valde rideri illa MARULLI Carmina, omniumque rerum inscium Poetam hunc judicari MAZZONIO in *Defensione Dantis Lib. XXXI Cap. 3*, eundemque legendum nobis dare virulentum quoddam MARULLI in Nostrum Epigramma, quod inter edita MARULLI Carmina invenire mihi non licuit. Affert ejus partem GADDIUS *l. c.*:

Quæris,

Quæris, qua niteat docto coma parte Catullo,
Proximus Arcturo fulgor, & Erigone est &c.
Ergo, dum omnia conturbas, dum credere doctis
Negligis, & per te nil sapis ipse tamen.
Fecisti Oarionem ex Erigone & Arcturo
Hydrochorum, jam quod monstrum erit ipsa coma?

(*s*) Notior est inter eruditos ACTIUS SINCERUS SANNÁZARIUS, quam ut de eo hic multis sit commemorandum. Vitam elegantissimi Poetæ copiosissime exposuit JO. ANTON. VULPIUS, præmisitque *Carminibus* SANNAZARII, splendidissime editis *Patavii A. 1719,4.* Et ipsi nonnulla de eo diximus in *Bibliotheca virorum militia & scriptis illustrium p. 413 seq.* At, ingenium viri si nosse & doctrinam cupis, lege Carmina ejus, MARONIANO ævo, omnium judicio, dignissima. In POLITIANUM quos animos gesserit, quibus armis invaserit, hic SINCERUS, jam docebimus Lectores. Irarum causas si quæris, non hæ definiri certo possunt, quod tale quid nusquam prodat SANNAZARIUS. Nec desunt tamen, quæ conjecturis locum faciant. Nimis vagum est, quod putat VULPIUS in *Vita Sannazarii;* quasi nempe intolerabili fastu suo tantas Noster SANNAZARII in se Satyras provocaverit. *Nec eorum mores probare poterat,* inquit VULPIUS, *qui, licet ingeniosi, doctrinaque exculti, reliquos tamen omnes infra se ducerent. Quamobrem & Politiano infensior fuit, eumque binis Epigrammatis laceravit, quod nimirum vir alioqui doctissimus se insolenter efferret, (ut Sannazario quidem videbatur,) &, quemadmodum olim Quintus ille Palæmon, secum natas, secumque morituras, literas arbitraretur.* Parum amicus est famæ SANNAZARII, cui ita conjectare placet. Quodsi parum ferendum eum putas, qui res suas impensius amat, despectis alienis, multo sane intolerabilior ille videatur, qui, nullis injuriis provocatus, sola cavillandi libidine, in hominem, etsi arrogantem, tamen ceteroqui bonum, dicteriis, non sale, sed aceto, conditis, ferocissime insurgit. Amice monendus erat, quod puto, non diris illis & atrocissimis contumeliis exagitandus, POLITIANUS, si quam in eo labem animadverterat SANNAZARIUS. Sed videbatur sibi VULPIUS in eo laudan-

laudandi SANNAZARII materiam invenire, ſi inimicum maxime illis diceret, qui de ſe ipſis magnifice nimis ſentirent. Aliam vero tantæ indignationis cauſam addit, quæ non ſolum cum re ipſa, ſed & cum teſtimoniis aliorum, melius convenit. SANNAZARIO amicos fuiſſe conjunctiſſimos refert SCALAM & MARULLUM, quos cum ille viderit POLITIANI Satyris miſere vexatos, id ſuum exiſtimaſſe, ut communem cum illis adverſus POLITIANUM cauſam faceret, & famam ejus, quantis poſſet viribus, oppugnaret. *At diffiteri nolim,* ait VULPIUS, *inimicitias, quas cum Michaele Marullo, & Bartholomæo Scala, Marulli ſocero, Politianus gerebat, præcipuam Sannazario odii cauſam fuiſſe.* Eſt in eadem ſententia CASP. SCIOPPIUS, perverſum hunc POLITIANO inſultandi modum valde exprobrans SANNAZARIO, in *Epiſt. ad* JUL. CÆS. CAPACIUM, quam legis in PASCASII GROSIPPI *Paradoxis literar. p. 34 ſeq.*: *Exemplo ſit vel civis tuus, nobiliſſimus Sannazarius, — — Hic tamen præ ſe Angelum Baſſum, a patria Politiani nomine notiorem, non aliter, quam ſi vix ultimæ notæ Grammatiſta foret, contemnere, & verſibus inſectari, auſus eſt, quod eum ſermonis puritate minime ſibi parem eſſe judicaret. Etſi enim ille quoque verſus ſcripſit Latinos, qui vetuſtati ſe poſſint inſerere, nihil tamen ad Sannazarium. — — Sed ad Sannazarium e diverticulo revertor, qui, ſi Politianum, velut multis millibus ſe doctiorem, conſulere, quam propter invidiam, & eſurientis illius Græculi, Marulli, amicitiam, (quem idem Pierius inter horrendas diras dictaque in æternos aſpera verba Deos in aquæ modicæ rivo ſuffocatum interiiſſe, autor eſt,) laudes ejus obtrectare, & infeſtis cum verſibus diſcerpere, maluiſſet, cum alia non pauca ab eo diſcere, tum hoc etiam moneri, poterat, ne poemata ſua verbo non modo ſordido, ſed & barbaro, contaminaret, quod eſt permingere; nec enim quiſquam Latinorum mingo unquam, ſed mejo, dixiſſe reperitur.* Et, fuiſſe omnino SCALÆ ac MARULLI ſtudioſiſſimum SANNAZARIUM, ex ejus Carminibus luculentiſſime apparet. Ad SCALAM illa pertinent *Lib. I. Eleg. 11:*

Nec te jam pudeat venturo oſtendere ſeclo
Eloquii vires, Scala diſerte, tui.

Ibidem

Ibidem MARULLUM amicissime complectitur :

Tu quoque quid cessas doctis deflere querelis
Excidium patriæ, culte Marulle, tuæ ?

Quem & ejusdem *Libri Elegia II* canit :

Nec gemat exilium Spartani Musa Marulli,
Ventura ad nostras ingeniosa dapes :
Verba sed antiqui reddat numerosque Lucreti :
Dum magnis Divos laudibus accumulat.

& *Lib. I. Epigr. 43 :*

Hybla, mei quondam dulcissima cura Marulli, &c.

Quæ cum ita sint, id utique videtur amicitiæ dedisse SANNAZARIUS, ut, quem illi hostem haberent, hunc ipse inimicissimum sibi, omnibusque modis insectandum, putaret. Forsan & invidiæ aliquid dedit, quod, inter Poetas primum POLITIANO locum dari a nonnullis, intelligeret, quem præter se ipsum nemini deberi, arroganter sibi persuaserat. Quæ si nullum penes te pondus habent, jam, quæ tanti odii causa fuerit, plane nescio. Nihil enim unquam POLITIANUS in SANNAZARIUM dicere contumeliose ausus est, & in scriptis suis probra ejus æque ac laudes tacet. Quin de SANNAZARIO hic, quoquo te vertas, ne verbum quidem. Si quid vero privatim inter eos gestum, a publicis injuriis non minus abstinere SANNAZARIUS debuit, quam POLITIANUS abstinuit. Injurias voco, nec id immerito, cum binis illis Satyris, *in Pulicianum* (ita enim insulse POLITIANUM vocat,) inscriptis, quas legis *Epigrammatum Lib. I. n.66 & 67*, vix scribi quidquam acerbius vehementiusque potuerit. Horum alterum de *Passeris* CATULLIANI explicatione, quam verbis modestissimis & verecunde admodum dederat POLITIANUS *Miscellaneorum Cap. VI*, petulantissime illudit Nostro, remque per se sordidam & impuram, sed sub castissimis verborum involucris occultatam a POLITIANO, nudam, & qualem ipsa natura finxit, ante oculos omnium exponit. Conferat hæc, velim, Lector cum pudica POLITIANI oratione, &, uter utro turpius rem expresserit, tum decernat. Sed a SANNAZARIO sibi caveant, quibus aures sunt castæ

& delicatæ. Nos ejus Carmini locum hic dabimus, tantum ut diſcas inſolentiam hominis. Ita vero eleganter ille, ſi Diis placet:

Ait neſcio quis Pulitianus,
Ni pulex mage ſit vocandus hic, qui
Unus Grammaticus, ſed his minutis
Vel longe inferior, minutiorque, eſt,
Divinum ſibi paſſerem Catulli
Haudquaquam bene paſſerem ſonare,
Nec jam id eſſe, quod autument legentes,
Sed quod verſiculis parum pudicis
Ludens innuat ipſe Martialis:
Da mihi baſia, ſed Catulliana:
Quæ ſi tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi paſſerem Catulli:
Ut ſit, quod puero Poeta poſſit
Poſt longas dare baſiationes,
Quod ſalvo nequeat pudore dici.
Proh Di, quam vates es, Pulitiane,
Solus qui bene calleas Poetas.
Nimirum &, quod ab omnibus probetur,
Mutandum quoque ſuſpicaris illud,
Quod nunc illepidumque, & inficetum,
Mendoſis Epigrammaton libellis
Inſulſe legit imperita turba:
Sic forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere paſſerem Maroni,
Cum ſit ſimpliciusque, rectiusque,
Mitti, dicere, mentulam Maroni.
Sed quid vos, Aganippides puellæ,
Ridetis? meus hic Pulitianus
Tam bellum ſibi paſſerem Catulli
Intra viſcera habere concupiſcit.

Belle profecto, & ad ingenium Poetæ ſordidi prorſus accommodate. Nimirum, ſi demas Epigrammati parvum pulicem, & pulchram Maronis mentulam, & illos viſcerum appetitus, ſalem demes & ſuccum omnem. In vocis *Pulitianus* metro bis

bis peccavit Poeta magnus, acerbe eo nomine notatus CASP. BARTHIO in *Jocor. ſerior. Lib. I. Epigr. 23.* Sed, quod primam vocis ſyllabam corripuit, errorem hunc, ſi quis eſt, communem habuit cum POLITIANO ipſo, cujus Epigramma *in Mabilium Novatum Inſubrem* verſum habet:

Quam rodunt tineæ, pulexque ſaltans.

Sed nec hunc erraſſe puto, ſi caſta ſatis eſt lectio Elegiæ *in Pulicem* vetuſtioris, cui olim nonnulli locum dedere inter OVIDII *Carmina;* ubi, quoties occurrit illa vox, nunquam non corripitur. Quod vero ad *paſſerem* CATULLIANUM attinet, non jam, quis rectius ſenſerit, diſquiro, quippe eorum probe gnarus, quæ ad tuendam POLITIANI interpretationem erudite ſcripta ſunt ab IS. VOSSIO in *Commentar.* ad hunc CATULLI locum, nec non eorum, quæ, præter multos alios, adverſus POLITIANUM attulit JAN. BROUCKHUSIUS in *Notis* ad hoc SANNAZARII Epigramma. Illud ſaltem moneo, non id vere ſcribi a SANNAZARIO, quod ab omnibus probetur vetuſtior illa & tunc temporis recepta *paſſeris* interpretatio, quandoquidem eodem tempore, quo POLITIANUS, in has cogitationes inciderunt HERM. BARBARUS *Lib. II. Coroll. C. 396*, & FR. M. GRAPALDUS in *Explicatione verborum p. 85. b.* Et cujus tandem criminis accuſandum dices POLITIANUM, ſi, Criticum agens, in Poetæ omnium petulantiſſimi, & impuros amores unice conſectantis, carmine ſubodoratus eſt obſcœni aliquid? Fecit hic, quod fuit interpretis, qui, ſicubi Lectorum aures offendit, ejus rei culpam in Scriptorem, quem interpretatur, transfert. Profecto judicis iniquiſſimi notam effugere hic nullo modo poteſt SANNAZARIUS. Alterum Epigrammatum *Miſcellanea* POLITIANI petit, ſordidiſſimam conviciorum colluviem olens, & ingenio liberali indigniſſimum prorſus, nec ulli Lectorum niſi cum ſummo faſtidio legendum. Ita enim furore plus quam poetico percitus Poeta:

Vanas gigantum iras, & impetus graves,
Miratur aliquis audiens mortalium,
Auſumque cœlo vincula inferre irrita
Sævum Typhoea, cum jugoſum Pelion

 Adde-

Adderet Olympo, matre nec Terra ſatum
Agnoſceret ſeſe, impium donec pater
Iratus ardenti igne ſuſtulit caput,
Ut par erat: nam quis petat ſanus Deos?
At nunc quis hoc, quis hoc ferat mortalium?
Iners, puſillus, unus, heu pulex ciet
Turmas, cohortes, copias, manipulos,
Muſcarum, & altos ſcandere apparat toros
Heroum, opacis qui ſub umbris arborum
Strati, ac perenni flore ſuffulti caput,
Ducunt quietem perpetem, æternam, optimam,
Nec noſtra curant dicta, vel facta, amplius,
Ut qui beatos incolant tuti locos,
Et nomen alta in arce ſacrarint ſuum,
Functi periclis & malis laboribus,
Cunctasque fortunæ improbæ calcent minas,
Nedum puſilli pulicis morſus leves.
At tu, moleſte, amare, veſane, impie,
Pulex, inepti concitator agminis.
Quo proripis te? quo vocas muſcarias
Iſtas phalanges? quo volatiles globos
Impellis audax? i procul, miſer, miſer,
I, criminoſe, maximam in malam crucem.
Haud fas, quietas manium ſedes Deum
Muſcas ſubire, pulicumque copias.
Nil hic negoci vel tibi, vel peſſimis
Tuis maniplis: quid moraris, impie?
Abi profundam in noctem, & ultimum Chaos.
Speranda certe gloria hic nulla eſt tibi.
Quos Dii probavere ſemel, hos ſemper probant.

Epigrammati huic notam addit BROUCKHUSIUS: *Invehitur Noſter in Politiani Miſcellanea; ſed, Dii boni, quam parum modeſte: nollem factum, Sincere, nollem.* Nec Lectorum fore quemquam puto, qui non factum nollet. Sunt enim hæc præter omnem non humanitatis tantum, ſed licentiæ etiam poeticæ, modum ſcripta. Exſtat & aliud SANNAZARII *in Bubonem* Epigramma *Lib. II. Epigr. 3*, quod in POLITIANUM ſcri-

ſcriptum pro cauſa MARULLI, non inepte ſuſpicatur BROUCKHUSIUS in *Annotat. ad hoc Epigr.* Sane, ſi contumeliarum plauſtra ſpectes, jure ſuo juxta cetera, quæ attuli, locum occupet:

Nam quis te, inepte bubo, tam ſtolidus furor
Adagit importunum inire prælium,
Iſto indecenti roſtro, & alis luridis?
Quid bellicoſæ volucris, inſulſe, aſperos
Laceſſis ungues? Deſine, miſer, dum licet,
Ne dormientis excites ſomnum tuo
Cum maximo (ut par eſt) malo, ac clade ultima.
Sed pervenire vis in ora vulgi, & hac
Via cupis, ſceleſte, fieri notior?
Non aſſequere, nec profecto tam bono
Fruere fato. An hoc pudendo ſanguine
Se tingat Aquila fulminum & cœli immemor?
Ponenda honeſtæ mortis hæc ſpes eſt tibi.

Magnifica profecto bellicoſæ volucris & Aquilæ appellatio, ſi hæc MARULLO tribuenda, ut putat BROUCKHUSIUS; contra parum ſibi placeat indecenti illo roſtro, & alis luridis, POLITIANUS, ſi quidem hæc vera ejus imago, quam iisdem fere coloribus depictam exhibent JOVIUS, aliique plures, ut paulo poſt dicemus.

(*t*) Ignotum vulgo nomen eſt PACIFICI MAXIMI, Aſculani civis, ſed qui *ob varietatem numerumque permagnum Carminum, præſertim Elegiarum*, JACOBO GADDIO *Tom. II de Scriptor. non Eccleſ. p. 186* videtur *inter magnos Scriptores referendus.* LIL. GREG. GYRALDO *Dial. I. de Poet. ſuor. temp. p. m. 533 in elegia neque infans, neque elinguis*, dicitur, & qui *potuiſſet in aliquo Poetarum numero haberi, niſi fœdis amoribus verſus inquinaſſet.* Varia ejus ſcripta, maxime quæ carmine condidit, nominantur a GERH. JO. VOSSIO *Lib. III. de Hiſtor. Lat. Cap. 8. p. 566*, CORN. A BEUGHEM in *Incunab. Typogr. p. 93*, JOS. SIMLERO in *Epitome Bibliothecæ Conr. Geſneri p. 141*, & JAC. GADDIO *l. c.* Eſſe hæc anno 1500, aut circiter hoc tempus, ſcripta, nos docet VOSSIUS *l. c.* Memoratur inter

ter hæc eidem VOSSIO, nec non GADDIO, & SIMLERO, *Invectiva* quædam *in Angelum Politianum*, ſed cujus nec argumentum, nec ſcribendi genus, horum quisquam indicat. Nec illud ipſum ſcire licet, an lucem unquam publicam videre huic Satyræ contigerit. Eam in rem, quotquot mihi ad manus fuerunt, Bibliothecarum Indices perquiſivi, de loco & anno, quo vulgata ſit primum hæc *Invectiva*, multum laborans. Sed nullum uſquam ejus rei indicium; ut jam fruſtra Lector pleniorem hujus Satyræ a me notitiam expectet. Cum Carmina ſcripſiſſe numero multa dicatur iſte MAXIMUS, miror, horum nihil inter *Carmina illuſtrium Poetarum Italorum* legi. Quæ vero ſeorſim excuſa ſunt, (ut ſunt omnino quædam, teſte BEUGHEMIO & SIMLERO,) tam raro in conſpectum eruditorum veniunt, ut jam olim GADDIUS *l. c.* ſcripſerit: *Pacificus Maximus, Aſculanus, licet multitudine Latinorum Carminum memorabilis, tamen oblivionis ac ignorantiæ tenebris obſeſſus, latuit ita, ut nulla ejus opera legerim, & ipſius nomen ad hunc diem ignotum mihi fuerit.* Ceterum de Poeta iſto nec in ſcriptis ſuis POLITIANUS, nec Scriptores huic æquales, aut qui controverſias POLITIANI tradidere, quidquam habent.

(*u*) Eſt hic idem DACTIUS, quem ſupra in numerum amicorum POLITIANI retuli. Nec id tunc immerito, cum mihi videatur amorem non vulgarem ſpirare *Elegia* ejus *ad Politianum*, quam tunc attuli. Sed, ſive a mollioribus illis verbis diſſenſiſſe animum, ſive amorem hunc poſtea in odium mutatum, putes, nec illud diſſimulari poteſt, his ipſis, quos famæ ſuæ obtrectatores habuit POLITIANUS, quodammodo accenſendum DACTIUM. Exſtat enim quoddam ejus *in Amicum* Epigramma, quo, poſtquam multa jactaverat de occupationibus ſuis variis, iisque ſummis, ſubdit tandem Epigrammati hendecaſyllabos virulentos:

Et, ne te teneam diutius, quot
Pædicat pueros Politianus.

Gravis profecto accuſatio, &, ſi non falſa plane, (de eo enim hic non diſquirimus,) tamen amica parum. Non hæc mihi cognoſcere licuit ex ipſo DACTII Carmine, utpote fruſtra mihi veſtigato inter ea hujus Poetæ Carmina, quæ adjecta ſunt *Carminum*

minum illustr. Poet. Ital. Tomo IV; sed suppeditavit mihi istorum notitiam BERNARDUS DE LA MONNOYE, qui ex ipsis DACTII Carminibus, junctim editis *Florentiæ A. 1546*, excerpta hæc dedit in *Menagian. T. IV. p. m. 122.*

(x) De controversia, quam cum JANO PARRHASIO, eruditissimo suæ ætatis Grammatico, habuit POLITIANUS, vix quidquam ex hujus scriptis cognoscas. Quicquid vero nobis de ea constat, id PARRHASII *ad* JOANNEM LASCAREM, *Byzantinum, Gallorum Regis apud Senatum Venetum Legatum*, *Epistola* docet, quam legis in Libro ejus *de rebus per Epistolam quæsitis*, adjecta *Tomo I Thesauri Critici Gruteriani, p. 725.* Exponit hæc omnem controversiæ, quam dixi, historiam; unde patet, occasionem illi suppeditatam interpretatione versus VIRGILIANI *Æn. II.*

— — tacitæ per amica silentia lunæ,

quam communicaverat cum eruditis POLITIANUS *Miscellan. Cap. C.* Eam cum parum probaret, nec menti Poetæ satis congruam diceret PARRHASIUS, hinc lites subortæ, inter duumviros doctrina summos, nescio, an ore tantum, an forsan literis, (nihil enim de eo nec POLITIANI, nec PARRHASII, nos scripta docent,) reciprocatæ. Suam sententiam PARRHASIUS in Epistola hac multis explicat, & LASCAREM, tanquam qui unus ad id idoneus videri possit, universæ controversiæ arbitrum poscit. *Lis est mihi*, inquit, *cum Politiano sinuosa, quæque non nisi ab eo, qui juxta Græce sciat ac Latine, decidi recte possit. Itaque te disceptatorem (si per adversarium liceat,) elegi, cum nemo nostrorum, multis abhinc annis, adeo Græce profecerit, ut ipse Græcus homo Latine: — — tempori serviamus & Musis, in quarum collegio cum principem locum teneas, accipe controversiam, tibi jure debitam, quaque soles libertate, meliori causæ suffragare.* Ceterum, præterquam quod *nugas vendere* hic dicatur, & in interpretando fraudis insimuletur POLITIANUS, satis modeste scriptæ videntur literæ. Neque adeo, an his, quos inimicissimos rebus suis habuit POLITIANUS, adjungendus sit POLITIANUS, dubitandi causam nullam habeo; inprimis cum in aliis ejusdem libri locis, ut in *Epist. LVII. p. m. 799*, animad-

animadversiones POLITIANI criticas non solum probet, sed laudet etiam, & novis rationibus communiat. Neque tamen amicissimum POLITIANO dixerim eum hominem, quem sibi, conjunctissimum JO. LASCARIS, & generum DEMETRIUS CHALCONDYLAS, habuit, quorum utrumque infensissimum fuisse Nostro,ea te docuere, quæ supra diximus *§. III. not.* (*x*), & *§. IV. not.* (*k*).

(*y*) Patet ex his,quæ copiosius huc usque dicta sunt, armorum tractandorum peritissimum, paratissimumque ad pugnas, fuisse POLITIANUM, nec ita se semper, ut hominem Christianum decet, erga adversarios gessisse. Qua in re, si quis sit, qui minime excusandum existimet, is, quam difficile sit, ad atrocissimas aliorum injurias non excandescere, nec, ubi turpissimis contumeliis laceratam videris famam tuam, exacerbati animi sequi impetum, meminerit. Hostes nactus in impugnando vehementissimos, & lethalia inferre vulnera edoctos, actum prorsus de dignitate & existimatione sua videbat, nisi, robur aliquod superesse armis suis, & ad resistendum suppetere sibi vires, ostenderet. Alioqui monitores amicos, & veritatis magis studio, quam obtrectandi importuna libidine, de re ad literas spectante ipsi controversiam moventes, non solum patienter tulit, sed præ ceteris amavit etiam, & conjunctissimorum loco habuit. Quod ut clarius appareat, inspice, quæso, Epistolam ejus ad BAPTISTAM GUARINUM, (*Lib. I. Ep. 20,*) qui in Carminibus ejus metri quædam vitia notaverat, idque verecunde ac modeste admodum. Respondet huic non solum non morose aut exacerbate, sed ita amanter etiam & officiose, ut satis vix delectari hoc genere scribendi possis. Aperte hic profitetur, in acceptissimis haberi sibi admonitiones, quales fuerant GUARINI, partim quod amicitiam monentis testentur, partim quod cum magno rei literariæ commodo conjunctæ sint. Sed quidni ingenium Viri ex ipsius verbis discamus? *Ostendit Epistolam mihi*, inquit, *nuper ad se tuam Joannes Picus Mirandula*, *Princeps omni laude cumulatissimus. In ea cum tu mihi multum tribueres ex recenti Miscellaneorum fœtura*, *tum vero seorsim in scheda notasti syllabas aliquas, in quibus meam nonnihil diligentiam requirebas.*

bas. Sed hoc posterius tamen ita cunctanter, ita suspiciose, fecisti, quasi denique metuisses, ne me lædi gravius putarem, sicubi abs te, non doctissimo solum viro, sed optimo quoque, redarguerer. Ego igitur, quanquam dissimulare non possum, laudationem mihi tuam fuisse, pro eo, ac debuit, omnino gratissimam, tamen, ut eam quoque plausibilius exciperem, causa fuit inprimis, quod abunde fidem blanditiis illis tuis comes addita libertas, ne dixerim castigatio, faciebat. Etenim non ego avidius refellam, quam refelli me patiar, & opinionum fallaciis, quasi morbis animi præcipuis, multo etiam libentius ipse caream, quam ceteros liberem. Tuum vero mihi omnino quasi pro lapide Lydio judicium debet esse. Nam, ut illo purum dignoscitur aurum ab adulterino, sic apud me de tua facile sententia verum videtur posse falsumque discerni. Nec est, in quo tam bene de propriis mihi studiis spondeam, quam quod ita disputare soleo de ambiguis, ut plus invento vero gaudeam, quam victoria. — — Cupio tamen & de ceteris, quid sentias, audire, tanto majorem tibi habiturus quotidie gratiam, quanto ab erroribus me vel sæpius, vel liberius, vel postremo etiam severius, vindicaveris. Huic Epistolæ similis est alia ad LEONELLUM, Episcopum Concordiensem, *(Lib. VIII. Ep. 15,)* eundem animi candorem, eandemque modestiam, præ se ferens. Responsurus hic LEONELLO, *Miscellaneorum* aliquod erratum sibi objicienti, tam moderate se gerit Noster, verbisque utitur tam ad urbanitatem compositis, ut admirabile his ipsis virtutis tam præclaræ monumentum seris posteris reliquerit. *Mitto*, ait, *quam benigne, quam blande, quam verecunde, quam amanter, quam lente etiam, & cunctanter, erratum illud, ita enim videbatur, nostrum protulisti. Quam multis me prius laudibus, etiamsi eloquentius longe, quam verius, adobrusti. Mitto, quod & Soderinum delegisti, qui mihi rem potissimum significaret: quo viro nec gravior, nec prudentior, nec item humanior, sed nec mihi amicior, quisquam deligi potuit: ut, si me literæ illæ tuæ offendere aliqua ratione potuissent, hac una tantum potuerint, quod nimium solicitus videbaris, ne aliorsum fortasse acciperem, quod objeceras. Ego, mi Leonelle, non modo iis, quæ hactenus edidi, sed & quæ scribere deinceps conor, omnibus hoc testatum volo, nihil mihi esse prius*

 veri

veri ſtudio & recti. Si ſponte hoc aſſequor, bene habet: ſin minus, at ab aliis & placide admoneri gaudeo, & aſpere caſtigari non recuſo. Quin, ut illis habeo gratiam, ſic iſtis non iraſcor: honeſtius ducens, aliquando doceri, quam ſemper neſcire: non enim tam turpe refelli, quam pulchrum corrigi. Addi his meretur Epiſtola ad JO. PICUM, (*Lib. XII. Ep. 1,*) qua HERMOLAUM BARBARUM, quantumvis a ſe diſſentientem in *Plinianis Caſtigationibus*, exquiſitis laudibus proſequitur, tantumque ei tribuit, quantum vix amicorum ſuorum ulli. Scribit & hic modeſte admodum: *Contra ego profiteor, tam magis reprehenſoribus debiturum, quam magis erraſſe me docuerint.* Quæ cum ita ſint, æquitatem agnoſcimus in his, quæ honorifice de POLITIANO ſcripta ſunt a FRANC. FLORIDO SABINO *Lib. I. Lect. Subciſ. Cap. 5. p. m. 1038: Quanquam pauca in literis inveniantur, quæ illum ignoraſſe dicas, tanta tamen ubique modeſtia utitur, ut non temere quidquam proferre audeat, quippe qui neque moleſtus ſuorum operum (quod plerique ſcioli inepti faciunt,) admirator exſtiterit, &, quemadmodum de aliis frequenter pronuntiavit, ita Criticorum cenſuram ſubire non recuſarit: judex non minus ſincerus, quam eruditus, & a quo non libenter diſſentirem, niſi ſua ipſe tum demum admiſſum iri ſperaſſet, cum non aliæ illis adverſantes rationes in medium adduci valerent.* At multum ab his diſcrepant, quæ parum amice de POLITIANO JUL. CÆS. CAPACIUS in *Elog. illuſtr. vir. p. 350: Severitate, an livore, alienas ſcriptiones caſtigabat. Diſtorto & immani ejus naſo id detulere, ingenioque iniquo, interdum judicio exacerbato, cum nec ungue, nec obeliſcis, errata notaret, ſed plane verſus libera veritatis fronte (ut ipſe dicebat,) confoderet, &, Momi perſonam induens, ſandalium Veneris tandem culparet, cum Venerem non poſſet.* Iniquiſſimus etiam, nec immerito hic nobis rejiciendus, judex PAULUS JOVIUS, qui, ut nimium ubique addictum ſe oſtendit adverſariis POLITIANI, ita nec in eo malignum animum diſſimulat, quod, *ingenio* fuiſſe POLITIANUM *aſtuto, aculeato, occulteque livido, cum aliena ſemper irrideret, nec ſua, vel non iniquo judicio, expungi pateretur,* perhibet in *Elog. Cap. XXXVIII. p. m. 83.* Cujus pro more ſuo ineptiſſimum inter-

terpretem agit ANT. VARILLASIUS in *Anecdot. de Florence p. 193: Il n'aportoit jamais tant d'artifice a se deguiser, qu' à l'égard de ceux dont il aprochoit de plus prés: il n'ecoutoit rien avec tant d'indignation que les louanges d'autrui; il etoit egalement envieux de ses amis, & de ses ennemis. Personne ne composoit rien, qui fut à son gré; il n'aimoit pas à recevoir de correction, quoiqu'il la fut importunément à toutes sortes de personnes; on voioit bien quelques fois, qu'il reconnoissoit ses fautes, & que ce n'etoit que par malice, qu'il resistoit à la verité. Cependant il n'avoua jamais d'avoir falli.* Actum erit in posterum de optimorum virorum fama, si ita impune liceat, quæ sunt candidissima, denigrare, & pulcherrimam virtutis imaginem sordidissimis coloribus deformare. Pudeat & HENR. BRENCMANNUM iniquissimæ sententiæ, quam, nec Scriptorum ullis testimoniis, nec re ipsa, confirmatam, de POLITIANO prorsus immerente tulit *Lib. IV. Hist. Pandect. Cap. I. p. 316 seq.* Multo his tolerabilior DAN. HEINSIUS, cui POLITIANUS *vir cœlesti præditus ingenio, sed, si famæ credimus, alieni obtrectator*, dicitur in *Præfat. ad Hug. Grotium*, præmissa *Peplo Græcorum Epigrammatum.* Cujus verba non fideliter satis recitat MICH. LILIENTHALIUS in *Select. hist. & liter. Observ. III. §. 19. p. 77*, ubi scribit: *Summo certe immodestiæ vitio laboravit etiam magnus ille Angelus Politianus; alieni namque ingenii sedulus obtrectator fuit, referente Dan. Heinsio in Præfat. ad Hug. Grotium, præmissa Poematibus Græcis.*

§. 17.

Inter tot fortunæ ac doctrinæ suæ æmulos constitutus, eam facile communem optimorum virorum calamitatem expertus est POLITIANUS, ut nullum fere tam grave, tamque detestandum, in Republica literaria crimen esset, cujus non vel accusatum se publice, vel tumultuario judicio vide-

viderit condemnatum. (*a*) Non enim id ſatis fuit adverſariis POLITIANI, ut penes cives & æquales ejus in maximum diſcrimen adducerent exiſtimationem ejus, ſed, quæ omni tempore invidiæ calumniæque artes fuere, ſeris etiam poſteris turpiſſimas vaferrimeque confictas de POLITIANI ſive fraudibus literariis, ſive dictis factisque improbis, fabulas narrarunt. Quæ, peſſimo cuique de vulgo avidiſſime exceptæ, &, ut fit, incertis rumoribus ad hanc uſque ætatem propagatæ, dici vix poteſt, quantam præclariſſimis POLITIANI in literas meritis, famæque adeo & dignitati ejus, maculam inuſſerint. Horum jam diſſimulaturi nihil, nec niſi veritatis in commemorando rationem habituri, antiquis illis vulneribus non inutilem medicinam afferemus, idque impetrabimus negotio leviſſimo, ut, quæ inde a tot Seculis miſere afflicta jacuit, nunc in tuto collocata POLITIANI cauſa videatur. Primum de furto literario dicemus, omnium eorum criminum, quibus commaculare ſe eruditi ſolent, ſicut turpiſſimo, ita abominando maxime. Cujus ſi convinci poſſet POLITIANUS, id aſſecuturos ſe facile hoſtes ejus & obtrectatores ſperabant, ut, quæ jure ſuo eruditorum olim plauſum tulerant, faſtidioſius in poſterum libri ejus ad unum omnes lege-

legerentur. Idque hoc minus cariturum ſucceſſu ſuo confidebant, quo manifeſtiora non in uno tantum, ſed in omnibus ac ſingulis fere ejus ſcriptis latrocinii horrendi animadvertiſſe ſibi veſtigia videbantur. Fuere enim alii, qui librum Miſcellaneorum, unde gloria POLITIANO prorſus ſumma parta eſt, Nicolai Perotti potius, quam POLITIANI, eſſe; (*b*) alii, qui Latinam Herodiani interpretationem morienti Gregorio Typhernati furtim ac doloſe ſubtractam; alii, qui (*c*) Orationem, ſub auſpicia prælectionum in Homerum recitatam, totam Plutarcho deberi, (*d*) quæque Libro decimo Epiſtolarum de Menſuris ſcripta ſunt, de antiquiſſimis incerti Autoris Carminibus decerpta; (*e*) alii denique, qui libellum, Panepiſtemona inſcriptum, totum ex ſcriptis aliorum compoſitum, (*f*) calumnioſiſſime criminarentur. Quorum omnis accuſatio, ut eſt vaga admodum, & maligno animo in jus producta, ita contrariis partim aliorum teſtimoniis, partim re ipſa, quæ cuilibet inveſtiganti patet, fortisſime refellitur. Majori forſan jure ſuis ipſe ſcriptis a plagiariis nonnullis vim illatam, &, quæ ſibi autori debeantur, ſub alieno nomine vendita, pasſim conqueritur POLITIANUS. (*g*)

(a) Solet ita plerumque in rebus humanis evenire, ut, quem viventem inimicitia odiisque prosecuti sumus, ejus nec defuncti tuendam nobis existimationem putemus. POLITIANO quam formidabiles per omnem vitam hostes fuerint, quantos horum insultus, quantas injurias contumeliasque, sustinuerit, Paragrapho hanc proxime præcedente vidimus. Ab horum armis, tantum abest, ut tutum præstitisse POLITIANUM suprema ipsius fata videantur, ut majori tunc furore tutiusque ab his insultatum mortuo leoni putem. De Græcis, quorum colonia tunc Italiam invaserat, inprimis id verosimile, ob bellum grave ac diuturnum, quod magnis illi animorum motibus cum POLITIANO de Græcarum literarum palma gesserant. Horum, ut est gens natura aspera & truculenta, iræ capitali & continuo æstuanti facile tribuas calumniarum, quæ mortuo demum POLITIANO in vulgus emanarunt, partem potissimam. Quæ, si tu probe, Lector, teneas, ducere te eo possunt, ut caute audiendos putes obtrectatores illos, nec temere cum vulgo fidem habeas illorum accusationibus importunis & prorsus gravissimis. Urget id mecum studiosissimus POLITIANI mei CASP. BARTHIUS, indignatus iis omnibus, quorum credulitas perniciosa fuit & meritis & dignitati ANGELI. *Non recte facere mihi videntur,* inquit *Lib. XLVII Adversar. Cap. 5. p. 2192, qui tam levibus, imo nullis, autoribus famæ tanti viri detrahunt, secuti rumores ab invidis hominibus sparsos. Cum enim fieri non potuerit, ut tanta, tamque inusitata, ingenii felicitas sine livore viveret, hoc singulare tempora Politiani habuerunt, quod Græcorum generosi & præclari viri in literis imperium affectarunt; quibus cum ille re ipsa & studio quoque principatum ita dubium faceret, ut in ipsorum castris, in ipsa græcitate ipsorum, superior omnibus haberetur, quid mirum, nationis etiam quadam velut prærogativa, multa de eo, præcipue jam mortuo, nam fumantem vivi leonis nasum nemo impune tetigit, absurda & absona in vulgus sparsa esse.* Addo his alia, quorum inprimis rationem habendam Lectori æquo & sagaci arbitror. Carissimus per omnem vitam genti Medicææ fuit POLITIANUS, hujus beneficio, ut supra vidimus, ad illustres in Academia Florentina dignitates evectus. Constat vero ex superiorum temporum historia, maxime ex Pactiana conjuratione, quæ JULIANUM, LAURENTII fratrem, sustulit,

lit, inimicos æmulosque huic genti & numero multos, & eos vehementissimos, fuisse, qui minime ferre potuerint crescentem in dies, & ex tenuissimis initiis in supremum fastigium surgentem, hujus domus fortunam æque ac potentiam, funestissimisque consiliis in opes ejus, in honorem, in vitam denique ipsam, invaserint. Hujus calamitatis partem aliquam ad ipsos Medicææ gentis alumnos, nostrumque adeo POLITIANUM, pervenisse, hoc magis credibile est, quo certius omnium ætatum exempla docent, iisdem armis, quibus stirpem & radicem arboris, circumnascentia virgulta peti.

(b) Quo jure in libro *Miscellaneorum* furta autoris notaverit GEORG. MERULA, diximus §. antecedente, nec antiquis illis litibus nunc denuo nos immiscebimus. De alia aliorum accusatione jam videbimus, nec atroci minus, nec minus falsa. De qua cum non nisi ex ipsius testimonio POLITIANI constet, rem omnem, sicut ab eo relata est sub finem *Miscellaneorum*, hic edisseremus. Nimirum, antequam luce publica donaret librum hunc *Miscellaneorum*, Opus integrum, ut moris est inter eruditos, amicis aliquot suis spectandum præbuit POLITIANUS, eo forsan animo, ut judicia eorum exploraret, hisque in rem suam uteretur. At res aliter longe cecidit, ac speraverat vir bonus. Vix enim de eleganti hoc POLITIANI partu fama percrebuerat, cum novam statim invidia excogitavit artem, qua obviam iri gloriæ laudibusque possit, ex insigni hoc doctrinæ monumento certissime POLITIANO expectandis. Repente igitur in vulgus emanavit fabula, ***nihil esse mirum, si quædam nova & insignia vel antea dictaverit Politianus, vel nunc referre in literis incipiat: olim jam isthæc omnia diligentissime perscripta a Nicolao Perotto, qui fuerit Sipontinus Pontifex, in eo maxime libro, cui titulum fecisset Copiæ cornu.*** Ejus Codicem manu exaratum, & quidem archetypum, exstare in Bibliotheca Ducis Urbinatis, unde facile impetrari liber potuerit POLITIANO, opera LAURENTII MEDICÆI, Urbinati Principi arctissime conjuncti. Quem ***ut semel inuncaverit librum rapinator ille, publicam prorsus materiam privati juris fecisse; & , ut alter Æsopi graculus, aliena superbiisse pluma.*** De his certior factus POLITIANUS

NUS ab homine ſibi amiciſſimo, ROBERTO SALVIATO, quem *non literarum modo, ſed literatorum quoque omnium, magnum amatorem* dicit, agnovit ſtatim invidiæ artificium, in ipſius perniciem admodum ingenioſæ, *nec, ut nonnulli forſitan cupiebant, concerpſit librum, ſed eum potius ſepoſuit paululum, &, omiſſa in præſens edendi cura, tantumque ſulcis velut intercisivis ita librum nonnunquam, ſicut hortum, rigans*, curas ſuas omnes ab elegantioribus his ſtudiis ad Philoſophiam tranſtulit. Sed inter hæc conſilia accidit præter ſpem & expectationem omnem, ut, quem fruſtra inde a tot annis expectaverant eruditi, jam opportuno tempore in conſpectum Italorum liber PEROTTI exiret. *Fit* ſtatim *concurſus. Eſt in manibus. Effunditur. Excutitur. Quid multa? Calumnia* POLITIANUM *liberat.* Tunc enim apparuit facile, a POLITIANI doctrina longe abeſſe ingenium PEROTTI, *nec par utrique deſtinatum præſtitutumque faſtigium.* Sicubi vere in eundem Scriptoris vetuſtioris locum inciderint, quod minime negat factum, eamque in rem exempla adducit POLITIANUS, *craſſiorem* tunc eſſe *inter ipſum, quam inter Piramum Thisbenque, parietem.* Ita rem POLITIANUS refert, & ex eo P. BÆLIUS in *Lex. Hiſt. T. III. p. 2343. not. (M)*, & JAC. THOMASIUS *de Plagio liter. §. 525.* Prorſus de eo tacent Scriptores POLITIANO æquales; ut hujus adeo narrationi ſtandum ſit unius. Quæ etſi parum alioqui valeat in cauſa propria, hic tamen temere rejicienda non videtur, quod publice, & ante oculos eorum, qui, ſi falſa diceret, fraudis convincere POLITIANUM poterant, liberrime prolata ſit. Mihi ſane, quantumvis diligenter cum PEROTTI libro *Miſcellanea* hæc contendenti, literariæ rapinæ veſtigia prorſus nulla obvenere. Idem contigit Autoribus *Hiſtoriæ Criticæ Reipubl. Liter.* Gallice ſcriptæ, qui ab omni hujus criminis ſuſpicione Noſtrum abſolvunt, atque ea in re invidorum turpiſſimos conatus & iniquitatem notant, *Tom. IV. p. 276.* Sed quid, ſi, ſubortis primum rumoribus, eo uſum artificio POLITIANUM putes, ut, demtis ſtatim, quæ indicium præbere furti poterant, emendatiorem longe, & alio, quam quem olim præ ſe tulerat, indutum habitu, librum exire in vulgus juſſerit? At, ſi ita ſit, callide in eo factum, id-

que

que impetratum a POLITIANO arbitrare, ut jam nemo nostrum virum bonum inter plagiarios referre jure possit. Nec, si dicendum, quod res est, is mihi videtur liber PEROTTI, unde locupletare multum doctrinæ suæ supellectilem potuerit POLITIANUS. Quæcunque enim in Autores veteres hic commentatur Autor, ad vulgarem eruditionem propius accedunt, certe, si cum *Miscellaneis* POLITIANI comparentur, indocta prorsus & incomta videntur. Unum addo, ab hoc loco forsan alienum, nec scitu tamen injucundum. Laboriose admodum in annum, quo primum editus est liber ille PEROTTI, inquirit MICH. MATTARIUS in *Annal. Typogr. T. I. p. 367 edit. A. 1719*, ubi primam omnium editionem dicere videtur eam, quæ Venetiis A. 1492 prodiit. Sed, si inspexisset vir doctus locum hunc POLITIANI, cujus nullam mentionem facit, cum alia permulta testimonia accumulet, clare admodum vidisset, non anno 1492, sed 1489, quippe quo primum publicata sunt *Miscellanea* POLITIANI, *Cornu Copiæ* PEROTTI editum. Manifesto enim ex verbis POLITIANI cognoscas, eodem anno, quo POLITIANI opus, librum PEROTTI prodiisse. Animadvertisse id ante me video doctissimum virum, BERNARDUM DE LA MONNOYE, in Epistola ad MICH. MATTARIUM, quam nuper, ex tenebris protractam, magno nostro commodo, Dresdæ publicavit Clarissimus Vir, AUG. BEYERUS, *p. 15 seq.* Nec indignam putavit elegantem hanc & doctissimam annotationem, quam novæ *Tomi I Annalium Typographicorum* editioni, A. 1733 publicatæ, *p. 717 seq.* adderet, idem laudatissimus MATTARIUS.

(c) Quæ nomina fuerint eorum, a quibus primum rumor in vulgus sparsus, non satis constat. Æmulos POLITIANI fuisse, dicit PAULUS JOVIUS, is ipse nempe, qui primus hanc fabulam, acceptam sibi ex ore LEONIS X, Pontificis Maximi, ad posteros propagavit. Nec ei satis fuit, id semel memorasse in *Elogio Politiani*, sed, quasi multum interesset, non interire accusationem illam, cui ipse fidem habere nullam videtur, iterum ejus mentionem in *Elogio Tifernatis* injicit. Qui, si minime audiendos putavit obtrectatores illos, cur historias suas fabellis istiusmodi implevit, quibus in suspicionem malæ fidei adduci facile POLITIANUS penes eos poterat, qui, per lon-

ga intervalla temporum,non certam ſatis exploratamque iſtarum rerum notitiam habuere. Sed ita in more fuit JOVIO, ut in alios omnes æquus eſſe, quam in POLITIANUM, mallet. Jam vero ipſius verba audiamus; primum, quæ in *Elog. Cap. XXVIII* leguntur: *Exinde Herodianum Romane loquentem publicavit, cunctis haud dubie erepta laude, qui id generis munus ante ſuſceperant: quanquam æmuli, eam translationem, uti nos a Leone, Pontifice, accepimus, Gregorii Tifernatis fuiſſe, dicerent: quod paſſim inducto fuco, & falſis nævorum coloribus, interlita, alieni ſtili habitum mentiretur*; deinde, quæ *Cap. CVII* prolata ſunt: *Fama quoque fertur, Herodiani hiſtorias ejus* (TIFERNATIS) *ingenio laboreque fuiſſe translatas, quaſi eas morienti ſubtraxerit Politianus, vir in literario negotio ſæpe convictus furti; ſed vix credibile videtur, ut vir in omni dicendi facultate opulentiſſimus idem atque promtiſſimus, ex alieni ingenii labore famam probro & calumnia redundantem quæſiſſe voluerit.* Ineptiſſimus accuſator, ſed magis ineptus defenſor. Sæpius convictum furti criminatur ANGELUM; ſed a quo convictum? & qua in re convictum? Aut noverat id, aut ignorabat, JOVIUS. Si noverat, quidni attulit, boni quippe viri & ſcriptoris accurati ita laudem tuiturus? Sin ignorabat; quæ illa fraus eſt, in re nobis ignota ſententiam interponere, & criminis convictum dicere eum, cujus ne ipſum quidem crimen habemus cognitum. Sed fuerit utique convictus furti; cur igitur non credibile videatur, hominem, doctum quidem atque eloquentem, ſed jam olim ſæpius furti notatum, ex TIFERNATIS, quem & TYPHERNATEM alii ſcribunt, labore famam quæſiiſſe? Si hic defendis ANGELUM, quidni & in ceteris? Si in ceteris accuſas, quid hic defendis? Adeo nuſquam malum animum diſſimulat JOVIUS, &, dum ſibi ipſe parum conſtat, valde ſuſpectam nobis reddit fidem ſuam. JOVII veſtigiis eleganter, ut ſolet, inſiſtit lepidiſſimi homo ingenii, ANT. VARILLASIUS, ita quidem, ut, quod ipſi fabularum ſcriptores ſolent, novis hanc narrationem pro ingenio ſuo fictionibus exornet, efficiatque illuſtriorem. Ut animi aliquod pabulum habeas, Lector, non ut in his ſitum aliquid momenti putes, ipſa Poetæ verius, quam Hiſtorici, verba dabimus. Ita vero ille in *Anecd. de Flor. Lib. IV. p. 195*: *Enfin la démangeaiſon d'écrire l'emportant*

portant sur son premier dessein, il fit imprimer une traduction d'Hérodien, qui n'eut pas tout l'éfet, qu'il prétendoit: car encore qu'elle fût generalement admirée, il courut un brouit, que Politien l'avoit trouvée parmi les papiers du fameux Gregoire de Citta-di Castello, qu'il avoit achetés : & ce bruit etoit fondé sur des conjectures qui ne furent détruites, que foiblement. Le Pape Leon, qui étoit alors sous Politien, & entendoit tout ce qui se disoit pour & contre à la table de son pere, étant prié vint ans aprés par les Academiciens de Rome, de leur aprendre ce qu'il en croioit, laissa la chose en doute, & demeura d'acord, que le stile de cette traduction n'avoit rien de semblable à celui des autres oeuvres de Politien, & tenoit bien du fard & de l'artifice, dont Grégoire de Citta-di Castello avoit accoutumé d'user dans ses compositions. Il ajoûta pourtant, (comme s'il eût eu peur d'en avoir trop dit,) que ce Grégoire n'avoit rien fait de comparable à la traduction d'Herodien. Belle profecto & speciose VARILLASIUS; ut jures, præsentem interfuisse iis, quæ Academicis Romanis in aurem dixit Pontifex. Prorsus in ea est sententia BÆLIUS in *Lex. Hist. l. c.* quicquid a JOVIO diversum hic narretur, id omne confictum esse a VARILLASIO, ut videretur singularia, nec dicta aliis, narrare. Negat etiam, satis ab eo recte perspectam mentem JOVII, utpote qui non ad TIFERNATEM, sed ad POLITIANUM, illud in vertendo artificium, fucosque illos, referat. Nec habuisse JOVIUM, cur defenderet POLITIANUM, si ea fuerit sententia Pontificis, qualem VARILLASIUS nos docet. Sed ad JOVIUM revertimur, penes quem fides sit ejus rei, quam unus refert, nullis confirmatam æqualium Scriptorum testimoniis. Non enim nisi ex hoc ipso fonte sua hausisse puto GADDIUM, cum *P. II. de Scriptor. non Eccles. p. 135* scribit : *Majorem forsitan famam, sed minus bonam, ob suspicionem notamve furti ab æmulis inustam sibi Politianus peperit Herodiani versione.* Nec, qui ejus rei mentionem faciunt, ADR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T. II. P. III. p. 314. ed. nov.* & JAC. THOMASIUS in *Diss. de Plagio liter. §. 526. p. 235*, præter JOVIUM, unum habent, quem testem proferant. Cum vero nec ipse JOVIUS rumoribus illis fidem habeat, quid mirum

adeo, ætate nostra vix esse quemquam, cui male audiat hoc nomine POLITIANUS noster. Quin data opera a furti hujus suspicione absolvunt eum JUL. NEGRI in *Istor. degli Scrit. Fior. p. 47*, ADR. BAILLETUS *l. c.* Autores Diarii *Histoire Crit. de la Republ. des Lettr. T. IV. p. 278*, & præ ceteris PETR. BÆLIUS *l. c.* illud inprimis contendens, in hac HERODIANI interpretatione eandem, quam in reliquis POLITIANI scriptis, artem, idem ingenium, eandem gratiam, regnare, majoris etiam laboris rem fuisse, elimare opus alienum, quam concinnare novum, denique nec ejus doctrinæ virum fuisse TIFERNATEM, a quo partus expectari tam formosus ac venustus potuerit. Quæ rationes ita sunt comparatæ, ut nemini non assensum extorqueant. An vero unquam a TIFERNATE in Latinum translatus sit HERODIANUS, quod affirmari a LUD. JACOBILLO in *Biblioth. Umbriæ p. 130*, negari video a BERN. DE LA MONNOYE in *Indice expurgat. Menagianorum*, obvio in libro, cujus rubrum *Memoires de Literature, T. I. P. II. p. 253*, & in *Notis ad* BAILLETI *Jug. des Sav. T. II. P. III. p. 314. not. 1*, de eo, quod ad rem ipsam nihil faciat, jam non disquiro. Sed ecce, jam novus accusator, nec is temere adeo rejiciendus, prodit, BERNARDUS DE LA MONNOYE, doctrinæ vir prorsus summæ, cui tantum debet nostro tempore literaria Historia, quantum vix ulli unquam alii. Is, ut est in perscrutanda rerum ab eruditis gestarum veritate diligentissimus, nec tribuere quidquam rumoribus vagis & incertis solet, ita, neglecta plane JOVII narratiuncula, ex certis indubitatisque rerum monumentis id cognitum exploratumque habet, si qua exstet ante POLITIANI ætatem concinnata HERODIANI interpretatio Latina, non eam GREGORIO TIFERNATI, sed OMNIBONO LEONICENO, Vicentino, sub initia Seculi XV Græcarum Latinarumque literarum instauratori clarissimo, tribuendam, nec dubium esse ullum, quin ea ipsa commode usus sit in rem suam POLITIANUS. Erudite eam in rem ac copiose disserit in *Indice expurg. Menagian. l. c. p. 252 seq.* Nimirum, etsi lucem nunquam publicam viderit, lateatque jam forsan in Bibliothecarum tenebris, aut injuria temporum

porum prorſus perierit hoc LEONICENI opus, ejus tamen partem, quæ continet Severi, Imperatoris, Apotheoſin, jam olim nobis ſervavit FLAVIUS BLONDUS in *Romæ triumphantis*, Operis eruditi, *Libro II. p.m. 44 ſeq.* ibidemque de Autore interpretationis hunc in modum diſſerit: *Nuper Marcus Barbus, patriciæ gentis Venetus, Eccleſiæ Tarviſinæ Antiſtes venerandus, a noſtro Omnibono Brendulenſi Vincentino, Græcis Latinisque literis apprime erudito, munus nobis attulit, quale bonarum artium ſtudiis innutritos, & qui detulit, & qui miſit, in naſcentem Romam triumphantem conferre decuit. Ea eſt traducta ex Herodiano, ſcriptore Græco, Severi Imperatoris Deificatio, quam ipſius Omniboni verbis pæne totam inſerimus.* Subſequuntur jam ipſa verba LEONICENI, aut, ſi mavis, HERODIANI, per LEONICENUM Latine loquentis. Quæ ſi cum POLITIANI interpretatione contendas, illud utique clariſſime patebit, tum, cum Latine redderet HERODIANUM Noſter, ad manus ei fuiſſe, ſi non integrum laborem OMNIBONI, certe hanc ipſam ejus partem, quam legendam nobis BLONDUS exhibet. Etenim hic plurima, ſive genus dicendi, ſive verborum delectum, ſpectes, ita inter ſe conveniunt, ut facile credas, utrumque unius ejusdemque viri laborem eſſe. Neque tamen ita omnia inter ſe conveniunt, ut laborem POLITIANI hic prorſus nullum agnoſcas. In eo enim magnam utique oſtendit artem, quod alias addidit, alias rejecit voces, alias etiam in locum aliarum ſubſtituit, proprioque velut quodam interpretationem ſuam conveſtire habitu conatus eſt. Videtur nempe, ut verum fatear, illud inprimis actum a POLITIANO, ut cum Græco HERODIANI conferret Latinam OMNIBONI interpretationem, &, ſi quid ab eo peccatum eſſet in vertendo, ſi quid a Græco Latinove ſermone alienum ſcriptum eſſet, id emendaret diligenter, pulcherrimumque adeo & omnibus numeris abſolutum opus effingeret. De quo ut certius conſtare poſſit Lectori noſtro, ſpeciminis cauſa juxta ſe poſitam dabimus utriusque laboris partem aliquam, unde de reliquis judicare quisque ſponte ſua poſſit. Audiamus primum LEONICENUM: *Mos eſt Romanis, conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filiis vel ſucceſſoribus moriuntur. Et ejusmodi honorem Deificationem*

nem appellant : luctus quidem per omnem urbem ostenditur, festa celebritate permixtus. Corpus enim defuncti pro ritu hominum sumtuoso funere sepeliunt : sed ceream imaginem defuncto simillimam fingunt: quam sub vestibulo Prætorii proponunt in eburneo lecto magno atque sublimi, vestibus aureis instrato. Hæc mutata aliquantulum POLITIANUS: *Mos est Romanis, consecrare Imperatores, qui superstitibus filiis vel successoribus moriuntur. Quique eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter Divos. Est autem tota urbe quasi luctus quidam, festæ celebritati promiscuus. Quippe functum vita corpus ritu hominum sumtuoso funere sepeliunt. Sed ceream imaginem defuncto quam simillimam effingunt, eamque in regiæ vestibulo proponunt, supra eburneum lectum maximum, atque sublimem, vestibus instratum aureis.* Ex quibus ipsis, si probe attendas, facile intelligis, institutum POLITIANI fuisse, expunctis dictionibus non satis Latinis, sermonem LEONICENI magis ad veteris Latii elegantiam accommodare, atque hac ratione efficere, ne quis postea plus gratiæ inesse Græco, quam Latino, HERODIANO diceret. In quo ut rem præstitit laude nostra utique dignissimam, ita nec laborem hic studiumque nullum impendit; eruntque forsan multi, qui majorem emendati, quam primum confecti, operis gloriam existiment. Sed, quod nihil hujus rei innotescere posteritati voluit, nec in Præfatione HERODIANO suo præmissa de LEONICENO verbum attulit, quin potius, sibi uni omnem hanc opellam deberi, persuadere eruditis conatus est, id ego nec probare ausim, nec ullo modo defendere. Et, quamvis de eo adhuc dubitem, an ad fæcem illam hominum, quos plagiarios vulgo dicimus, rejiciendus sit hoc nomine POLITIANUS, (multa enim de suo addidit, &, si rem ipsam recte æstimes, plus, quam LEONICENUS, præstitit,) liberale tamen ingenium fidemque hac in re desidero, idque imprudenter dissimulatum a POLITIANO arbitror, quod, si indicasset nobis, non solum opprobrium ei nullum, sed & famam insignem laudemque, peperisset. Ceterum, ut ex BLONDO minime cognosci potest, an HERODIANUM universum Latine verterit LEONICENUS, ita nec illud definiri certo potest, sitne hoc duce POLITIANUS inde a principio usque ad finem laboris sui usus.

(*d*) Pri-

(d) Primus hujus calumniæ autor fuit GUILIELMUS ille BUDÆUS, Gallorum decus, gravissimus, ut jam alio in loco dixi, POLITIANI æmulus, & assiduus obtrectator. Is, PLUTARCHI *de Homero* libellum, qui POLITIANI ætate nondum in sermonem Latinum migraverat, totum a Nostro transscriptum in ea *Oratione*, quam sub auspicia prælectionum *in Homerum* recitavit, criminatur in *Annotat. ad Pandect. p. m.* 212. Quod dum facit, verbis utitur durissimis, & ab humanitate omni longissime remotis: *Plutarchus in eo libro, quem de Homero composuit, qui liber nondum Latinus ex professo factus est, licet Politianus, vir ille quidem excellentis doctrinæ, sed animi non satis ingenui, ex eo libro rerum summas ad verbum transscribens, quasique flores præcerpens, non erubuit id Opus pro suo edere, in quo nullam præterquam transscribendi ac vertendi operam navaverat.* Fidem statim BUDÆUS penes credulos invenit, inprimis penes amicos suos, qui, rem ei gratam facturi, narratiunculam hanc, tanquam de qua dubitare non liceat, diligenter ad posteros propagarunt. In his esse video FRANC. RABELASIUM, cujus si sequaris judicium, prolatum in *Præfat. T. I. Operum*, Gallice scriptorum, *p. 46*, dignus sit POLITIANUS, qui in turpissimorum latronum numero ponatur. Nec minus audacter CONR. HERESBACHIUS in *Præfatione libri de Re rustica*: *Politianus criminatur Gellium, tanquam furem aliorum scriptorum, cum ipse deprehendatur in re furacissimus. Nam præter hoc, quod de Miscellaneis ei objicit Merula, in aliis quoque publicatis ejus nomine scriptis animadvertere licet. Oratio in Homerum habita prope tota e Plutarchi libello translata est.* Inde factum, ut multi postea ejus rei in scriptis suis mentionem fecerint, nec dubitare de ea quidquam ausi sint. Pertinet huc JAC. THOMASIUS, qui, BUDÆUM secutus, id memorat in *Dissert. de Plag. liter. l. c.* Quin apud ipsum BÆLIUM, solertissimum alioqui historicarum veritatum investigatorem, tantum valuit autoritas BUDÆI, ut, quid dicendum sit pro causa POLITIANI, ignorare se fateatur in *Lex. Hist.* loco sæpius citato. Cautior longe GERH. JO. VOSSIUS, qui ejus rei fidem esse penes autorem jubet *Lib. III. de Histor. Latin. Cap. 8. p. 629.* Nec defuere tamen POLITIANO defen-

defensores sui; &, si legas, quæ diserte pro eo graviterque scripserunt Autores Diarii *Hist. Crit. de la Republ. des Lettr. T. IV. p. 280*, & eruditus *Operum* RABELASII Commentator *ad Præfat. T. I. n. 18*, salvam, quod spero, POLITIANI nostri caussam dices. Hi enim, collato inter se utroque, sive PLUTARCHI, sive POLITIANI, labore, in eam facile sententiam venere, nihil minus hic, quam interpretem, egisse POLITIANUM, &, quamvis idem utrique Scriptori institutum, idem dicendorum argumentum, at diversam tamen HOMERI laudes enarrandi rationem, diversum longe orationis genus, esse. Multo illustrius copiosiusque hoc argumentum a POLITIANO, quam a PLUTARCHO, explicatum, aridamque hujus dictionem, esse, si cum illius suavitate, & orationi undique adspersis floribus, comparetur. Præterea Oratori veniam hanc dari, ut possit, undecunque libeat, materiam dicendi capere, &, modo ornate semper & ad persuadendum apte dicat, securos de rerum, quas commemorat, fontibus auditores esse; quin eam maxime Oratori legem esse propositam, ne Scriptorum, unde sua hausit, ipsa nomina paginasque librorum recitet, quod mirifice hæc turbent orationis cursum, & audientibus valde sint incommoda. Quæ cum partim re ipsa, partim ratione, sint comprobata, quidni penes Lectorem tantum habeant ponderis, ut adversus BUDÆI obtrectationes satis his ipsis munitam famam POLITIANI existiment? Forsan ipse BUDÆUS, si inspexisset diligentius PLUTARCHI librum, abstinuisset penitus ab hac calumnia. Sed dandum hoc fuit amicitiæ JANI LASCARIS, quippe qui primus hæc insusurraverat auribus BUDÆI sui. Discas id ex fabella perlepida, quam, acceptam sibi ex ore BUDÆI, cui audita ante a JANO LASCARE, jucunde refert FRANC. DUARENUS in Epistola *ad* FRANC. BALDUINUM, obvia in *Opp. ejus p. 1107.* Non hanc exulare patiar hoc loco, utpote belle excogitatam, & auditu jucundam satis. En ipsa DUARENI verba: *Cum Politianus Florentiæ interpretationem Homericæ Iliados cum magna celebritate aggrederetur, non sine ingenti ostentatione, quæ de Homeri poemate præscripta sunt ab Herodoto, auditoribus suis e suggesto recitabat, quo tempore Herodoti liber Græce scriptus, a nullo adhuc conversus in Latinam linguam, nec typographorum formis excusus erat. Itaque Lascaris, qui tum*

honoris ac dicis causa numerum auditorum augebat cum paucis quibusdam aliis Græce doctis hominibus, qui ignorarent, unde omnia, quæ pro suis recitaverat, hausisset. Is igitur, paulo post ad hominem conversus, eumque seducens, dic mihi, quæso, inquit, Politiane, quo ore Herodoti opus insigne, quod ante tot secula conscriptum est, in tanto cœtu ut tuum recitasti? Cui mox subridens Politianus, nunquam, inquit, putassem, Jane, hominem Græcum adeo ejus artificii rudem & ignarum esse, quo ad multitudinem existimatio & fama comparari solet. Quasi vero, inquit, non satis intelligam, tres aut summum fortassis quatuor vos hic adesse, quibus Herodoti libros aliquando inspicere contigerit. Sed, quænam hic sit turba nobis applaudentium, & in cœlum laudibus ferentium, vides. Apud quos, si existimationem nostram (quod minime spero,) vel tantillum lædere volueritis, oratio profecto vestra, ut gloriæ nostræ invidentium hominum, non multum fidei ponderisque habitura est. Mirum, si hæc ita fideliter, nec addito, nec demto verbo, primum a LASCARE, postea a BUDÆO, tandem a DUARENO, sint relata. Eadem ex DUARENO recitantur a THEOPH. SPIZELIO in *Felice literato Commentat. III. §. 3. p. 309*, BÆLIO *l. c.* cui miror nihil in his DUARENI verbis fraudis suboluisse, JAC. THOMASIO in *Differt. de Plag. liter. l. c.* & JO. ALB. FABRICIO in *Bibl. Græc. Vol. I. Lib. II. Cap. 1. §. 10. p. 262. not.* * Facit & horum mentionem ANT. BORREMANSIUS in *Var. Lect. Cap. VII. p. 71*; sed teste is utitur BUDÆO, qui de HERODOTO nihil commemorat. At PAULUS COLOMESIUS, ne interirent tam festive narrata, integris his DUARENI verbis locum dedit in *Opusc. Cap. XXXI. p. m. 66*, hisque pro arbitrio suo rubrum dedit: *Politianus plagiarius*, notatus eo nomine eruditissimo Commentatori *Operum* RABELASII *l. c.* qui, per errorem in locum PLUTARCHI HERODOTUM substitutum a DUARENO, ex eo ostendit, quod HERODOTUS non nisi vitam HOMERI commemoret, POLITIANUS tantum in laudandis Carminum HOMERICORUM virtutibus occupetur, quo ipso propius accedat ad PLUTARCHI institutum. Cum igitur hæc DUARENI narratiuncula rem eandem spectet, quam ipse, ut paulo ante vidimus, BU-

DÆUS indicavit, non hanc novis armis impugnabimus, sed, quæ adversus BUDÆUM modo dicta sunt, eadem nunc ipsi dicta DUARENO volumus.

(e) Novam POLITIANO actionem idem, quem paulo ante in carum hoc caput vidimus armatum, BUDÆUS intendit. Satis enim præfracte & audacter ille *Lib. V. de Asse & partibus ejus p. m. 196: Angelus Politianus, vir memoria nostra utraque lingua apprime doctus, in decimo Epistolarum de Mensuris ex professo scribens, incipiendum, inquit, ab amphora consecrata — — Hæc Politianus, suppresso Autore, ut fere assolet, ex vulgatis carminibus illis sumsit, quæ apud Priscianum incerto Autore leguntur. Nam, non esse Prisciani, argumentum est, quod in antiquis voluminibus non inveniuntur.* Epistola, de qua sermo est BUDÆO, scripta est ad FRANC. URSINUM, & sub finem *Libri V. Epistolarum* POLITIANI legitur. At vetusta illa incerti Autoris, quem plurimi RENUM FAVINUM, aut RHENNIUM FANNIUM, dicunt, Carmina sub libri *de Ponderibus & mensuris*, a PRISCIANO scripti, finem extant. Quæ ubi cum Epistola POLITIANI contenderis, vel tacentibus nobis, quanta POLITIANO a BUDÆO facta sit injuria, intelliges. Ut taceam enim, Poetam metro suo, prosa oratione POLITIANUM, usum; breviter Noster & velut per indicem ea indicavit, quæ Poeta ille copioso & multarum paginarum Carmine complexus est. Ridiculus vero BUDÆUS, si id vitio vertit POLITIANO, quod res antiquas, & multis retro Seculis gestas, petendas ex Scriptoribus vetustis duxit. Fecit in eo, quod Scriptores accurati solent; dudumque omnium, quibus sagax est ingenium, sententiis confirmatum est, in re historica nunquam committi furtum posse. Nec erat, cur in POLITIANO fidem desideraret BUDÆUS, cum in eadem, quam dixi, Epistola fontem ille, unde hausit sua, nominatim indicet VEGETII RENATI *de Medicina veterinaria* librum, qui ipse si nihil dissentit a Poeta illo vetusto, quis ita demens aut morosus sit, ut ejus rei culpam in POLITIANUM transferat? Sed eo jam abduxerat BUDÆUM obtrectandi libido, ut ab his ipsis, in quibus nemo unquam offenderat, & quæ sana cuique Lectori sano judicantur, materiam calumniarum raperet.

(f) Ex-

(*f*) Exprobratum id POLITIANO a nasutioribus nonnullis, docemur a CONR. HERESBACHIO in *Præfat. libri de Re rustica*: *Politianus criminatur Gellium, cum ipse deprehendatur in re furacissimus, — — In Panepistemone aliorum non intellecta congessisse a nasutioribus insimulatur.* Sed, qui fuerint nasutiores illi, nec indicat HERESBACHIUS, nec cognoscere aliunde mihi licuit. Quiqui fuerint, cum nec indicaverint Autores illos, unde hæc depromta sint POLITIANO, nec ex certis rerum monumentis fidem fecerint dictis suis, detrimentum famæ POLITIANI aut leve, aut prorsus nullum, afferunt. Nec, si aliorum sententias hic congessit, ideo plagii accusandus est POLITIANUS, qui, pro illorum temporum ingenio, in argumento philosophico non temere recedendum a veterum Philosophorum placitis existimavit. Duobus adhuc verbis notabo errorem admodum ridiculum, a larvato illo ADOLPHO CLARMUNDO, infelicissimo vitarum scriptore, commissum in *Vitis clariss. vir. Cap. XVI. p. 170*, cui occasionem dederat JAC. THOMASIUS in *Diss. de Plag. liter. §. 526. p. 235.* Is enim, ubi HERESBACHII hæc dicta recitat, ita instruit verborum ordinem: — — *e Jovio disco, æmulos ejus etiam translationem Herodiani, — — Gregorio Tiphernati tribuisse*; — — *ex Heresbachio, in Panepistemone aliorum non intellecta congessisse.* Quæ ille, imperitissimus omnium rerum, ita accepit, ac si HERESBACHII & PANEPISTEMONIS cujusdam scripta expilaverit POLITIANUS. De quo ne dubites, en tibi verba elegantissimi Scriptoris: *Thomasius giebt vor, er habe auch zum œftern viel Sachen aus Heresbachio und Panepistemone gestohlen, wiewohl er die zusammen getragene Sachen nicht allemahl verstanden.* Rem acu tetigit, scilicet. Scias igitur, & in eorum, qui longe ipsum secuti sunt ætate, & in sua ipsius, bona turpissimum a POLITIANO, ita nos docente CLARMUNDO, furtum commissum. Absurda, & plus quam puerilia omnia. Discas hinc, Lector, quam bene sibi consulant, qui in re ad eruditos spectante fidem temere sequuntur Scriptoris tam inepti, idque unice agentis, ut absonis plenoque cachinno prosequendis narratiunculis rerum gestarum historias commaculet.

(*g*) Sæpius in ſcriptis ſuis invehitur POLITIANUS in plagiarios, qui manum violentam intulerint ſcriptis ſuis, hisque uſi ſint tanquam re ſua. Tales ſuarum *in Statium Annotationum* fures accuſat in Epiſtola ad PHIL. BEROALDUM, *Lib. VI. Ep. 1*, ubi ſtrictim indicat harum *Annotationum* argumenta, plagiariorum turpiſſimis conatibus hoc modo obviam iturus. *Certiorem*, inquit, *me per literas jam diu multi fecerunt, veniſſe iſtuc ad vos quendam, qui noſtras Annotationes venditet in Statii Sylvulas, easque ſe jactet ex noſtris autographis deſcripſiſſe. — — Quare viſum eſt Annotationes iſtas, qualescunque ſint, his ad te literis, quaſi quibusdam characteribus, inſignire, ne vel aliena forte mihi tribuantur, vel propria ſubripiantur.* Claudit tandem Epiſtolam verbis indignationis plenis: *Tu interim (quæ tua erga me benevolentia eſt,) ubi res tulerit, imponas (quæſo) plagiariis pudorem.* Similiter, multa *Miſcellaneorum* ſuorum, priusquam ab ipſo ederentur, capita clam furtimque ab aliis divendi, vehementer dolet in *Præfat. Miſcellan.*: *– – hortari cœpiſti nos, ut unam ſaltem ex eis Centuriam – publicaremus. Quod nunc utique ſimul autoritate tua, qua major nobis quidem nulla in terris eſt, ſimul ratione adducti facimus: quoniam noſtra iſta jam nonnulli vel cum pulviſculo converrunt, ſic, ut aliis pridem ſibique noſtrorum titulo laborum nimis placeant.* Adhæc in *Appendice Miſcellaneorum* mentionem facit *Centum Annotationum*, ab amico quodam ſuo, cujus nomen tacet, & doctrinam laudat, editorum, in quibus aliqua contineri, a ſe ipſo multos annos ante publice recitata, conqueritur. *In his unum*, inquit, *caſu, credo, vel alterum pari ferme atque apud nos argumento, compluſcula certe germana propemodum, quæ vel cum Faſtos Naſonis abhinc novennium ferme, vel poſtea, cum Flacci Satyras interpretabamur, quanta, norunt omnes, frequentia, publico auditorio dictaveramus. — Sed, quoniam ſic ea ſe principem demum reperiſſe narrabat, ut ignorata prorſus (ita, credo, putavit,) & inenarrata ad eam diem ceteris aſſeveraret, coactus, fateor, ſum, quod & ipſe pro ea, quam profitetur, humanitate facile patietur, ſimpliciter ingenueque profeſſionem meam ſuſpicionibus iſtis communis ignorantiæ abſolvere. Nam, ſicut haberi jure vel incivilis poſſim, vel arrogans, ſi non ei quoque, qui tam ſit & diligens, & erudi-*

eruditus, domi & ista & meliora nasci putem, (quandoquidem medio posuit Deus omnia campo,) sic e diverso patrocinium famæ deserere non solum dissoluti, sed etiam (ni fallor,) in semet ipsum pæne crudelis, videri possit. Et pereant, Donatus ajebat, qui ante nos nostra dixerunt. Nos ei prospera faustaque precamur, & cupimus, qui nostra post nos aut invenit, aut certe dixit. Tantum rogamus, ne pigeat in eorum consortium, quæ tanto ante tam multi sub nobis exceperunt, & in quibus pro virili parte laboravimus, etiam nos sicuti partiario admittere, ne non amicorum sint (quod ait Euripides,) cuncta communia. At, cujus fuerint hæ *Annotationes*, si non fuerunt JO. BAPT. PII, cujus *Annotamenta* anno 1488, eodem nempe, quem indicavit POLITIANUS, Venetiis prodiisse, ex MATTARII *Annal. Typogr. T. I. p. 502. edit. nov.* cognosco, aut, quod verisimilius, PHILIPPI BEROALDI, cujus *Annotationes centum*, teste eodem MATTARIO *l. c. p. 498*, eodem anno 1488 Bononiæ vulgatæ sunt, ego quidem nulla assequi me conjectura fateor.

§. 18.

Sunt hæc ita comparata, ut parum inde timendum videatur famæ & dignitati POLITIANI. Restant graviora longe, & majori ejus cum opprobrio conjuncta. Fuerunt enim, qui, moribus fuisse ANGELUM tam impuris, tamque ab omni elegantia remotis, perhiberent, ut, novo, eoque inter barbaros vix audito unquam, genere libidinis, turpissimo tenellos pueros amore complecteretur, horumque corporibus justo familiarius uteretur. (*a*) Quorum accusatio ne multum ponderis habeat in animis eorum, qui æquitatem amant, illud inprimis efficit, quod sit

eorum, quos famæ & doctrinæ ſuæ æmulos POLITIANUS per omnem vitam habuit acerrimos. Quos ſi in POLITIANUM hoc ipſo fuiſſe iniquiſſimos apparet; quanto majorem exiſtimationi ejus inuſſiſſe maculam putandi ſunt, qui, confictis in ejus contumeliam ineptiſſimis fabellis, adducere virum bonum penes credulos quosque in criminis horrendi & bonis omnibus abominandi, quod vulgo atheiſmum vocant, ſuſpicionem laborarunt. A quorum morſibus & contumeliis, atrociſſimis prorſus, & in perniciem POLITIANI ingenioſiſſime confictis, ut jam olim virtutem ANGELI fortiter vindicatum ivere doctiſſimi quique integerrimique viri, ita, qui noſtro tempore anilibus illis, nec idoneo ullo teſte confirmatis, narratiunculis tribuendum putet aſſenſum eſſe, vix inter eos, qui cum acumine ingenii conjunctum tenent æquitatis ſtudium, fore quemquam arbitramur. (*b*)

(*a*) Quo hæc turpiora ſunt, quæ de incaſtis POLITIANI moribus, & familiari cum pueris congreſſu, ſunt in vulgus ſparſa; hoc magis cavendum nobis, ne his temere fidem habeamus. Equidem, ſintne vera hæc, an confictа in opprobrium POLITIANI, vix definire certo auſim, qui ab altera parte probe novi Italorum quorundam ingenium, ut in omne genus libidinis, ita in hoc maxime, a quo ipſa abhorrere natura videtur, multorum judicio, valde pronum, ab altera virtutem POLI-

TIANI

TIANI atrocissimis invidorum hostiumque incursionibus expositam, oppressamque pæne calumniarum plaustris, video. Id sane mihi videor observasse, quicunque hæc objecerunt POLITIANO, hos ad unum omnes aut æmulos illius, aut certe addictos æmulorum partibus, fuisse. Primus, quod sciam, æternam hanc virtuti POLITIANI maculam inussit BARTHOLOMÆUS SCALA, juratus ille hostis ejus & obtrectator maximus, cujus plenum his conviciis Epigramma, quæque alia adversus eum dixit eo nomine in Epistolis, supra §. *XVI. not.* (*q*) legenda dedimus Lectori, non hic denuo proferenda. Sed ibidem, quam modeste responderit calumniis tam faeris & horrendis POLITIANUS, vidimus. An acu rem tetigerit SCIOPPIUS, qui, SCALÆ illud Epigramma ad familiarem POLITIANI cum PETRO inprimis MEDICÆO, LAURENTII filio natu majore, congressum spectare, sibi persuaserat, vix dicere nisi ei liceat, qui temporum illorum ipse rebus interfuerit. Quæ enim sine teste conjectura, iis inprimis in rebus, quæ cum opprobrio aliorum sunt conjunctæ? Si testimonium hominis fide digni in promtu habuit SCIOPPIUS, quidni pondus hoc addidit narratiunculæ suæ? Si meris hic suspicionibus indulsit, quem assensum a nobis extorquebit? Neque, si rem recte putes, verisimile putari possit, tam turpe facinus inspectante ac connivente LAURENTIO perpetratum, spectatissimæ virtutis Principe, & a cujus nutu POLITIANI unice fortuna pendebat, cujus denique præcipua hæc cura fuit, ut liberorum educationem viris & doctrina & integritate morum commendatissimis concrederet. Haud difficile tamen persuadere tibi possis, ab his, qui oculis invidis spectaverant fastigium POLITIANI, Principum Medicæorum moribus præfecti, excogitatam primum hanc fabulam, & maligne in vulgus sparsam. Eodem, ni fallor, tempore, quo SCALA illos in POLITIANUM aculeos emisit, accusator prodiit ANDREAS DACTIUS, homo POLITIANO olim amicissimus, sed tunc nihil minus quam amicus, cum versu eum peteret:

Et, ne te teneam, diutius, quot
Pædicat pueros Politianus.

Ejus

Ejus mentionem supra fecimus *§. XVI. not. (u)*. Quid certius exinde colligas, quam de spurcissimis POLITIANI moribus, vivente eo, rumorem tam publicum fuisse, ut eo nomine ante oculos omnium reprehendere eum non dubitaverint, quoscunque famæ & dignitatis suæ inimicos ipse habuit. Sed id scilicet unum colligas; rem ipsam ex testibus minus suspectis, & a partium studio magis remotis, discas, necesse est, quibus si destitutum te videas, jam, ut æquitatis rationem habeas, jure suo a te postulat POLITIANUS. Alienissimi vero ab æquitate ista fuere PAULUS JOVIUS, &, qui hunc secuti sunt, JUL. CÆS. SCALIGER, CLAUD. VERDIERIUS, aliique complures, ita in POLITIANUM malevoli, ut, cum in vita ejus nihil invenirent, quod reprehendi jure posset, vel ipsam mortem reprehenderent, & nefando pueri amore ita in furorem actum traderent, ut in mediis æstibus animam efflaverit. Sunt hi illi ipsi, de quibus CASP. BARTHIUS in *Adversar. Lib. XLVII. Cap. 5. col. 2192*, & ex eo MARC. ZUER. BOXHORNIUS in *Monum. illustr. vir. p. 36*: *Alii vitam & amores hominis vituperabiles non sine invidia recensent, autorem secuti Paulum Jovium*, &c. Non hic plenius exequor, quæ ad tuendam POLITIANI famam vel alii dudum protulerunt, vel a me ipso proferri bene multa possunt, quippe quæ infra, eo in loco, ubi de morte ANGELI ex instituto agemus, aptius & opportunius dicentur. Si quid vero ea in re indulgere conjecturis licet, parum abest, quin, diris illis & nefandis calumniis occasionem dedisse tria illa *in pueros formosos* Epigrammata POLITIANI Græca, existimem, quorum unum ἐρωτικὸν Δωριστὶ, alterum ἐρωτικὸν περὶ τῦ χρυσοκόμυ, tertium ἐις τὸν παῖδα, inscripsit. Singula legis in Volumine *Epigrammatum Græcorum*, quæ sunt ad calcem *Operum* POLITIANI adjecta. Celebrantur hic laudes puerorum, elegantissima forma præditorum, quos amari a se tenerrime, ipse non dissimulat Poeta, ut, si serio hæc scribi putes, facile locum inveniat illa Scriptorum, quos nominavi, accusatio. Sed quis tam iniquus sit eorum, quæ carmine exprimere Poetæ solent, æstimator, ut in his vitæ quærat ac morum imaginem? Habet hoc præ ceteris Scriptoribus præcipuum Poeta, ut dicere alia, alia sentire, nemine id prohibente, possit,

possit, hoc in arte sua nobilior, quo in fingendo felicior. Quod ipsum si veterum Poetarum præstantissimis, ex Græcis PINDARO, ANACREONTI, ex Latinis HORATIO, CATULLO, MARTIALI, laudi ducitur, non certe ita in vita, sicut in Carminibus, delicatis ac mollibus; non est, cur vitio id vertas nostri Seculi Poetis, qui, ubi ad veterum faciem formamque quam proxime accesserint, tum demum divina illa arte, quam poesin dicunt, profecisse se plurimum existimant. Neque vero ita hic pro causa POLITIANI pugnare animus est, ut ab omni prorsus amore alienum, prorsusque frigidum, venditemus. Demus aliquid genti, minime aversanti Amoris tædas; demus ingenio, quod in POLITIANO fuit, molli & luxurianti, cujus vel ipsa scripta ejus manifestum indicium præbent; qualia præ ceteris in amorem prona esse, &, ad ignem admota, facile ardere, res ipsa docet. Et, si testimonium capi ex Carminibus POLITIANI pateris, en Epigramma ejus *de se ipso semper amante*, cujus vel ultimus versiculus veteranum in castris Veneris militem testatur;

Sex ego cum plena perago trieteride lustra,
Nec placet in speculo jam mea forma mihi:
Nec responsurum spes improba fingit amorem,
Blanditiisque levem suspicor esse fidem.
Cum tamen hæc ita sint, capior miser illice vultu,
Et nunquam a dura compede solvor amans.
Jamjam militia nostræ contenta juventæ,
Desinat, aut ceston commodet alma Venus.

(*b*) Eo jam rem devenisse video, ut nihil valeant laudes eæ omnes, quas merentissimæ virtuti & doctrinæ POLITIANI tribuimus, si extra omnem positum controversiam putetur, non Deorum minus, quam sacrarum literarum, comtemtorem turpissimum fuisse ANGELUM. Neque me ita amor urget POLITIANI mei, ut, si quid ille de Diis aut sensisse improbe, aut dixisse contemtim, intelligatur, non eum bonorum omnium odiis & animadversionibus dignissimum existimem. Idque adeo cavendum mihi inprimis duxi, ne aut, POLITIANUM defendendo, ipsum defendisse scelus & improbitatem videar, aut, vagos illos & ignobiles rumores sequendo, causam POLITIANI, jam satis af-

 flictam,

flictam, & egentem patrocinii, penitus conficiam. Eum in finem, ut solent plerumque, quibus est juris in foro dicundi potestas data, primum accusatoribus iis omnibus, a quibus postulatus est tanti criminis POLITIANUS, patientes aures præbui, ipsa accusationis momenta expendi, facti testes requisivi, de horum fide & probandi facultate judicia aliorum exploravi, tum pro causa sua perorantem reum audivi, hujus vitam & mores pervestigavi, si quid in his turpe ac nefarium obveniret, non id conniventibus oculis spectaturus, denique, inspecta probe & diligenter cogitata causa omni, talem, velut pro rostris constitutus judex, inter partes sententiam dixi, qualem & æquitati, & juri ipsi, convenientissimam putarem. Quo cognoscendi modo illud assecutus sum brevi, ut jam vere dicere possim, multum valuisse in hac causa odium, malitiam, stuporem hominum, aut malevolorum, aut certe credulorum nimis, &, ut solet plerumque mens humana, ea amplectentium, quæ sunt cum aliorum maximo opprobrio conjuncta. Quæ ut rectius intelligas, rem omnem, uti gesta est partim, partim judicata olim, ordine exponam, nihil omissurus eorum, unde accusationis sive robur cognosci, sive turpitudo, possit. Scilicet alieni a Deorum cultu animi, &, quod commune est vocabulum, *Atheismi*, postulatur ANGELUS. Quid enim molliore nomine rem exprimam, cum nihil dubitaverit *Atheum* appellare POLITIANUM PHIL. MELANCHTHON in *Orat. de Dicto Pauli 1 Timoth. IV*, quæ extat *Tomo III. Declamat. p. 375*, &, qui hujus autoritatem secuti sunt, GISB. VOETIUS in *Disput. de Atheismo §. III & VI*, & in *Addendis ad Part. II. Disp. select. Theolog. p. 1273.* BURCH. GOTTH. STRUVIUS in *Progr. de docto Atheo p. 15 seq.* JO. FRANC. BUDDEUS in libro *de Atheismo Cap. I. §. 24. p. 110 & 143*, & sexcenti alii, ita famæ POLITIANI studiosi, scilicet. Nec his amantiores sui expertus est PHILIPPUM MORNÆUM, qui *contemtorem Dei* in libro *de Verit. Relig. Christ. Cap. XXVI. p. 449*, JO. HENR. BOECLERUM, qui *religionis satis imperitum* in *Bibliogr. crit. Cap. IV. §. 15. p. 113. edit. nov.* BURCH. GOTTH. STRUVIUM, qui *in religione Polypum* in *Progr. de docto Atheo p. 17*, & GREGOR. MICHAELEM, qui *Empæctam & porcum Atheisticum* dixit in

in *Notis ad* GAFFARELLI *Curiof. inaud. p. 110*, denique GISB. VOETIUM, quem, ſitne Lucianio-Neutraliſmi, an Semi-Ethniciſmi, an Epicureiſmi, poſtulandus Noſter, dubitantem videas in *Diſput. de Atheiſmo*, quæ extat *P. I. Select. Diſp. Theol. p. 206.* Atrociſſima & horrenda nomina, quibus nec turpiora ulla, nec ad optimorum hominum denigrandas laudes aptiora, inveniri poſſe, dudum experientia compertum eſt. Quis vero non, auditis illis, in eam ſtatim ſententiam deveniat, acceptos aut ex ore POLITIANI, Philoſophiam publice docentis, ſermones improbos & in divinam majeſtatem valde injurios, aut perverſis iſtiusmodi peſtilentiſſimisque doctrinis plenos fuiſſe libros ejus. Sed neutrum horum auditum unquam: &, ut in ſcholis ſuis longiſſime a contemtu Deorum abfuit POLITIANUS, ita ſcripta inprimis, quæcunque edidit, hominem non ſolum ab improbitate iſta remotiſſimum, ſed, quod infra pluribus oſtendam, religioſiſſimum etiam, & in Deorum cultu diligentiſſimum, teſtantur. Nam, quod hic obloquentem nobis audimus THEOPH. RAYNAUDUM in *Erotem. de malis & bonis libris Part. I. Erot. 4. p. 20*, qui, *clancularium Atheiſmum ſubolere*, putat, Epigramma POLITIANI *in Domitium Calderinum*, in Volumine *Epigrammatum* ejus obvium:

Audit Marſilius Miſſam, miſſam facis illam,
Tu, Domiti: magis eſt relligioſus uter?
Quis dubitet, tanto es tu relligioſior illo,
Quanto audire minus eſt bona, quam facere;

id nos tam parvi, tamque nihili, putamus, ut ne ſerio quidem ſcriptum a RAYNAUDO arbitremur. Quam graves brevi tempore Atheorum copias ſpectabis, ſi, qui Miſſam non audiunt, nec audiendam hanc putant, hos omnes in infelicem hanc turbam coges. Ita Germani mei, viri boni, ac probi, & religioſi, ſed non illius ſectæ ſcilicet, plenum quoddam Atheorum regnum dabunt. Et ipſe, qui hæc ſcribo, nec quidquam magis illa macula a me ſejunctum volo, jam omnium hominum infeliciſſimum me video, aut igne Vaniniano, aut Vatiniano certe odio, digniſſimus. At, minime hæc decuiſſe, ais, hominem addictum ſacris illis? Non abnuo, ſi quidem cum vulgo & ſentire, & loqui, debuit POLITIANUS. Sed quæ juſtitia hæc, ſtatim

 Atheum

Atheum dicere, ſtatim ad flammas rapere, cui alia omnia ſacrorum & religionis genera placent præ vano illo miſſæ nomine, quam nec, qui tantopere celebrant, ſatis ipſi intelligunt. Diſcas inde, quam ceteris de vulgo nobilius ſapientiusque ſenſerit POLITIANUS, qui probe noverat, inani illo vocum barbararum concentu parum rem Chriſtianam juvari, parum etiam ad cultum Deorum conferri. Quodſi vero alii omnes, qui diſſident ab illorum hominum ſententiis, non ſtatim Athei dicendi, eodem jure, rogamus, POLITIANUS utatur, ita præſertim Romani ſermonis ſuavitatibus aſſuetus, ut ignobile illud Miſſarum murmur vix audire ſine faſtidio potuerit. Neque adhuc aſſentientem ea in re RAYNAUDO quemquam ſcio, etſi, fuiſſe quosdam, ſcribat PETRUS DE S. ROMUALDO in *Abreg. du troiſ. Tome du Treſ. Chronol. & Hiſtor. p. 262*, qui Atheiſmi clandeſtini, cum DOMITIO CALDERINO junctis ſtudiis nutriti, inſimulaverint POLITIANUM. Quis enim dubitet, ipſum hic RAYNAUDUM tangi, cui uni, quod ſciam, in eam venire conjecturam placuit, deſtitutam prorſus Scriptorum vetuſtiorum teſtimoniis, quin veri hoc minus ſimilem, quod ex lectione *Miſcellaneorum* POLITIANI, in quibus ſunt multa adverſus DOMITIUM acerbiſſime dicta, quanta inter hos Grammaticos diſſenſio animorum fuerit, nemini eſſe obſcurum poſſit. Redit vero omnis hæc, de Atheiſmo POLITIANI inſtituta, accuſatio ad nobile narratiuncularum par, non ſatis certo olim autore vulgatum, &, ut pronis auribus acceptum ab his, qui ſunt ad credendum faciles, ita, non ſine famæ POLITIANI detrimento maximo, in hanc ætatem propagatum. Harum utraque vagos quosdam POLITIANI de lectione Scripturæ Sacræ ſermones venditat, ab homine Chriſtiano vix expectandos unquam. Alteram ſi audias, interrogatus aliquando, legeritne ſacrum Codicem POLITIANUS, ſemel legiſſe ſe, nec pejus collocaſſe, dixit, tempus ullum; altera non minus profanum hominem teſtatur, qui Odas PINIDARICAS longe præferendas pſalmis dixerit DAVIDICIS. Quod ad alteram, primus hujus præco, forſan & inventor, fuit JO. LUDOV. VIVES, cujus verbis *Lib. II. de Veritate Fidei Chriſt. p. m. 364*, neſcio, an quidquam ſcribi invidioſius inhumaniusque poſſit: *Angelus Politia-*

litianus totam sacram lectionem aspernabatur. — — Sciamus, quae tandem erant occupationes istorum, prae quibus sordebant eis sacra & pietas: nam maximas & praeclarissimas fuisse oportet. — — Politianus quaerebat, dicendumne esset Carthaginensis, an Carthaginiensis, scribendum primus, an preimus, Vergilius, an Virgilius, & de hisce nugis instruebat Centurias, quibus ordinandis defessus, transferebat se ad componendum festivum aliquod Epigrammation de mascula Venere Graecum, ut haberet plus Veneris, & Latini non intelligerent. O hominum curas, propter quas merito pietatem vel contemnerent, vel negligerent. Quot verba, tot malitiae testes habes. Agnoscis facile iniquitatem VIVIS, ea in opprobrium POLITIANI torquentis, quae sunt cum ejus magna gloria conjuncta, acumen puto criticum, cujus si qua exstant in *Miscellaneis* vestigia, laudibus potius, quam diris, prosequenda videbatur tam nobilis industria. Sed indignum scilicet his laudibus putavit, quem ob sacri Codicis contemtum omni odio dignissimum putabat. Sed, cum tam gravis accusator est, id, vellem, operam dedisset, ne cui de veritate criminis dubium superesse ullum posset. Ridiculum accusandi genus, non testibus tantum, sed ipso etiam criminis indicio, destitutum. Carior bonis omnibus POLITIANI memoria, quam quae unius autoritate VIVIS in tantum venire discrimen possit. Non rem dudum cognitam ac pervulgatam, sed novam, nec antehac auditam, is narrabat, quam, ne in fabulis haberet lector, & narrari plenius, & indicari manifestius, debuisse, ipse forsan tam sapiens fuit, ut agnosceret, LUDOVICUS. Quidni igitur aut scripta POLITIANI indicavit, infecta veneno isto, aut testem nominavit, accepta haec ex ore ejus testantem? Causam vides; neutrum potuit. Quid enim scripta proferret, quae sunt ante oculos omnium posita, & quorum vel ipsa lectio facile a tanto crimine absolveret POLITIANUM? Quid vero testem requiras, quem ille, si scivisset, protulisset, ne defendendi POLITIANI occasionem praeberet, certissime. Vides igitur, quo redeant haec omnia. Si nolis prorsus conficta dicere a VIVE, referas haec, oportet, ad vagum aliquem rumorem, & famam illam, omnium malorum nuntiam, quae quantum valeat in tam gravi judicio, nemo non intelligit Lectorum. Eundem,

dem, nescio, an VIVEM, an rumorem, ex medio vulgo ortum, secutus PHILIPPUS MELANCHTHON, ille in alios omnes, quam in POLITIANUM, lenior, huic Sacræ Scripturæ contemtum exprobravit publice, sed qui, ut fuit VIVE quodammodo verbosior, ita, vellem, fuisset fortior, nec ridendnm se nobis dedisset anili illo *audio*, quæ parum digna eruditis vox est. Nec ei satis fuit, semel hæc objecisse ANGELO, sed, ut certissime hæc posteris innotescerent, iteratis vicibus, etsi verbis pæne iisdem, hanc ei maculam inussit. Primum enim in *Explication. in Evangelia Dominic. P. II. p. m. 553: Politianus, Canonicus Florentinus, interrogatus, an etiam legeret Biblia? respondit: Semel perlegi librum illum, & nunquam collocavi pejus ulium tempus.* Deinde idem durius aliquanto in *Orat. de dicto Pauli 1 Timoth. IV*, quæ exstat *Tom. III. Declamat. p. 375: Multi Athei audacissime affirmant, fabulosos esse libros Propheticos & Apostolicos, eosque legi prohibent, ut, Politianum, audio, dixisse, interrogatum, an legeret sacros libros? semel se legisse, nec tempus ulla in lectione pejus se posuisse.* Hæc, etsi nullo teste munita, tamen a MELANCHTHONE, summæ inter eruditos autoritatis viro, prolata, dici vix potest, quam damnosa fuerint existimationi POLITIANI, quem, tanti criminis a tanto viro postulatum, jam vix unus aut alter fuit, qui non diris devovendum, atque ipsa hominum exterminandum memoria, judicaret. Et, ut solet malitia hominum semper addere aliquid auditis, &, quo latius excurrit, hoc magis crescit plerumque fama, sic, semel ad conviciandum signo dato, omnia licere sibi in POLITIANUM, quantumvis præclare de omni doctrina meritum, homines ad condemnandum, quam excusandum, paratiores putarunt, ut, quicunque post MELANCHTHONEM hæc tradiderunt, aut sint autore suo duriores longe, aut addere narrationi talia, quæ nec ipsi dicta sint MELANCHTHONI, non dubitent. Nimirum rem eandem referunt GISB. VOETIUS in *Disput. de Atheismo*, quam vide *P. I. Select. Disput. Theol. p. 206*, & in alia *de Gentilismo & Vocatione gentium, P. II. Disp. select. Theol. p. 600*, nec non in *Addendis ad Part. II. Disput. Select. Theol. p. 1273*, sed qui teste utitur PHIL. MORNÆO, hujus rei prorsus nihil memorante, sed illa saltem VIVIS verba, quæ supra

ſupra ſunt prolata, recitante in libro *de Verit. Relig. Chriſt. Cap. XXVI. p. 449.* Idem VOETIUS, cum novum teſtem hujus rei nominat GABR. PUTHERBEUM in *Theotimo, ſive de toll. & expurg. mal. libr. Lib. I. p. 81*, &, hujus teſtimonio fidem conciliari poſſe dictis MELANCHTHONIANIS confidit, non animadverterat, eſſe hæc, quæ Scriptor ille protulit, ipſa VIVIS verba, ut jam ante me obſervavit PETR. BÆLIUS in *Lex. hiſt. & crit. T. III. p. 2342. not. (J).* VOETIO addo JO. SAUBERTUM in *Palæſtra Theol. Phil. p. 369*, & GREG. MICHAELEM in *Notis ad* GAFFARELLI *Curioſ. inaud. p. 110*, cujus verba, ſaltem ut vehementiam hominis cognoſcas, en profero: *Angelus Baſſus, qui a patria Politianus dicitur, Canonicus Florentinus, aliquando interrogatus, an legeret Biblia? Reſpondit, ſemel perlegi librum illum, & nunquam tempus pejus collocavi ullum. Quid impietas eſt, ſi hoc non eſt? Optime collocaſſet tempus Empæcta, ſi ſæpius — — Certe Angelus iſte aliud affert Evangelium præter id, quod prædicatum eſt, ergo ἀνάθεμα ἔςω.* Recentiorum vero quis numerum iniret? quorum forſan ſunt præcipui ANT. TEISSIERIUS in *Addit. aux Eloges des homm. ſav. T. I. p. 19*, ſed qui teſtem nominat VIVEM, cum nominare MELANCHTHONEM deberet, porro JO. HENR. BOECLERUS in *Bibliogr. crit. Cap. IV. §. 15. p. 113. edit. nov* cui æque, ac nuperrimo ejus editori, JOANNI GOTTLIEB KRAUSIO, vitio vertit BERNARDUS DE LA MONNOYE in *Not. ad* BAILLETI *Jug. des Sav. T. III. P. I. p. 325*, quod nec teſtem addiderint narrationi, nec de refutanda ea quidquam laboraverint. Addo his THOMAM CRENIUM, acriter pro fabella hac pugnantem in *Animadverſ. Philol. & hiſt. P. III. p 22 ſeq.* IMMAN. WEBERUM in libro *Beurtheilung der Atheiſterey p. 31*, JO. FRANC. BUDDEUM in libro *de Atheiſmo Cap. I. §. 24. p. 143*, FRID. WILH. BIERLINGIUM in *Diſſ. de Eruditione politica §. V. not. (b). p. 16*, BURCH. GOTTHELF STRUVIUM, qui præ ceteris verboſus, aut, ut verius dicam, maledicus accuſator eſt, in *Diſſ. de Doctis Naturaliſtis p. 27*, & in *Progr. de Docto Atheo p. 15 ſeq.* denique, quem ſine nota hic dimittere non poſſum, propterea quod STRUVII illa, quæcunque legis in *Diſſ. de Doctis Na-*

tura-

turaliſtis, vix verbo mutato, etſi diſſimulato prorſus Autoris nomine, integra tranſtulit in librum ſuum, plagii turpiſſimi, nec ulla venia digni, hoc ipſo reus, J. THOMASIUS PHILIPPS in *Diſſ. de Atheiſmo*, Londini edita A. 1716, *p. 80.* Unum adhuc nominamus, GOTTLOB. FRID. SEELIGMANNUM, Theologum olim Lipſienſem, poſtea Dreſdenſem, in *Præfatione Bibliorum*, quæ Lipſiæ ſunt publicata A. 1700; qui, vellem, aut ea de re tacuiſſet prorſus, aut ipſum inſpexiſſet MELANCHTHONEM, ne diceret, fuiſſe hæc MELANCHTHONI ex ipſis POLITIANI ſcriptis cognita. Magnam Scriptorum nubem vides, ſed quibus multo plures omiſimus, in id conſpirantes omnes, ut, nec conſiderata ſatis cauſa, nec deliberato judicio, tuto aſſenſum præbeant MELANCHTHONI. Neque vero defuit tam bonæ cauſæ patronus ſuus. Nec, ſi alius quisque minoris famæ & dignitatis vir, quam VIVES ille & MELANCHTHON, hæc prodidiſſet primum, addo, ſi minor eſſet eorum copia, qui Atheorum in dies augere numerum cupiunt, fidem his habiturus fuiſſe quisquam videtur; adeo fabulis ſunt ſimilia, & vix ſpeciem veri ullam habent, ut recte nobiſcum ſentit BERNARDUS DE LA MONNOYE *l. c.* Primus POLITIANI adverſus MELANCHTHONEM tuendam famam ſuſcepit GERH. JO. VOSSIUS *Lib III. de Poet. Lat. Cap. VII. p. 80*, qui, fieri non potuiſſe, ut ſemel tantum a ſe lectas ſacras literas diceret POLITIANUS, partim ob id ſibi perſuaſit, quod fuerit Sacerdos & Canonicus POLITIANUS. cui muneri absque lectione Scripturæ ſacræ præeſſe nemo poſſit, partim quod ipſe *Lib. IV. Epiſt. 10, tempore quadrageſimali* publice a ſe prælectas ſacras literas, ſcribat. Sunt hæc verba ejus: — — *Ut de Melanchthone taceam, qui Tomo III Declamationum p. 545 ait, ſemel ſolum ſacras literas legiſſe, dixiſſeque, nullum ſe tempus pejus collocaſſe. Quod & Ludovicus Vives prodidit, ut alios mittam. Id ſane parum credibile de eo, qui Sacerdos fuerit ac Canonicus Florentinus. Etiam parum convenire cum eo videtur, quod ipſe Politianus Lib. IV. Ep. 10 ſcribat, ſe tempore quadrageſimali publice ſacras literas populo enarraſſe.* Si VIVEM ipſum legiſſet, vidiſſet, non eadem huic, quæ MELANCHTHONI, narrari. Sed ſatis eſt, ab utroque contemtum Scripturæ Sacræ ex-

pro-

probrari ANGELO. Epiſtola POLITIANI, cujus mentionem facit VOSSIUS, ſcripta eſt ad JOANNEM GOTTIUM, Raguſinum, ubi ita Noſter: *Cum per hos quadrageſimæ proximos dies enarrandis populo ſacris literis eſſem occupatus, perlegi tamen libros Carminum tuorum,* &c. Si igitur quadrageſimali quoque tempore publicum ſacri Codicis interpretem egit ANGELUS, qui dicere ipſe potuit, lectum ſibi non niſi ſemel hunc librum? Ita recte concludit VOSSIUS, quem, præter hæc POLITIANI verba, illud inprimis juvat, quod rebus ſacris in æde D. Pauli præfectus fuerit POLITIANUS; cujus generis munerisque homines ſi carere facile Bibliorum lectione poſſunt, jam, quid ſit, rebus ſacris fungi, & ſacerdotii munia obire, ego plane non video. Easdem, quæ VOSSIO ſe probaverant, neſcio, an hunc ipſum ſecutus, pro cauſa POLITIANI rationes profert CASP. BARTHIUS, magnus Itali noſtri admirator, in *Adverſar. Lib. XLVII. Cap. 5. p. 2192*, ubi graviter pro Noſtro: *'Αθεότητα manifeſtam eidem impingunt,* (MELANCHTHON, VIVES, *&* MORNÆUS,) *nec ullo idoneo teſte, quod dicunt, confirmant, & eo ipſo ſatis liquido confutantur, quod ipſemet Politianus de ſe ſcribit, ſeſe quadrageſimali tempore publice populo ſacras literas enarraſſe, Lib. IV. Ep. 10, quod ab eo confictum in ore totius Italiæ tum vivente, nequaquam credibile eſt. Non recte ergo facere mihi videntur, qui tam levibus, imo nullis, Autoribus famæ tanti viri detrahunt, ſecuti rumores ab invidis hominibus ſparſos.* Præter BARTHIUM, facere ea in re cum VOSSIO video ANT. BORREMANSIUM in *Var. Lection. Cap. XI. p. 126*, ANT. REISERUM in libro *de Orig. progr. & increm. Atheiſmi p. 252*, VIGNEUL-MARVILLIUM in *Melang. d'Hiſt. & de Literat. T. II. p. 171*, LUDOV. MORERIUM in *Grand Diction. p. 367*, P. JUL. NEGRIUM in *Iſtor. degli Scritt. Fior. p. 46*, JAC. FRID. REIMMANNUM in *Hiſt. univ. Atheiſmi Sect. III. Cap. 3. §. 15. p. 348 ſeq.* aliosque plures. Forſan iisdem rationibus adductus THEOPH. SPIZELIUS, ita dixit ſententiam in *Felice literato Commentat. I. §. 3. p. 99: Quæ de Angelo Politiano, Hermolao Barbaro, Hieronymo Cardano, aliisque literatoribus atque Poetis, vulgo perhibentur, talia equidem ſunt, quæ Lucianiſmi eos vel*

Epicureiſmi ſuſpectos reddere queunt, convincere vero minime. Accedunt his alii, in defendendo ingenioſi inprimis, qui, ſi quid unquam ſermonis iſtiusmodi exierit ore ANGELI, id non de ipſis ſacris literis, ſed de rudi harum & incondita interpretatione Latina, quam Vulgatam dicunt, quæ non potuerit non ſordere auribus tam caſtis, & Romani ſermonis majeſtati tam aſſuetis, accipiendum arbitrantur. Quorum ut eſt facilis & quaſi ſponte nata conjectura, ſic, ſi locum invenire poſſit, meo judicio, ut ſalva ſit POLITIANI fama, omnium optime efficiet. Inter multos, quibus ita viſum olim, forſan præcipui ſunt NIC. BOILAVIUS *Tomo III Operum*, Gallice ſcriptorum, *p.316*, JO. FABRICIUS in *Hiſt. Biblioth. Fabric. P. VI. §. 59. p. 235*, DAN. GUIL. MOLLERUS in *Diſſ. de Angelo Politiano §. XXI. p. 29*, &, quem nuper demum facundiſſimum patronum nactus eſt POLITIANUS, Grammaticorum hujus Seculi facilé princeps, PETRUS BURMANNUS, in Oratione *pro Literatoribus & Grammaticis*, dicta publice Lugduni A. 1732, *p.36 ſeq.* At nihil hæc valent, ſi audias BURCH. GOTTH. STRUVIUM in Programmate *de docto Atheo p. 15 ſeq.*: *Alii indignationem ipſius ex rudi atque ſimplici ſtilo lectionis vulgatæ ortam putant. Neque tamen ſacram Scripturam ob ſermonis venuſtatem legimus. Corrumpatur ſtilus: ſalva maneat fides.* Neque vero Vulgatam Scripturæ Sacræ verſionem, bone STRUVI, ob doctrinas fidei contemnimus; nec, qui in ſtilo veneres deſiderat, is ſimul divinas veritates faſtidiat, neceſſe eſt. Sed carere & hac facile interpretatione poſſis, & magis conſultum ſit famæ POLITIANI, ſi, de horis Canonicis ſermonem ei fuiſſe, exiſtimes cum JO. MANLIO, rem ita nobis narrante in *Locis communibus Tit. de Vet. & Nov. Teſtam. p. 98*: *Politianus, Canonicus Florentinus, interrogatus, an legiſſet horas Canonicas? dixit: Semel perlegi iſtum librum, & nunquam pejus collocavi tempus;* cujus teſtimonium hoc majoris eſſe momenti videtur, quod plurima eorum, quæ ſunt in libro hoc commemorata, ex ſcholis hauſta eſſe MELANCHTHONIANIS, conſtet. Neque adeo hæc negligenda eſſe æquo rerum iſtarum judici, exiſtimat PETRUS BÆLIUS in *Lex. Hiſt. & Crit. T. III. p. 2342. not. (I)*, & PETR. BURMANNUS in *Orat. cit. p. 37.* Forſan &, horum

horum si rationem habuisset, æquiorem se POLITIANO præbuisset clarissimus ille nostræ ætatis Philologus, THOMAS CRENIUS, alia omnia in POLITIANO, quam Deorum reverentiam, laudans, hucque omnes ingenii nervos intendens in *Animadverʃ. Philol. & Hiʃt. P. III. p. 22 ʃeq.* ut, enervatis VOSSII rationibus, novis velut munimentis autoritatem MELANCHTHONIS firmaret. Sed, ut aperte dicam, quæ sentio, videntur mihi, quæcunque ille copiose amplissimisque verbis protulit, eo spectare cumprimis, ut magnum eruditionis apparatum, variamque Scriptorum lectionem, ostentent. Nos ex magnis illis telorum cumulis ea tantum seligemus, quæ præ ceteris aut VOSSIUM, aut POLITIANUM, petere gravissime videntur. Quod, profani istiusmodi sermonis, quem vulgo venditant, nihil expectandum fuisse a Sacerdote, in Scripturæ Sacræ lectione continuo versante, dixerat contenderatque VOSSIUS, id nihili putandum, ait CRENIUS, in memoriam nobis revocans illius mores seculi, quo tantam constet inter Sacerdotes rerum omnium regnasse ignorantiam, ut, quibus cum sacris literis quidquam fuerit commercii, in his pauci fuerint. Qua occasione totus est in colligendis undique exemplis Monachorum, ineptissimis sermonibus sacras cathedras profanantium, neglectisque sanctioribus doctrinis, fabulas aniles consectantium. Quæ, copiose memorata, multisque non illepidis narratiunculis, velut gemmis quibusdam, exornata, cum nihil pertinere ad POLITIANUM, quippe ab illa fæce hominum lineamentis omnibus diversum, ipse facile agnosceret CRENIUS, moderatior in eo æquiorque GISB. VOETIO, quem eodem telo adversus POLITIANUM misere pugnantem video rideoque in *Addendis ad Part. II. Diʃp. ʃel. Theol. p. 1273*, prudenti statim consilio, ne ridiculus adversariis evaderet, suspicione ista POLITIANUM liberavit, forsan, nisi turpe fuisset, deserere susceptam causam, nec ista additurus: *Sicuti vero harum affaniarum nolim insimulare Politianum, ita quoque ʃcio, ex una vel altera concione, a Politiano totam per vitam habita, & a nemine nostrum audita vel lecta, non poʃʃe judicium ferri ejus de lectione vel amore verbi Dei. Sane tam erudito viro non difficile fuit textum aliquem ʃanctum populo prælegere, & inde uʃus aliquos & Moralia, quæ*

 vocant,

vocant, elicere citra lectionem Scripturæ, aut cognitionem ejus vel ſtudium, cum & alias optimos etiam apud Pontificios Oratores Eccleſiaſticos rarum oppido ſit, Scripturam, ſicut Proteſtantes apud verbi Dei miniſtros fieri amat, e Scriptura per parallela, ut vocant, loca explicare atque expendere. Non ſane ille nobis videtur CRENIUS, qui nos doceat pugnandi artem; adeo puerilia ſunt, quæ hic nobis venditat, & vix digna reſponſione ulla. Itaque *concionem* non niſi *unam aut alteram habitam* ab eo dicit, quem in ipſo conſtitutum Sacerdotio, & ob id quaſi alligatum ſacræ cathedræ, ſi CRENIUS forſan ignoravit, nos ipſi certo novimus? ab eo, inquam, quem quadrageſimæ tempore ita occupatum ſacer iſte labor habebat, ut vix temporis aliquid ad legenda GOTTII Carmina reliquum habuerit? Contemtim ſatis CRENIUS, ſed nec idem vere ſatis. Cui vero eorum omnium, qui fabulam illam MELANCHTHONIANAM impugnarunt, unquam in mentem venit, ſacrarum orationum, quæ ſunt a POLITIANO recitatæ publice, teſtimonio ad id uti, ut hinc, quam amans ille verbi divini fuerit, diſcamus? Id unum ſatis ſit nobis diſcere, lectas ab eo ſacras literas, & plus quam ſemel lectas; quod ipſum ſi impetravimus, jam valeat MELANCHTHON cum inutili ſua hiſtoriola, &, quæ diu nimis imperitæ plebis ſermonibus jactata eſt, jam de Atheismo POLITIANI lepida fabella valeat. Nimis præterea abutitur ingenio ſuo CRENIUS, cum, ita fieri potuiſſe facillime, ſibi perſuadet, ut absque Scripturæ Sacræ lectione feliciſſime defungeretur Oratoris ſacri munere POLITIANUS. Videat, quam id recte dicat de eo viro, qui *enarratas* a ſe *ſacras literas* diſertis verbis ſcribit. Adeone ſacras literas enarravit Noſter, nec has tamen legit unquam? Quæ conjectura illa, cui manifeſta teſtimonia repugnant? Porro, ne dubites, eum fuiſſe POLITIANUM, qui præclariſſimas quasque virtutes, ingeniique dotes omnes, conjunctas in Oratore ſacro voluerit, lege Epiſtolam ejus ad TRISTANUM CHALCUM, *Lib. IV. Ep. 6*, plenam laudum MARIANI GENAZANENSIS, *ſacras ad populum conciones habentis*, cujus verba electa, grandes ſententiæ, argumentorum nexus, ſpiritus, viresque, omnibus modis vehementerque commendantur. Denique quis iniquus ita, qui conjecturis vim ineſſe

inesse adversus famam hominum contendat, nec optima quæque malit, quam quæ sunt pessima, opinione præsumere? Nam, si quælibet pro arbitrio fingere accusanti licet, quis eodem nos jure uti defendentes prohibet? Similia sunt, nec majorem nervum habent, quibus alteram VOSSII rationem, quod Canonicus fuerit POLITIANUS, infirmare laborat CRENIUS. Ea attulisse tantum, idem erit, ac refutasse. *Quod denique*, inquit, *Canonicus Florentinus fuerit, rem quoque parum juvat. Etsi enim me clam non sit, primos Collegiorum autores Canonicis præscripsisse, ut in illorum congressionibus singulis diebus Biblicæ instituerentur lectiones, Odæque Davidicæ ac Psalmodiæ sub initium ac finem lectionum ad laudem Dei prædicandam, fervorem spiritus excitandum, cultum divinum exercendum, ac pietatis amorem animis hominum instillandum, decantarentur, unde & Cantoris nomen adhuc in eis superest: quia tamen sancta omnia hæc opera per vicarios, quos vocant, administrant Canonici, ipsi sunt eorum omnium negligentes, quasi nihil ad se pertinerent, ut nemini non, hoc hominum genus qui norit, exploratum est.* Pergit deinde, quod solet, ex literaria sua penu expromere varia lectu admodum jucunda, & Canonicis aut veteris, aut nostri, ævi parum honorifica, sed a quorum commemoratione hoc tutius abstinere poterat hoc in loco, quo certius, ipsius testimonio POLITIANI, constat, nemine vicariam præstante operam, ea, quæ sunt Canonicorum, ab ipso omnia peracta. Ut enim clare id docet illa ad JO. GOTTIUM, quam sæpius nominavi, Epistola, sic majorem huic fidem conciliant verba POLITIANI in *Miscellan. Cap. XIV: Ne jam insultare Judæus, aut objicere, possit, ea (*Psalmos*) nos in templo singulis canere horis, quæ ne ipsi quidem satis versa fideliter existimemus.* Satis sit dictorum adversus CRENIUM; quem, miror, absque censura dimissum a BÆLIO, sagacissimo homine, in *Lex. hist. & crit. l. c.* Arma in eum strinxit DAN. GUIL. MOLLERUS in *Diss. de Angelo Politiano §. XXI. p. 28 seq.* sed quem vellem cum argumentorum nervo robora verborum conjunxisse. Revertimur jam ad MELANCHTHONEM, nova in POLITIANUM tela vibrantem, non alio animo, quam ut immortalibus tanti viri meritis obtrectaret. Superesse

 enim

enim meministi accusationis partem alteram, quam ita esse comparatam gaudeo, ut nec ipse eam a se amoveri POLITIANUS postulet. Odas PINDARICAS DAVIDICIS prælatas, magno ore vulgo clamitant, edocti hæc a MELANCHTHONE, quem ita narrantem hæc videas in Epistola ad ADAMUM CRATONEM, præfixa *Exegesi* NICOLAI ASCLEPII BARBATI *de antiquo & profundo Consilio Dei*, ut nihil hinc minus, quam Atheismum, possis cognoscere. *Dionysius Capnio*, inquit, *qui adolescens audivit Angelum Politianum, narrabat, eum, interrogatum aliquando, quid de Psalmis Davidis sentiret, & ad quid prodesse eorum lectionem judicaret, respondisse, sibi vero placere illa antiqua carmina, & continere ea partim honesta præcepta, partim gravissimas conciones de providentia, & de sceleratorum pœnis: partim querelas de infirmitate hominum, utiles ad frænandos immoderatos impetus: partim historias ejus gentis. Sed addidit Politianus hanc collationem, res easdem dulcius & splendidius narrari in Odis Pindaricis; ibi pingi Ixionem, in rota clamantem, discite justitiam moniti, & non spernere Divos. Ibi describi Bellerophontem, propter priores victorias factum insolentiorem, & vehi Pegaso intra cœlum volantem, id est, res non necessarias ambitiose moventem, excuti a Pegaso, & dejici in Ciliciam. Ibi celebrari Pelei castitatem, qui, expetitus ab Acasti conjuge, & ab eo falso accusatus, &, objectis Centauris, servatur accepto gladio divinitus. Denique multas imagines pulcherrimas, multas historias, & gravissima præcepta, tradi. Hæc Politiani oratio, etsi speciosa est, tamen est hominis ignorantis discrimen inter genera doctrinarum, inter legem & Evangelium.* Quæ nisi ultima accessissent verba, vix in animo fuisse putem MELANCHTHONI, hæc in opprobrium POLITIANI convertere. Adeo nihil in his offendo, cujus pudeat hominem religiose Deos horumque præcepta colentem. Ut hinc dubitari vix possit, si, quicunque cantiunculas DAVIDICAS contemtas a POLITIANO præ PINDARICIS dixere, hocque nomine in eum acerbissimi fuere, quos inter nominandi præ ceteris CASP. PEUCERUS in *Epistola ad* CHRISTOPH. CARLOWITZIUM, GREG. MICHAELIS *l. c.* JO. SAUBERTUS *l. c.* ADR. BAILLETUS

LETUS in *Jug. des Sav. T. III. P. I. p. 325 seq.* JO. HENR. BOECLERUS *l. c.* BURCH. GOTTHELF STRUVIUS in *Diss. de doctis Natural. p. 27*, & in *Progr. de docto Atheo p. 15*, ipsa verba MELANCHTHONIS inspexissent, hos facile temperaturos sibi ab his calumniis fuisse. Nihil de eo nunc laboro, satisne ponderis hac in causa habeat testimonium DIONYSII CAPNIONIS, cui inter discipulos POLITIANI locum supra dedimus *§. V. not. (l)*. Sive enim hæc ipse sibi accepta ex ore POLITIANI dixerit, quod ipsum tamen haudquaquam docent verba MELANCHTHONIS, quam facile fieri potuit, ut hæc, pie sapienterque a POLITIANO proposita, aut ingenii quodam vitio, aut malitia animi, in pejorem longe sensum torserit, quam nec nostro tempore doctissimorum virorum scholis pestem calamitatemque exulare, ii optime norunt, quibus cum ea conflictandum est continuo; sive ab aliis narrata latius disseminaverit, fueritque in his rumorem vulgi secutus, nemo forsan tam iniquus est, qui armis his impugnandam tanti viri dignitatem putet, inprimis cum colluctandum ipsi viventi cum hostibus perpetuis, invidia, & hujus sorore, calumnia, fuerit, quibus ad confingenda hæc malitiæ & improbitatis satis fuit. Et quid? si memoria fefellerit MELANCHTHONEM, ut de POLITIANO audita sibi ex ore CAPNIONIS dixerit, quæ ille potius de LAZARO BONAMICO narraverat? Huic ipsi enim idem, cujus vulgo POLITIANUS accusatur, de Psalmis DAVIDICIS judicium tribuitur a JO. MANLIO, in *Locis commun. l. c. p. 80* ita rem narrante: *Lazarus Bonamicus, vir doctus, cum esset interrogatus, quomodo ei placeret Psalterium? respondit, placere sibi: recitari enim ibi egregias sententias de providentia: sed tamen nihilo melius esse, quam Pindari poema, quod falsum est. Nam Pindarus, etsi habet egregias sententias de providentia, (nam totus fere Pindarus consumitur in testimoniis de providentia,) tamen Pindarica sunt idololatrica. Deinde sunt tantum legalia in Pindaro. David vero in Psalterio habet promissionem gratiæ.* A quo sua, ut videtur, mutuati, rem eandem tradidere GREG. MICHAELIS in *Notis ad* GAFFARELLI *Curios. inaud. p. 110*, JO. SAUBERTUS *l. c.* SALDENUS *de Libris p. 45*,

ANT.

ANT. TEISSIERIUS in *Elog. des homm. Sav. T. I. p. 128*, hisque plures. Quem Scriptorum inter se dissensum cogitantes, videmur nobis de re ipsa, saltem quod ad POLITIANUM, dubitandi causam non omnino nullam habere. Sed quid dubitare nos cogat de re, unde, si veram putes, nihil in POLITIANUM probri redundet? Sit ita, fuerint hæc utique, sicut narrantur a MELANCHTHONE, prolata a POLITIANO, atque illam publice, & ante oculos omnium, de Canticis DAVIDICIS, PINDARICISque Odis, per me licet, sententiam tulerit. Qui vero hæc lectorem, Deos reverenter colentem, offendant? Comparavit DAVIDICA illa cum PINDARICIS, diversasque horum virtutes enarravit; de ipso horum pretio & dignitate ne verbum quidem attulit. Ingenium DAVIDI molle atque simplex fuisse, dictionem planam & perspicuam, sententias obvias cuilibet, & per se divinas, dixit; nec in eo quidquam dixit, quod pudeat Theologos purissimos dixisse. Et, ob id sorduisse ipsi DAVIDICAM poesin, aut PINDARICÆ, non ob id, quod sit dulcior & splendidior, nobiliori etiam, posthabitam, unde cognosces, rogo? Non id verba POLITIANI indicant, cui, dulciores splendidioresque esse Odas PINDARICAS DAVIDICIS, facile concedent ii, qui, nunquam in animo fuisse divino vati, suavitatem quandam singularem aut dictionis majestatem affectare, probe norunt, aliisque omnibus virtutibus æstimari debere hujus Carmina, intelligunt. Quid plura? Graviter & facunde dicentem pro causa POLITIANI audi eloquentissimum illum Belgii sui Oratorem, PETRUM BURMANNUM, cujus si nihil penes te valeant verborum ac rationum pondera, non is ego mihi videor, qui de ingeniolo meo sperare meliora possim. Ita ille in *Orat. pro Literat. & Grammat. p. 38*: *De Pindari vero sublimiori spiritu, & Odarum præ Davidis canticis excellentia, in sinistram partem ejus opinationem a sacerdotibus, in hoc admodum pronis, acceptam fuisse, sacramento contendere auderem. Nihilque eum dixisse, nisi quod omnis ævi Poetarum, apud varias gentes nobiliorum, intelligentes quotidie affirmare non erubescunt: Thebani nimirum vatis ferventem & profundo ore ruentem, nulli æmulari facilem, & supra humani ingenii vim, & nubium tractus multa*

ta aura levatum spiritum, non quidem materia carminum, (hoc enim omnem impietatem superaret,) sed œstro illo & furore poetico, nulli nisi Davidis enthusiasmo conferri & comparari posse. Si inde jam Politiano, & innumeris aliis Pindari admiratoribus, æterna impietatis nota imprimi debeat, quid Zuinglio, quo nemo citius monachales illas sordes eluit, & inter vasta & ineluctabili caligine oppressos Helvetios humaniores artes & sacra Christiana purgavit, factum fuisset, si in Italia, audientibus sacerdotibus, illa, quæ legimus hodie de Pindari non modo divino spiritu, sed de sanctitate morum, & quodam de unico & vero Deo sensu, pronuntiasset. Reliqua, utpote copiosa, & ab hoc loco quodammodo aliena, omnibus legenda penes ipsum Autorem commendamus. At eloquentissime sub finem: *Ite nunc, imperitissimi Poetarum & ipsius divinæ artis judices, & maledicentiæ libidini non moderantes, in tam doctum, tam sanctum, Theologum omne malitiæ virus effundite. Tacete vero, Politiani & literatorum calumniatores, vos inprimis tacete, qui, nunquam tam sublimis Poetæ lectione & meditatione in admirationem abrepti, (vix enim nomen, ne dicam carmina, audivistis,) quid ad cœlestem & a Deo inflatam Davidi Poesin intelligendam, Deorum etiam falsorum, Regum, & Hieronicarum, laudes, & audaces illi dithyrambi, faciant, didicistis, aut experti fuistis.* Quæ diximus huc usque, eo inprimis spectant, ut, quicquid improborum sermonum vulgo tribuitur POLITIANO, aut ab harum rerum imperitis secus, ac par erat, acceptum, aut a malevolis prorsus esse confictum, appareat. Et quidni confictum, cum inter tot æmulos & hostes per omnem vitam versandum esset POLITIANO, quos facile credas non solum nullam lacerandæ ejus famæ occasionem prætermisisse, sed eam etiam fuisse modis omnibus vehementissimeque consectatos. Nimirum ex iis, quæ supra loco non uno dicta sunt, illud abunde constat, Græcorum, patria exulum, quorum magna nubes tunc temporis Italiam invaserat, & Græcarum literarum hic principatum affectabat, vix unum fuisse, qui non in æmulum hunc suum, ad Græcæ linguæ studia magno animo conversum, putaret sibi omnia licere, & famam ejus, pro ingenio illius gentis, atrocissimis conviciis proscinderet. Fuit hæc ma-

gna POLITIANI calamitas, quæ nisi fuisset, non ille profecto in tantam gravissimorum criminum suspicionem venisset. Idem est judicium CASP. BARTHII *Lib. XLVII. Adversar. Cap. 5. p. 2192*, cujus verba supra *§. XVII. not. (a)* adduximus, testimoniisque, ex re ipsa sumtis, confirmavimus. Fuit præterea commune hoc POLITIANO cum ipsa gente Medicæa fatum, quam cum æmuli, ut constat ex superiorum temporum historia, potentissimi affligerent, &, ut fastigio suo deturbarent, funestissima consilia conferrent, fieri aliter non potuit, quam ut ad ipsos gentis hujus alumnos, in quibus præcipuum locum tenuit POLITIANUS, tanti mali portio non ultima veniret. Qua in re assensum nobis facile præbebit, qui, non ignarus literariæ illorum temporum historiæ, in memoriam sibi revocaverit eorum omnium, quibus liberale hospitium domus Medicæa præbuit, sortem afflictissimam; in quibus, dubito, an ostendere vel unum possis, de quo non turpissima quæque in vulgus sparserit hominum nequissimorum calumnia. Unum his addo, in quo mihi præcipuum videor tanti mali fontem scaturiginemque invenire. In quosdam Ecclesiarum magistros, abutentes potestate sua, & in gregem suum ambitiose nimis se gerentes, acerbius subinde, ejusdem quamvis ordinis homo, dixerat in scriptis suis POLITIANUS, & importunos eorum mores, superciliumque pædagogicum, gravius, quam ferre solet ordo ille, reprehenderat. Sunt ejus generis, quæ legimus in literis ad TRISTANUM CHALCUM, *Lib. IV. Ep. 6*: *Alii, cum se magistros Ecclesiarum profitentur, credunt, sibi jus esse in homines vitæ & necis: itaque sic intemperanter potestate abutuntur, ut nunquam supercilium, nunquam pædagogi vultum, & verba illa tetrica, deponant.* Et Franciscanæ sectæ severitatem simulatam salse ridet in *Prologo in Plauti Menæchmos*, quem exhibet Epistola ejus ad PAULUM COMPARINUM, *Lib. VII. Ep. 15*:

Sed, qui vos damnant, histriones sunt maxumi:
Nam Curios simulant, vivunt Bacchanalia.
Hi sunt præcipue quidam clamosi, leves,
Cucullati, lignipedes, cincti funibus,
Superciliosum, incurvicervicum pecus.

Qui

Qui, quod ab aliis habitu & cultu dissentiunt,
Tristesque vultu vendunt sacrimonias,
Censuram sibi quandam, & tyrannidem, occupant,
Pavidamque plebem territant minaciis.

Excerpta hæc dedit PETRUS DE S. ROMUALDO in *Abregé du trois. Tome du Tresor Chronol. & hist. p. 214*, sed a quo, nemo erat, qui expectaret judicium illud de moribus & vita POLITIANI acerbum valde, & inconsiderate nimis prolatum. Putesne, talia impune dicta ANGELO? talia patienter audita iis esse, quibus summum est in humanas res quascunque imperium, quos ubi tu digito tetigeris, jam de tuo, miser, actum capite videas? Imo vero, ex hac officina monstrum illud (sit voci venia,) Atheisticum prodiisse, hoc magis est credibile, quo justiores hoc ipso adhuc tempore virorum optimorum, eadem tela formidantium, eidemque hosti succumbentium, querelæ audiuntur. Fuisse autem re vera purissimæ doctrinæ & animi incorrupti hominem, atque ea religione, qua solent viri sanctissimi, coluisse Deos, ANGELUM, vix, qui scripta ejus diligenter volutavit, dubitare quisquam ausit. Quis vero pectoris tam duri sit & inhumani, ut, nihil valere dicta illa pia & religiosa, quorum pleni sunt libri ejus complures, omnia valere sermones illos, a malevolis confictos, certe non ita malo animo prolatos, contendat? Quis unquam Atheus precibus sacris tribuendum quidquam temporis putavit? At POLITIANUS de se in Epistola ad CÆSAREM CARMENTUM, *Lib. IV. Ep. 4*: *Melior diei pars lectionibus variis mihi teritur, reliqua datur amicis opera. Noctem sibi quies, & somnus cum precibus, horario, & stilo, dividunt.* Alia addimus, quæ ex ore Athei tu nunquam expectaveris. Vide, quam religiose Noster ad FRANCISCUM PUCCIUM, *Lib. VII. Ep. 31*: *Inprimis exposce cottidie summi Dei pacem, per sacra, & aras, cui, non dubito, quin salus tua curæ futura sit, cum fides cordi esse debeat ea, quam patriæ præstas.* De PAULO, Apostolo, magnifice in *Miscellan. Cap. XXXV*: *Cretensis illius Epimenidis versiculus hic a Paulo etiam Apostolo citatus, atque ob id etiam sanctificatus est.* Integra, quam de obitu LAURENTII MEDICÆI ad JACOBUM ANTIQUARIUM dedit, Epistola, *Lib. IV. Ep. 2*, quam religiose de rebus divinis senserit, quam

fuerit ſuperſtitioſus qnodammodo, quam curioſus ominum obſervator, quod ipſum ab Atheorum ingenio longe eſt alieniſſimum, teſtatur. JOANNEM PICUM, Mirandulanum Ducem, amicum ſibi conjunctiſſimum, ob id inprimis laudat in Epiſtola ad MARSILIUM FICINUM, *Lib. IX. Ep. 13*, quod *ſacras omnes literas enarret*, & *adverſus Eccleſiæ ſeptem hoſtes directa fronte decertet.* Similiter in filiis JOANNIS TEIXIRÆ, Cancellarii Luſitanici, ſicut alias virtutes, ita illud inprimis, commendat in *Epiſt. ad* TEIXIRAM, *Lib. X. Ep. 3*, quod *ædes quotidie ſacras frequentent.* Præterea divinas literas *veritatem unicam* dicit in libello *ad* LAURENTIUM MEDICEM, *de Ira in pueris optimæ ſæpe indolis argumento.* Denique adverſus omnem Atheiſmi ſuſpicionem fortiſſimi eſſe loco munimenti juſſit Græcam illam, carmine expreſſam, ad Deum orationem, quæ exſtat in Volumine *Epigrammatum Græcorum* POLITIANI; quam, ubi legeris, (quid enim huc totam transferam, quæ inter reliqua POLITIANI ſcripta cuilibet expetenti patet?) ita comparatam dices, ut ab homine religioſiſſimo, resque ſuas omnes ad divinam providentiam referente, nihil ſcribi ſanctius potuerit.

§. 19.

Forma corporis, habituque oris, POLITIANUS nec decoro ſatis, nec ſatis liberali, fuit, naſo quippe enormi, ſubluſcoque oculo, & cervice paululum reflexa, præditus. (*a*) Sed corporis has maculas egregiis animi virtutibus (*b*) compenſavit, quarum vel præcipuas nominamus ardentiſſimum ejus de literis præclare merendi ſtudium, (*c*) & erga obvium quemque humanitatem officioſitatemque incredibilem. (*d*) Adhæc, qua in colen-

colendis amicis, qua in ſervanda fide, conſtantia fuerit, ſupra diximus. Nec diſſimulandum tamen, ſuis etiam præclaram hanc ejus virtutem infectam labeculis fuiſſe, (*e*) &, quod ſuperſtitioni partim, (*f*) partim ambitioni, cum vana doctrinæ oſtentatione conjunctæ, (*g*) nimium ſe deditum oſtenderit, ob id maxime culpandum videri ANGELUM.

(*a*) Formoſiſſimum putes POLITIANUM, ſi audias BARTHOLOMÆUM SCALAM in *Epiſt. ad* POLITIANUM, *Lib. V. Epp.* POL. *Ep. 5: Tu certe, præter ceteros, Politiane, naturæ multum debes. — — ut corporis modo prætermittam dotes, quæ nonnihil & ipſæ habere a quibusdam putantur momenti, ad felicitatem & fortunæ commoda.* Sed hæc dicta per cavillum ſcito, nec obſcure impuros POLITIANI amores hic reprehendi. Age vero, quibus coloribus imaginem viri JOVIUS depingat, videamus. *Erat diſtortis*, inquit ille *Cap. XXVIII. Elog. ſæpe moribus, uti facie nequaquam ingenua & liberali, ab enormi præſertim naſo, ſubluſcoque oculo, perabſurda.* Hæc ita, ut ſolet omnia, Gallice vertit ANT. VARILLASIUS in *Anecd. de Flor. Lib. IV. p. 193: Il etoit fort laid de viſage, il avoit le nez extremement gros, & long, il etoit lonché de l'oeil gauche* &c. JOVIUM, ut videtur, ſecutus JUL. CÆS. CAPACIUS, *diſtortum* ei & *immanem naſum* tribuit in *Elog. illuſtr. vir. p. 350.* Nec nos falſa hic docet JOVIUS, cum faciem POLITIANI tam deformem ipſi ſubinde æquales ejus riſerint. Adduximus jam ſupra *§. XVI. not. (r)* Epigramma *Mabilii*, quo inurbane ille:

Fœtus es aſpectu; quidni? tam diſpare ocello.

Et ipſe hoc corporis ſui dedecus in Epigrammate *ad Mabilium* agnoſcit POLITIANUS:

Quod naſum mihi, quod reflexa colla,
Demens, objicis, eſſe utrumque noſtrum,
Aſſertor veniam vel ipſe, — —

Nec diſſimulant hos nævos nummi duo, in fronte Diſſertationis noſtræ collocati, quorum archetypos ſervat ſplendidiſſimum Imperatoris Auguſtiſſimi, CAROLI VI, Numophylacium, quod Viennæ cuſtoditur. Horum alter, quem in ſuprema paginæ parte vides, ad ætatem POLITIANI quam proxime accedit, Medicæorum Principum, quod puto, juſſu in honorem ejus cuſus; alter ætatis paulo recentioris videtur, ſed ad alterius, quod facile putes, expreſſus formam, eandemque prorſus imaginem POLITIANI repræſentans. Quæ fuerit POLITIANA illa, cujus faciem in poſtica ejusdem nummi parte conſpicis, an cognatione juncta POLITIANO noſtro, an eodem tantum loco natali orta, mihi quidem nullo modo divinare licet. Nuſquam enim hujus fœminæ apud Scriptores mentio; &, ſi quid ex veſtitu judicare licet, vitam ſuam transegiſſe in ſilentio, & inter ſacras virgines, videtur. Si quis de ea certiora me docere poſſit, non levem ego huic gratiam habebo. Uterque nummus talem prorſus imaginem POLITIANI nobis exhibet, qualem JOVIUS deſcripſerat. Naſum prægrandem hic vides; nec nulla oculi ſubluſci indicia. Mirari hinc ſatis nequeo, qui factum, ut de forma oris, qua præditus fuit POLITIANUS, ſcripſerit HENR. BRENCMANNUS in priori ad CORNELIUM DE BYNCKERSHOEK *Epiſtola* MSta: *De effigie, non animadverteram, Jovium jam occupaſſe, qui & iisdem lineamentis indignationem ſuam animumque a Noſtro alieniorem depingit: nec enim mihi tam deformis videtur, etſi tribus in locis attente eum contemplatus fuerim.* Eandem, quam JOVIUS & nummi noſtri ſpectandam præbent, POLITIANI faciem oſtendit vetuſtiſſima, &, quod harum rerum periti judicant, ipſa POLITIANI ætate ab artifice Italo picta, effigies, in ligno expreſſa, quam inter præclara multa antiquitatis monumenta hic Lipſiæ publica Academiæ noſtræ Bibliotheca ſervat. Vides hic eadem in tabula quatuor clariſſimorum, quos ætas illa tulit, Italorum, MARSILII FICINI, CHRISTOPH. LANDINI, POLITIANI noſtri, & DEMETRII CHALCONDYLÆ, in rure Fæſulano (ita enim interpretor amœnitatem loci, in tabula expreſſam,) jucunde hoſpitantium, & amice inter ſe confabulantium, imagines conjunctas, eleganter & prorſus ad vivum expreſſas, nec inamœnum aſpectum ſui præbentes. Noſcas hic

facile

facile pallentem POLITIANI vultum, quem, ut postea dicemus, Florentiæ in pictis aliquot tabulis animadvertisse sibi visus est HENR. BRENCMANNUS, Batavorum decus. Eandem prorsus imaginem, in æs a nescio quo incisam, spectandam mihi præbuit liber inventu oppido rarus, selectissimas quasque virorum illustrium imagines continens, sed omni & anni, & loci, & artificis, indicio destitutus, cui rubrum: *Imagines virorum illustrium, Tabulæ CIV*; cujus usum, pro inusitata & ante me multis celebrata humanitate sua, benevole mihi concessit Magnificus Celeberrimusque Academiæ nostræ Theologus, CHRISTIAN. FRID. BOERNERUS. Similem POLITIANI imaginem, inter medios triumviros, MARSILIUM FICINUM, CHRISTOPH. LANDINUM, & DEMETRIUM CHALCONDYLAM, eosdem nempe, quos monumentum Lipsiense ostendit, constituti, & cum his amice, de historia forsan JOANNIS BAPTISTÆ, quam in eadem tabula expressit artifex, colloquentis, affabre & vivis prorsus coloribus pictam a DOMINICO GHIRLANDAJO, pictore Florentino, & Florentiæ in æde Prædicatorum, cui a S. Maria Novella nomen, sublime suspensam, memorat GEORG. VASARUS, Pictor, in *Vite de piu excellenti Pittori, Scultori, e Architettori, Lib. II. p. 461.* Forsan ipse imaginis hujus formam POLITIANUS scripsit, cujus ingenio usos nobilissimos illius ætatis artifices, facile putes, si legas, quæ de se ipse refert POLITIANUS in *Epist. ad* HIERON. DONATUM, *Lib. II. Ep. 13: Si quis breve dictum, quod in gladii capulo, vel in annuli legatur emblemate, si quis versum lecto aut cubiculo, si quis insigne aliquod, non argento dixerim, sed fictilibus omnino suis, desiderat, illico ad Politianum cursitat; omnesque jam parietes a me quasi a limace videas oblitos argumentis variis, & titulis. Ecce alius Bacchanalibus Fescenninorum argutias, alius conciliabulis sanctas sermocinationes, alius citharæ miserabiles nænias, alius pervigilio licentiosas cantilenas, efflagitat.* Sane de RAPHAELE illo URBINENSI, famosissimo pictore Romano, nullum est dubium, quippe cujus imagines, pulcherrime artificiosissimeque pictas, maximam partem ingenio POLITIANI deberi, testatur RICHARDSONUS

in

in opere *de Pictura*, Gallice ſcripto, *T. III. p. 334.* Habes & imaginem POLITIANI in NIC. REUSNERI *Imagin. viv. literis clar. vir.* nec non in JO. JAC. BOISSARDI *Icon. P. I. p. 152*, qui Epigraphen addidit: *Angelus Philoſophus*, & imagini ſubſcripſit verſiculum:

Cecropias iterum reptat Demetrius oras
Angelus, Oenotrii quo doceantur, erit.

Sed eſt vultus ille auſterus nimis & moroſus, addo, qui hominem loquatur occulte lividum, fraudesque ſemper, ac peſſima quæque conſilia, animo volventem. Satis hæc ad mentem JOVII; ſed, ſi nummos noſtros, & vetuſtam, quam modo dixi, imaginem, intuearis, frontem hæc erectiorem longe & magis ingenuam oſtendent.

(b) Scite has virtutes animi, quæ in POLITIANO effulſere, delineavit BARTHOLOMÆUS SCALA in *Epiſt. ad* POLITIANUM, *Lib. V. Epp.* POL. *Ep. 5*: *Tu certe, præter ceteros, mi Politiane, naturæ multum debes. Illa tibi ingenium iſtud, quo agere tam multa, atque memoriam, qua omnium rerum reminiſci potes, dedit*: &c. Sed, quod ad memoriæ facultatem, hanc ei denegant quodammodo Autores Diarii *Hiſt. crit. de la Republ. des Lettr. T. III. p. 253*, ea maxime de cauſa, quod in ſcriptis ſuis ea neget ſubinde, quæ affirmaverat alio in loco. Provocant eam in rem ad Epiſtolam ejus ad JO. PICUM, *Lib. XII. Ep. 1*, ubi dubitat, an HOMERI ſint, qui vulgo ei tribuuntur, *Hymni*, cum in alia ad PHIL. BEROALDUM, *Lib. VI. Ep. 1*, idem circa tempus ſcripta, indubium eorum autorem dixerit HOMERUM. Sed hæc perperam objiciuntur Noſtro; &, ſi recte inſpicias illam ad JO. PICUM Epiſtolam, videbis ſtatim, non tam ipſum dubitare, quam illud ſaltem dicere, POLITIANUM, fuiſſe aliquos, qui huic ſententiæ ſcrupulos objecerint. Manifeſta ejus verba: — — *quaſi vero non conſtet, Hymnos iſtos, quos etiam vatis eſſe Homeri quidam dubitant, plurimis eſſe locis mendoſiſſimos.*

(c) Quis credat, vere a POLITIANO ſcriptum in *Epiſt. ad* HIERON. DONATUM, *Lib. II. Ep. 13*: *Non inficior, deſidiam eſſe primam, quæ mihi ſemper, neſcio, quo pacto, fuit in deliciis.* Simi-

Similia legis in Epistola ejus ad CÆSAREM CARMENTUM, *Lib. IV. Ep. 4: Ne manifesta dissimulem, recrastinator quoque natura sum maximus, nec ad diem facile solvo, quanquam omnino aliquando solvo, quod debui*, &c. & in alia ad FRANCISCUM, Episcopum Cephaledensem, *Lib. VIII. Ep. 12: Non ego scilicet ex ingenio emigravi meo, sum quippe homo omnium hominum ad scribendas epistolas pigerrimus, diem ex die ducens, ac procrastinator mirificus.* Alia tibi omnia, Lector, vel tacentibus nobis, persuasa habes. Quis enim ab homine in otio vivente, & desidiæ nimis dedito, expectet opera tam elucubrata & composita, non inter diurnas nocturnasque oscitationes sponte nata, sed multorum annorum studio & vigiliis parata? Quæ cum intra vitæ tempus brevissimum, annos vix natus quadraginta, excuderit, satis hinc, quam bene collocaverit horas suas, quam pertinaci industria nobile Musarum opus tractaverit, intelligis. Et quomodo cum illis, quæ paulo ante protuli, POLITIANI verbis convenire putes alia, quæ sunt in Epistola ejus ad TRISTANUM CHALCUM, *Lib. IV. Ep. 5: Equidem habeo gratiam studiis meis, & vigiliis, in quibus acriter ab ineunte ætate, si minus cum dispendio bonæ valetudinis, certe sim periculo maximo versatus.* Idque vere ab eo scriptum, ex pallore vultus, quem pictæ viri imagines Florentiæ ostendunt, conjicit HENR. BRENCMANNUS in *priori ad* CORNELIUM DE BYNCKERSHOEK *Epistola* MSta, cujus supra passim mentionem feci. Plura non addo, cum, quæcunque sive huc usque dicta sunt, sive deinde dicentur de POLITIANO, eo ad unum omnia spectent, ut de insigni ejus in proferenda literarum dignitate studio & ardore inusitato constare nobis possit certissime.

(*d*) Quam obvius cuique & expositus, quamque promtus ad officia præstanda, fuerit POLITIANUS, ex Epistola ejus, humanissime scripta officiosissimeque, discas. Sive enim, quas dedit ad amicos & familiares suos, sive alias quascunque, legas, omnes sunt non amoris tantum, sed officiorum etiam, plenissimæ, ut in causa dubia nunquam consilium ab eo frustra expetitum sit, sæpiusque petito plus præstiterit POLITIANUS. Nec ex eorum numero fuisse No-

 strum,

ſtrum, qui promiſſis ſemper, re ipſa nunquam, officioſi ſunt, docent nos aliæ ad POLITIANUM Epiſtolæ complures, quibus decentes ei pro præſtitis beneficiis, interdum permagni æſtimandis, gratiæ aguntur.

(e) *Animi non ſatis ingenui virum* dicit GUIL. BUDÆUS in *Annotat. ad Pandect. p. m. 251*; ſed non poterat is aliter eo in loco, quo accuſare virum bonum plagii, in PLUTARCHI *de Homero* libello commiſſi, ſtatuerat. Quæ ipſa cum ſatis confutata ſint ſupra *§. XVII*, nec huic judicio quidquam ineſſe ponderis putandum eſt. Audiendi potius judices, qui, longe a partium ſtudio & invidia remoti, talem de POLITIANO ſententiam dixere, qualem publica & indubitata virtutis ejus monumenta expreſſere. In his præ ceteris placet judicium FRANC. ROBORTELLI in libro *de Convenientia ſupputationis Livianæ*, quem ſuæ *Lampadis criticæ Tomo II* adjecit JAN. GRUTERUS, *p. 27*: *Inprimis in emendatore librorum requiritur fides, ut ne fucum faciat ullum, ut ne lectori imponat, ſi dixerit, ſe in MStis libris inveniſſe, quod ipſe excogitarit, poſſit fortaſſe decipere imperitos, at peritis, neceſſe eſt, ut ſe deridendum præbeat. Quanta fides, Dii immortales, in Politiano? Cuivis intueri licet adhuc Florentiæ in Medicæa & Marciana Bibliotheca manuſcriptos libros, ubi publice aſſervantur, quibus uſus eſt.* Quod vero prudentiam in eo deſiderat PETRUS BEMBUS in *Epiſt. ad* JO. FRANC. PICUM *de Imitatione p. m. 728*, ubi *doctum mehercule ac ingenioſum hominem, ſed non multum prudentem*, vocat, id quo ſpectet, cum prudentiæ varia ac diverſa ſint genera, prorſus non video. Qualia effata, nullis rationibus munita, dignitati tanti viri, meo judicio, ne tantillum quidem detrahunt.

(f) Nihil magis ſuperſtitioſum, nihil magis homine erudito, inprimis Philoſopho, indignum, quam ſpectra & mala omina timere, & ex his ſiniſtros rerum eventus prædicere. Toleranda hæc in vetulis, ridenda in his, quibus ad cognoſcendas naturales rerum cauſas ratio & doctrina ſufficit. Itaque reprehendendum merito POLITIANUM exiſtimo, anilibus quippe hiſce fabulis ita deditum, ut mihi, legenti Epiſtolam ejus ad JAC. ANTIQUARIUM, *Lib. IV. Ep. 2*, qua mortem LAURENTII MEDI-

CÆI,

CÆI, &, quæ eam antecefferunt, mirabilia multa prodigia, exponit, mera narrare fomnia ac deliramenta videatur. Tædet me de his plura commemorare, idque mihi dixiffe fatis fit, talia nec LIVIO unquam, nec VALERIO MAXIMO, curiofiffimis ominum obfervatoribus, excidiffe, &, ut libere rem eloquar, non tam prodigiofa, quam ab omni natura rerum prorfus abhorrentia, hic proferri. Sed vitium hoc Seculi putes, non ferentis faniorem doctrinam, & religiofe has priorum temporum teterrimas reliquias fervantis. Sed illud etiam inprimis ineptæ fuperftitionis haud obfcurum indicium præbet, quod fupremum illud Ecclefiæ Romanæ caput, Pontificem Maximum dico, non eo, quem homo homini, fed quem ipfi Deo debet, cultu ac honore profecutus fit. Quippe hic ita omnem religiofæ venerationis modum exceffit, ut nobis, meliora edoctis, vix fine horrore legi poffit ejus *pro Oratoribus Senenfium ad Alexandrum VI*, propudium hominis, habita *Oratio*, quæ, ut tota fcatet immodeftiffimis & vix unquam auditis adulationibus, ita in his maxime bilem nobis movere ftomachumque poteft: *Gratulamur tibi, Alexander Sexte, Romane Pontifex, quod ad rerum humanarum faftigium fubvectus, immo ad divinitatem ipfam plane fublatus, omnia præter Deum minora inferioraque te videas, fic, ut Reges etiam ipfi & Principes adorare fubmiffi veftigia tua, & pulverem pedum tuorum lingere non modo non dedignentur, fed loco etiam præclari muneris concupifcant.* Lingat, cui placet; minime nos lautas has Regibus dapes invidemus. Sed audi & alia, illis fimillima, in *Epift. ad* INNOCENTIUM VIII, *Lib. VIII. Ep.* 4: *Spero autem, fore, ut, quamdiu fub umbra tui Numinis recubuero, ita ab omnibus vel incommoditatibus, quas vita humana fert, vel languoribus moleftiisque, exfolvar, ut ab umbra Apoftoli Petri, cujus tu locum in illo faftigio obtines, omni prorfus ægritudine homines liberabantur.* Cujus generis bene multa, faftidiofe nobis legenda, prætermitto; a quibus forte abftinuiffet Nofter, nifi tutiffimam hanc ad captandos honores fummos, ex manu Pontificis expectari folitos, viam duxiffet.

(g) Non accufamus in POLITIANO nobile illud & bono cuique viro infitum gloriæ & honoris ftudium, quo ad magna

omnia interna quadam vi impellimur, & ad posteros propagare nominis nostri decus laboramus. Neque adeo nos male habent verba magnifica in *Epist. ad* PICUM, *Lib. XII. Ep. 5: Arsi pæne semper, nimis improbe forsitan, sed arsi tamen semper studio famæ perpetuæ, sic, ut pro nihilo divitias, dignitatem, potentiam, voluptates, habuerim, si cum superstite gloria conferrentur;* quibus similia sunt in Epistola ad JAC. ANTIQUARIUM, quæ est *Libri III* ultima: *Ego certe, (nescio autem, vitione mentis captus, an consilio magis adductus,) magnum quiddam omnino molior, facturusque operæ pretium videor, modo vires animum subsequantur.* At, quod ambitionem hanc, per se bonam ac honestam, degenerare in arrogantiam, ingenio liberali indignissimam, ostentationemque circulatoriam, passus est, multumque vel doctrina, vel laudibus suis, intumuit, in eo non solum non laudandum, sed & reprehendendum maxime, existimo. Amovere quidem hanc a se culpam studet in illa, quam modo dixi, ad JAC. ANTIQUARIUM Epistola, molliter hoc ipsi vitium exprobrante, & ab omni remotum jactantia putes, ubi ista legeris: *Equidem (ut planissime dicam,) sentio, me tibi in suspicionem venisse, quasi plus nimio sim gloriæ avidus, quod, ut quas a doctis hominibus proximis aliquot mensibus acceperim literas, earum exemplum statim istuc Bernardo Riccio miserim, quo tibi protinus ostenderentur. Ut autem sic ineptirem, non mea me voluntas, verum ipsius Bernardi, optimi quidem juvenis, sed mei nimium amantis, assiduæ prope obsecrationes, impulerunt: præsertim qui, te quoque ipsum magnopere id velle, atque etiam contendere, assereret. Non igitur, ut auras quasi captarem, quod a meis moribus procul abest, sed ut amicis obsequerer, quorum me semper judicio permiserim, crebras istuc epistolas illas missitabam: quas tamen prope memineram non juratorum testium, sed blandientium esse amicorum. — — Sed, quoniam vir esse nemo doctus potest, quin sibi ipse quoque videatur: prima enim docti hominis conditio est, ut ipse se norit: ego vero mihi doctus non videor; sequitur omnino, ne sim doctus. — — Id vero, fateor, risi mediocriter, cum me admones, ne supra hominem efferar, scilicet periculum est hoc in me, qui quidem adhuc in primis literulis hæsitem, quasdam vero artes*

tes ex iis ne attigerim quidem, quæ Philosophiæ studio famulantur ; — — Procul hæc a nobis insania sit, ut, quantum absimus adhuc, non dico a summis, sed vel a mediocribus, viris, ignoremus. &c. ; at minime cum dictis facta consentiunt, & alia omnia nos docent intolerabilis jactantiæ, qua sua ipse merita passim in scriptis suis extollit, documenta publica. Levia forte & facile toleranda putes, quæ scribit in *Epist. ad* FRANC. PICCOLOMINEUM, Cardinalem Senensem, *Lib. VIII. Ep. 9 : Te obsecro, ut, si quando apud ejus* (INNOCENTII, Pontificis,) *sanctitatem nostri inciderit mentio, (inciderit autem, quoties tu voles,) hisce me, si videtur, commendes verbis : Angelus hic Politianus neque malus homo est, neque plane indoctus. Tibi vero, sancte Pater, ita studet, ut non sit fortasse indignus, quem tu aliquando respicias.* Multo insolentius doctrinam ingeniumque suum coram ipso MATTHIA, Pannoniæ Rege, ostentat, cui dum commendare se enixe studet, parum prudenter inflatum fastu rustico ingenium prodit. Impudentissimi Thrasonis verba sunt *(Lib. IX. Ep. 1) : Tantum dixero, me — — in aliquam certe lucem dignitatemque, nullis adeo, nisi literarum, adminiculis pervenisse, profiteri jam multos annos Latinas Florentiæ literas, magna (quod omnibus notum est,) celebritate : sed & Græcas ex pari cum Græcis, quod nescio an alteri Latinorum (dicam enim audacter) mille circiter annos ante contigerit : stilum denique sic ipsum per omnia pæne materiarum diverticula duxisse feliciter, ut (quod erubesco, quanquam pæne testatum, referre,) cunctos ferme, quicunque in literis ætate mea claruerunt, habere meruerim laudatores. — — Possumus multa (si res postulet,) e Græco vertere in Latinum tibi, multaque rursum quasi nova cudere, quæ nec ab eruditis forsitan respuantur. — — Et ista ergo possumus, te jubente, non erubescendis illustrare carminibus. Jam bella & paces mandare victuris utriusque linguæ monumentis, & historiæ molli filo contexere, pridem didicimus : tum vel undanti solutæ vocis eloquio, vel immortali Musarum cantu, totam posteritatem sacris implere præconiis. — — Ut autem gustum sumere aliquem jam nunc vigiliarum nostrarum possis, en poema tibi, multa lima cruciatum, quod laudes Poeticæ, quod historiam continet omnium*

omnium fere vatum. — — Ac (nisi me dulcissimus amor suscepti laboris fallit,) tantas ex hoc libello velut e thesauro divitias proferemus, ut magna ex parte studiosæ juventutis quædam veluti inopia relevetur: ac tum denique, puto, quivis intelliget, quam multis ista mihi lucubrationibus constiterint. Quare ne, quæso, numeret Angeli Politiani carmina Lector, sed ponderet. Jam, quid sit tumide & jactanter scribere, si hoc non est, prorsus nescio. Cœcum fuisse oportet POLITIANUM, nisi, opprobrio hæc sibi fore penes omnem posteritatem, præsenserit. Sed præsensit utique; quod docent illa ejusdem Epistolæ: *Atque hæc ego de me, Rex indulgentissime, novo scilicet & periculoso more, multorumque reprehensionibus obnoxio, simpliciter tamen, sed & vere.* Quidni igitur cavit sibi ab istis lectorum reprehensionibus, nec, quæ vere de ipso dici poterant, maluit aliorum, quam suis, literis edisseri? Rem eandem vitio vertit POLITIANO JAC. GADDIUS *de Scriptor. non Eccles. T. II. p. 138.* Sed hæc ipsa nihili putanda, si conferantur cum iis, quæ arrogantia plus quam empirica ipse nobis refert in *Miscellan. Cap. XIX*, non sane ab homine tam docto, & alioqui tam prudente, expectanda. Me miseret hominis, tam parum studiosi famæ suæ; ceteri, si ita placet, ore pleno cachinnos effundant. *Ista*, inquit, *video, jam sic innotuisse, ut aliena fortasse cuipiam videri possint; atqui tamen pæne adhuc equidem adulescens, coram literatis aliquot, quos & meminisse arbitror, de hoc ipso loco ad Domitium Florentiæ retuli, qui sic ei statim applausit, ut ingenue fateretur, se plus uno die ab uno scholastico didicisse, quam multis ante annis a quopiam Professorum. — — Catullum autem plane universum Veronæ (scit hoc vir liberrimi ingenii, Baccius Ugolinus,) intra officinam quampiam, quo nos pluvia coegerat, viris aliquot literatis pæne cogentibus, enarravimus, cum quidem illic adesset etiam Guarini propinquus, Joannes Baptista (ni fallor,) nomine, simulque Dantes quidam Aligherius, quintus, ut ajebat, a Dante, Florentino Poeta, neque non duo, qui tum Veronæ non indocti homines profitebantur, magnaque itidem scholasticorum manus, ita pronis auribus nostra illa qualiacunque accipientes, ut identidem clamarent, demissum cœlitus Angelum sibi, (sic enim ajebant,) qui Poetam conterraneum interpretaretur.* Magnæ hæc laudi cederent

rent POLITIANO, ſi a quocunque alio narrata eſſent; jam, ab ipſo recitata, perdunt exiſtimationem ejus, certe magnam ei maculam inurunt. Neque adeo injuriam fecit POLITIANO Parens meus, JO. BURCHARDUS, cum ei, præ ceteris id merenti, locum dedit in ſuis *de Charlatancria eruditorum Declamationibus p.235.* Nec iniquus hic judex JO. LUDOVICUS VIVES, cui in libello *de Conſcrib. Epiſt. p.m. 37 multus* dicitur *in materia leviſſima & minutiſſima ſui oſtentator* POLITIANUS, & qui *laudis nimia cupiditate ſupra epiſtolæ limites aſſurgat.* Conf. & HENR. BRENCMANNI *Hiſt. Pand. Lib.IV. Cap.1. p.316.*

§. 20.

Jam, in optimo ætatis pariter ac famæ ſuæ flore conſtitutum, nobiliſſimasque curas animo volventem ANGELUM, ita in fatis fuit, ut præmatura mors non literis tantum, ſed Italiæ etiam, magnum in futuros annos ex eo viro decus expectanti, eriperet. Obiit enim, inſigni Muſarum & omnis elegantioris doctrinæ detrimento, annos vix natus quadraginta, (*a*) Florentiæ VIII Cal. Octobris (*b*) anni poſt C. N. MCCCCXCIV. (*c*) Genus mortis varii Scriptores varium referunt; (*d*) plurimis hanc turpi & nefando pueri amori, nonnullis mœrori nimio, ex imminenti Medicææ gentis calamitate concepto, tribuentibus. Nos, tantam ſententiarum diverſitatem animadvertentes, nihil hic certi definimus, liberum cuique de his, quæ ſpecioſe ſatis prolata ſunt in utramque partem, judicium permittentes. Oſſa ejus Florentiæ in æde D. Marco ſacra, (*e*) honeſto

sto & solenni, quod puto, ritu, (*f*) sunt condita. Inscriptionem sepulchro additam, alii negant, alii non sine ratione affirmant. (*g*) Ceterum penes cives suos & æquales, eos inprimis, quibus perspecta fuit doctrina viri, memoriam sui desideratissimam reliquit, (*h*) præclarissimasque laudes ejus nobiles quique illius ætatis Poetæ mœstissimis Carminibus certatim ad seram posteritatem propagarunt. (*i*)

(*a*) Non sine ratione sequor MARSIL. FICINUM, præceptorem POLITIANI, cui is e vita migrasse quadragesimo ætatis anno dicitur in Epistola ad GERMANUM DE GANAI, nec non RAPH. VOLATERANUM, discipulum POLITIANI, quo teste in *Commentar. urban. Lib. XXI. p. 246* quadragenarius decessit. Idem deinde tradiderunt GERH. JO. VOSSIUS in libro *de Poetis Latinis Cap. VII. p. 79*, & *de Histor. Lat. Lib. III. Cap. 8. p. 629*, CHRISTOPH. SANDIUS in *Notis ad* VOSSIUM *de Histor. Lat. p. m. 423*, JO. MARIUS CRESCIMBENI in *Commentari intorno sua Istor. della volg. Poes. Vol. II. P. II. Lib. III. p. 188*, ANT. TEISSIERIUS in *Elog. des homm. sav. T. I. p. 168*, P. BÆLIUS in *Lex. hist. T. III. p. 2341*, ABR. BUCHOLZERUS in *Indice Chronol. p. m. 494*, LUD. MORERIUS in *Grand Diction. hist. T. I. p. 367*, &, qui in hoc uno forte alienus est a suo JOVIO, ANT. VARILLASIUS in *Anecd t. de Flor. Lib. IV. p. 196*, & CASP. BARTHIUS *T. l. Animadv. in Statium p. 4*. Si accurate computemus universum vitæ curriculum, vixit POLITIANUS annos quadraginta, menses duos, dies decem. Ita enim dicendum, si natus est Noster die 14 Julii anni 1454, mortuus die 24 Sept. anni 1494. Addit unum diem BERNARD. DE LA MONNOYE in *Tom. III. Menagian. p. 438. not.* *, quod aliter fieri non potuit, cum supremum vitæ ejus diem quintum & vigesimum Septembris

bris diceret. At demit aliquot dies BUCHOLZERUS *l. c.* *annos natum quadraginta, menses ferme duos*, docens; quem ipsum non nisi calculus fefellit, cum in natali æque ac mortis die nobiscum consentiat. Patet vero ex his error PAULI JOVII, tum, cum e vita excederet, *vix quadragesimum quartum ætatis annum attigisse* Nostrum, perhibentis in *Elog. Cap. XXVIII.* Sed recte eo nomine notatus est VOSSIO *de Hist. Lat. l. c.* SANDIO *l. c.* BÆLIO *l. c.* & MORERIO *l. c.* Video tamen, eundem nobis errorem venditare, deceptos, ut puto, autoritate JOVII, PETR. OPMEERUM in *Opere Chronogr. orbis universi p. 634*, NIC. REUSNERUM in *Icon. viv. erud. vir. sub ic. Polit.* FERD. UGHELLUM in *Ital. sacræ T. III. p. 182*, FRANC. SWEERTIUM in *Selectis orbis Christiani deliciis p. 242*, JO. PETR. LOTICHIUM in *Biblioth. poet. P. II. p. 82*, & JO. JAC. BOISSARDUM in *Icon. p. 160.* Nec alia est sententia eorum omnium, qui, mortuum POLITIANUM anno 1498, tradunt; qua in re a veritate eos longius abesse, paulo post dicemus. Sed, cum & alii fuerint, qui mortuum A. 1509 doceant, hi ipsi ætatem ejus ad annum sextum & quinquagesimum extendunt. Sunt in his LAUR. BEYERLINCK in *Theatro vitæ hum. Lib. XI. fol. 667*, FRANC. RAPHELENGIUS, Junior, in *Notis MStis ad S. J. Diarium erudit. vir.* & GUIL. BUDÆUS, Medicinæ Doctor, a Parisiensi illo multum diversus, in *Thanatologia*, adjecta JO. GE. LEUCKFELDI *Scriptoribus rerum Germ. p. 189.* Idem BUDÆUS, fuisse alios, testatur, qui, annum POLITIANO secundum & quinquagesimum fuisse vitæ ultimum, contenderint; sed quorum opinione, utpote ne verisimili quidem, omnium minime movemur.

(*b*) Octavo Calendarum Octobris, seu quarto & vigesimo Septembris die, ad Superos abiisse ANGELUM, constat testimonio GERH. JO. VOSSII, cujus *Lib. III. de Hist. Lat. Cap. 8. p. 565* sunt verba: *Decessit Florentiæ VIII Cal. Octobr. XL solum, ut est apud Volaterranum, non, ut est apud eundem Jovium, annos natus XLIII.* Quæ cum legeret WERNERUS JAC. CLAUSIUS, frustra sibi persuasit, ipsum, quem vitæ supremum habuit POLITIANUS, diem VOLATERRANO indicari, ut patet ex his, quæ profert in libello *de Vita Politiani Cap. XXXIII. p. 67.* Sed hoc

ipſo manifeſtum facit, non inſpectum ſibi VOLATERRANUM, qui de morte POLITIANI non niſi duobus verbis: *Deceſſit quadragenarius*, mentionem injicit in *Commentar. urban. Lib. XXI. fol. 246.* VOSSIO qui de die mortis dubium moverit, præter BERNARDUM DE LA MONNOYE, cui Septembris dies 25, ſed, quod miror in homine tam docto, absque omni ratione & teſtimonio, placet in *Menagian. T. III. p. 438. not.* *, & in *Notis ad* BAILLETI *Jug. des Sav. T. V. P. I. p. 89*, Scriptorum haud quemquam ſcio. Sequuntur autoritatem ejus BUCHOLZERUS *l. c.* BAILLETUS *l. c.* BÆLIUS *l. c.* &, cujus ſuffragium præ ceteris plurimum habet ponderis, CRESCIMBENIUS *l. c.* Quin illi ipſi, qui de anno mortis longe a VOSSIO diverſiſſima ſentiunt, diem nobis eundem nominant, FERD. UGHELLUS *l. c.* PAUL. EBERUS in *Calendar. hiſt. p. 383*, GUIL. BUDÆUS *l. c.* NATH. CHYTRÆUS in *Deliciis variorum in Europa itin. p. 110*, FRANC. SWEERTIUS *l. c.* LAUR. SCHRADERUS in *Monum. Ital. p. 82. b.* JAC. MIDDENDORPIUS in *Academ. celebr. T. II. Lib. IV. p. 31*, EL. REUSNERUS in *Diar. hiſt. p. 143*, FRANC. SCHOTTUS in *Itinerar. Ital. p. 301*, & CASP. CUNRADUS in *Proſop. gr. melicæ Millen. II. p. 149.* Quod vero P. JUL. NEGRIUS in *Iſtor. degli Scrit. Fior. p. 46* diem 24 in 22, & in 28 NIC. COLETUS in *Notis ad* UGHELLI *l. c.* transformant, in eo ſive Scriptorum negligentiam, ſive vitium typothetarum, agnoſcimus, idque hoc magis, quod NEGRIO errores iſtiusmodi per ſingulas libri ſui paginas ſint familiariſſimi, COLETO cauſæ ſuæ patrocinium neget is ipſe, quo teſte utitur, Abbas SALVINIUS, utpote quem prorſus facere cum VOSSIO, clariſſime patet ex his, quæ *l. c.* profert CRESCIMBENIUS. Sufficiat igitur nobis teſtimonium VOSSII; cum de die mortis nihil nobis conſtare ex Scriptoribus POLITIANO æqualibus poſſit. At menſem Septembrem clariſſime docet MARSIL. FICINUS in Epiſtola ad GERMANUM DE GANAI, quæ in *Volumine Epiſtolarum* ejus legitur.

(*c*) Diſſentientes hic Scriptores non paucos habeo, & mirum eſt, de morte hominis a noſtra ætate non longe adeo remoti tam diver-

diversa a diversis narrari. Vix venia dignus est error ANT. TEISSIERII, mortem POLITIANI rejicientis in annum 1553 in *Elog. des homm. sav. T. I. p. 168*, ut, quem certo constet annum ætatis vix quadragesimum attigisse, jam, ita volente TEISSIERIO, integrum vixisse Seculum dicendus sit. Ridiculum hoc valde; sed magis ridiculum, eundem TEISSIERII errorem in *Lexici universalis* HOFMANNIANI eam editionem, quæ prodiit Amstelodami A. 1702, ejusque *T. III. p. 812*, migrasse, cum in illa vetustiori, quam Autor Basileæ A. 1677 vulgavit, *T. I. p. 119* rectius legatur annus mortis 1494. Nihil hæc moramur, utpote manifesto falso, & ad id unice idonea, ut Scriptorum, qui hæc tradunt, oscitantiam testentur. Plus negotii nobis facessunt alii, qui, mortuum POLITIANUM anno Seculi XV nono, contendunt. Placet hæc opinio non multis tantum, sed his etiam ipsis, quos alioqui cum laude versari constat in computandis temporum rationibus. In his præcipuos nominamus PAULUM EBERUM *l. c.* FRANC. RAPHELENGIUM *l. c.* GUIL. BUDÆUM *l. c.* JAC. MIDDENDORPIUM *l. c.* EL. REUSNERUM *l. c.* CASP. CUNRADUM *l. c.* FRANC. SCHOTTUM *l. c.* NATH. CHYTRÆUM *l. c.* LAUR. SCHRADERUM *l. c.* MARTIN. ZEILLERUM in *Histor. celebr. p. 118*, PETRUM DE S. ROMUALDO in *Abreg. du Tresor Chronol. & Hist. T. III. p. 262*, & JO. MABILLONIUM in *Museo Ital. T. I. p. 178*, cui nimium favens, ÆGIDIUS MENAGIUS in *Anti-Baillet T. I. Cap. 14. p. 52*, perperam, in tanta idem sentientium multitudine, negligentiam typographi accusavit. Eundem mortis annum produnt bina Chronosticha JOSEPHI A PINU, quæ in libro *Chronostichorum* ejus legimus. Alterum:

fVnere PoLItIanVs VbI est eXtInCtVs atroCI,
noCtIbVs æqVaVIt penDVLa LIbra DIes.

Alterum vero:

spICa Vago oCCVMbens se VesperI In æqVore tInXIt,
poLItIanVs VbI hoC raptVs ab orbe fVIt.

Nec non similes versiculi BERNH. STURMII in *Eteostichorum Centur. VI. n. 13 & 14*:

angeLVs hIC CLaVsIt CIneres, VarIa arte poLItVs,
Vt VIX InVenIat aVsonIs ora pareM.
VIVIt In orbe LIbrIs, DeDIt angeLVs ossa CaVernæ,
spIrItVs eXVtVs Corpore CeLsa sVbIt.

At, quantus quantus est eorum, a quibus nos dissentimus, numerus, fefellit hos omnes dubiæ fidei Epitaphium, quod positum POLITIANO in æde D. Marci perhibent FRANC. SCHOTTUS in *Itinerar. Lib. IV. p. 301*, NATHAN. CHYTRÆUS *l. c.* LAUR. SCHRADERUS *l. c.* aliique plures:

Politianus in hoc tumulo jacet Angelus, unum
Qui caput, & linguas, res nova, tres habuit.
Obiit anno MDIX. Septemb. XXIV.

Idem profert CLAUSIUS in *Vita* POLIT. *Cap. VI. p. 17*, sed tanquam compositum a SIGEFR. RYBISCHIO, qui superiorum temporum hoc monumentum conservavit saltem in *Monum. illustr. vir. fig. 18.* Ego vero parum ab eo aberam olim, ut, si non integram, certe quod ad annum subnotatum, in suppositititiis habendam Inscriptionem hanc sepulchralem, mihi persuaderem. Nec deerant rationes, multum firmantes conjecturam. Primum de eo vix quisquam dubitet, si annus mortis re vera fuit Seculi XV quartus & nonagesimus, quod ipsum nos extra omnem dubitationem positum existimamus, mendacissimos eos esse, qui tale nobis Epitaphium venditent, in quo sculptoris manus Seculi XVI annum nonum inscripserit. Deinde non putabam negligendum testimonium solertissimi Italicarum antiquitatum spectatoris, JO. MABILLONII, qui, sepulchro POLITIANI Inscriptionem additam, prorsus negat in *Musei Ital. T. I. p. 178* Cujus sententiæ accedere videntur, qui, Epitaphium POLITIANI exstare Florentiæ, affirmant, sed de Inscriptione nihil addunt, JAC. MIDDENDORPIUS in *Acad. celebr. Lib. IV. T. II. p. 31*, & ROGISSARTUS in *Delices de l'Ital. T. I. p. 164.* Quod vero MABILLONIUS mortuum nihilominus A. 1509 dicit ANGELUM, in eo temere videtur aliorum, quos nominavi, fidem secutus. Et suspectam quammaxime mihi fecit Inscriptionem diversa eorum, a quibus venditur vulgo, narrandi ratio. Sunt enim,

qui

qui addant Inſcriptioni verſiculum illum STURMII, paulo ante prolatum:

Angelus hic clauſit cineres, varia arte polîtus,
Ut vix inveniat Auſonis ora parem.

Quaſi ſcilicet probabile ſit, ea, quæ ſunt hominis Germani, & ab ætate POLITIANI longius remoti, nec multum adeo leporis habent, tantum Italorum plauſum tuliſſe, ut ipſi inſcribenda tumulo exiſtimaverint. Sed ita ſcilicet expreſſum legas Epitaphium in SCHRADERI *Monum. Ital. p. 82. b.* NATH. CHYTRÆI *Delic. var. itin. p. 110*, FRANC. SCHOTTI *Itinerar. Ital. Lib. IV. p. 301*, & PHIL. LABBÆI *Theſauro Epitaph. P. VI. Epit. 16. p. 188.* Alii Inſcriptionem nobis exhibent, ſed anni indicio deſtitutam prorſus; qualis legitur in SIGEFR. RYBISCHII *Monum. ill. vir. fig. 18*, JO. HENR. A PFLAUMERN *Mercurio Ital. p. 117*, & ANT. BALDASSARRI *Compendioſo Riſtretto delle Vite di perſon. ill. p. 34.* Alii denique ſubſcriptum Epitaphio non annum 1509, ſed 1498, docent; quod factum a FERD. UGHELLO in *Italiæ ſacræ T. III. p. 182*, & FRANC. SWEERTIO *l. c.* Quin annum 1499 ſubnotatum video a DOMINICO MARIA MANNIO in *Comment. de Florent. invent. Cap. XLV. p. 87.* Id ipſum, munitum autoritate JOVII, cui anno ætatis quarto & quadrageſimo mortuus perhibetur POLITIANUS, novo quorundam errori occaſionem dedit, qui, mortem POLITIANI incidiſſe in annum 1498, contendunt. Opinionem hanc eſſe video JAC. PHIL. BERGOMENSIS in *Supplemento Supplementi Chronicarum p. 435*, JO. PETRI LOTICHII in *Biblioth. Poet. P. II. p. 82*, B. FERD. DEL MIGLIORE in *Firenze illuſtrata p. 28*, NIC. REUSNERI in *Icon. vivis vir. doct. ſub imag. Polit.* & eorum omnium, quibus annorum quatuor & quadraginta ætatem attigiſſe Noſter dicitur. Unus in his parum ſibi conſtat PETR. OPMEERUS, qui, cum, POLITIANI & JO. PICI mortem in annum eundem 1494 incidiſſe, recte doceat in *Opere Chorogr. p. 634*, male ætatem POLITIANI ad annum quartum & quadrageſimum extendit. Hæc, inquam, omnia, hactenus prolata, eo me adduxerunt olim, ut de ſepulchrali illa, quam vulgo venditant, Inſcriptione dubitarem prorſus, confictamque a neſcio

quo exiſtimarem. Sed factum eſt nuper, ut ex literis Fratris mei, CAROLI OTTONIS, tunc Florentiæ commorantis, curioſiſſimi iſtarum rerum, etiam me non rogante, obſervatoris, intelligerem, exſtare utique Florentiæ in æde Divi Marci ſupra ſacello quodam in lapide inſcriptum Epitaphium hoc POLITIANI, idque cum alio JO. PICI conjunctum ab HIERONYMO BENIVENIO, illo ipſo, ni fallor, de quo POLITIANUS in *Elegia ad Antonium Benivenium, Medicum*:

*Tertius (*frater*) Aoniis ſatur ille Hieronymus undis,*
Ad querulam docto barbiton ore canit.

Nec ſatis fuit Fratri optimo, hæc obſervaſſe tantum, ſed, quod me ejus rei valde curioſum noſſet, Inſcriptionem utramque, ut legerat, ita in codicillos notavit, notatamque, ut in aliorum veniret notitiam, ſtatim ad me transmiſit. Tunc ſcilicet eorum omnium, qui ſubnotatum Inſcriptioni annum mortis 1509 dixerunt, facile errorem agnovi, & ex hoc ipſo monumento veriori eorum ſententiæ, qui mortem POLITIANI ad annum 1494 referunt, novum robur petii. Ipſe jam lege & inſpice, Lector. In parvo lapide inſcriptum eſt POLITIANI Elogium:

POLITIANVS
IN. HOC. TVMVLO. IACET
ANGELVS. VNVM
QVI. CAPVT. ET. LINGVAS
RES. NOVA. TRES. HABVIT
OBIIT. AN: MCCCCLXXXXIV
SEP. XXIV. ÆTATIS
XL

Supra hoc lapide alius eminet, isque longior latiusque patens, JOANNI PICO ſacer:

D. M. S.

IOANNES. IACET. HIC. MIRANDVLA. CETERA. NORVNT
ET. TAGVS. ET. GANGES. FORSAN. ET. ANTIPODES

Utram-

Utramque Inſcriptionem diſtinguunt verba:

HIERONYMVS. BENIVENIVS. NE. DISIVNCTVS. POST MORTEM. LOCVS. OSSA. SEPARET. QVORVM. ANIMOS IN. VITA. CONIVNXIT. AMOR. HAC. HVMO SVPPOSITA. PONI. CVRAVIT

Quæ ſi recte ſe habent, uti habere ſe palam eſt, quis dubitet, utriusque carminis autorem fuiſſe hunc BENIVENIUM, Poetam non ignobilem, ut ex verbis POLITIANI, paulo ante prolatis, cuilibet intelligitur. Fuiſſe igitur Seculi XV annum quartum & nonageſimum POLITIANO fatalem, non habebis poſthac, cur dubites. Et faciunt nobiſcum Scriptores probatiſſimi, GERH. JO. VOSSIUS *Lib. III. de Hiſt. Lat. Cap. 8. p. 629*, CHRISTOPH. SANDIUS *l. c.* Continuator MATTH. PALMERII *ad an. 1494*, GILB. GENEBRARDUS in *Chronograph. Lib. IV. p. 708*, PHIL. BRIETIUS in *Introduct. ad Chronol. Lib. XV. P. II. Cap. 10. p. 86*, JO. FUNCCIUS in *Commentar. in ipſius Chronol. Lib. X. ad an. 1494*, ABR. BUCHOLZERUS *l. c.* CANDIDUS PANTALEON in *Tabulis Chronol. ad an. 1494*, JO. MAR. CRESCIMBENIUS *l. c.* PETR. BÆLIUS *l. c.* BERN. DE LA MONNOYE in *Menagian. T. III. p. 438. not.* *, LUD. MORERIUS in *Lex. hiſt. T. I. p. 367*, P. JUL. NEGRI *l. c.* THOM. CRENIUS in *Animadv. P. III. p. 189*, NIC. COLETUS *ad* UGHELLI *Ital. ſacr. T. III. p. 182. not. a*, atque ii omnes, qui, vivendo impleviſſe POLITIANUM annos quadraginta, dixere. Neque opus eſt, recentiorum Scriptorum, aut Inſcriptionis ſepulchralis, teſtimonio rem confirmari, quæ a certiſſimis & prorſus indubitatis rationibus, non ſine aliquo labore mihi conquiſitis, firmiſſimum ſuum robur accipit. Has ordine hic proferemus, ita quidem, ut cum his, quæ ipſum annum 1494 clariſſime oſtendunt, cumulemus alias, quæ, ante annum 1498 contigiſſe mortem ANGELI, evincunt. Ejus generis ſunt, quæ ex Collectione *Operum* POLITIANI, Florentiæ A. 1497 edita, petuntur, quam cum defuncto demum POLITIANO vulgatam teſtentur ii, qui inſpexerunt, per ſe patet, mortem ANGELI, ſi non ipſo anno 1494, ſaltem ante annum 1498, contigiſſe. Nec nullum ſententiæ noſtræ patrocinium præbet Epiſtola PETRI CRINITI ad JO. FRANC. PICUM, ſubjecta ALE-

XAN-

XANDRI APHRODISIENSIS *Problematibus*, a POLITIANO Latine versis, quæ, ut ex subscriptione patet, ipsis data Calendis Aprilibus anni 1497, talia continet, quæ, non amplius in vivis tunc fuisse POLITIANUM, certissime testantur. Scribit enim inter alia CRINITUS: *Ceterum, quod ad Politiani pertinet interpretationem, tantum pro tempore illud admonuerim, Politianum ipsum, si paulo plus in humanis egisset, multa fuisse vel his additurum, vel inducturum.* Eundem, & fortiorem quodammodo, probandi nervum habent literæ ZENOBII ACCIAJOLI *ad Studiosos*, præmissæ *Collectioni Epigrammatum Græcorum* POLITIANI, & Calendis Decembribus anni 1495 scriptæ. In his de POLITIANO jam tum mortuo ACCIAJOLUS: *In queis ipsis (ut mihi quidem videtur,) ejusmodi multa sunt, quorum si facilitatem ac copiam reputaris, magni quidem ingenii Politianum, sed & multæ lectionis, fuisse ostendant, planeque indicent, quantum vir ille operæ pretium facere potuerit, si perficere, quæ cogitabat, per importunum obitum licuisset.* Sed plura suppetunt, quæ annum 1494 manifesto nobis indicant. JO. BAPT. MANTUANUS in literis ad JO. FRANC. PICUM, (vid. *Lib. II. Epp.* JO. FRANC. PICI *Ep. 6,)* quibus subsignatus est anni 1495 dies 3 Januarii, magno dolore persequitur POLITIANI æque ac GE. MERULÆ, HERM. BARBARI, & JO. PICI, præmaturam mortem. *Mors Georgii Merulæ,* inquit, *primum condiscipuli, postea præceptoris mei, -- tristitia me afficit: sed erat ille jam grandævus, & senio ingravescente jam inutilis, & functus officio. Hermolai & Politiani, duorum illustrium virorum, lamentabilis occasus attulit & mihi & omnibus literatis grave cordolium: sed altius hoc vulnus insedit, & longe majorem in Pico nostro jacturam passa est res literaria.* Similiter PETRUS CRINITUS, dum annum eundem, quo CAROLUS, Francorum Rex, funestam belli facem in Italiam intulit, fatalem POLITIANO dicit *de Honesta disciplina Lib. XV. Cap. 9. p. m. 399*, annum hunc 1494 quasi digito nobis indicat. Ipsa CRINITI verba dabimus: *Nescio, quo fato superiore anno evenerit, quo Francorum Rex, Carolus, Italiam cum infesto exercitu & instructis copiis invasit, ut principes viri in literis atque in summis disciplinis cla-*

clariſſimi perierint: hoc eſt, Hermolaus Barbarus, Jo. Picus Mirandula, & Ang. Politianus: qui omnes in ipſo ſtatim Francorum adventu & conatibus immaturo obitu ad Superos conceſſerunt. Urget hoc argumentum præ ceteris, nec immerito, BÆLIUS in *Lex. T. III. p. 2341. not. (E)*. Sed & cummaxime huc pertinet teſtimonium MARSILII FICINI, quo VOSSIUS *l. c.* & BÆLIUS *l. c.* utuntur. Is enim in Epiſtola ad GERMANUM DE GANAI, quæ ſub finem *Epiſtolarum* JO. PICI legitur, ineunte anno 1495 data, de morte POLITIANI ſic commemorat: *Ut autem tibi nota ſit reliqua literarum jactura, hoc autumno Florentiæ facta, Angelus Politianus noſter, Latina Græcaque lingua doctiſſimus, Septembre proximo ante Pici obitum migravit e vita, quadrageſimo ætatis anno.* Jam vero inter omnes conſtat, hoc ipſo anno 1494 ad Superos abiiſſe Mirandulanum Ducem. Ex iisdem FICINI verbis apparet, in manifeſto errore verſari PHIL. BRIETIUM in *Introduct. in Chronol. l. c.* & P. JUL. NEGRI in *Iſtor. degli Scrit. Fior. p. 46*, quos ſi ſequaris, morte anteceſſiſſe POLITIANUM PICUS dicendus ſit. Et ſane illuſtris clariſſimorum virorum morte, luctuoſiſſimusque Italorum Muſis, iſte annus fuit, quippe qui, præter alios, GEORG. MERULAM, minime indoctum hominem, tresque alios, inviolato amicitiæ fœdere conjunctiſſimos, amicos, HERMOLAUM BARBARUM, JO. PICUM, & POLITIANUM noſtrum, & ætate, & doctrinæ fama, florentiſſimos, mature nimis bonis literis eripuit.

d) Tam inter ſe diſſentiunt, quæ de mortis genere nos docent diverſiſſimi Scriptores, ut, quis omnium veriſſima tradat, vix auſim definire certo. Alia ita ſunt comparata, ut inſignem maculam inurant famæ POLITIANI; alia minus probri habent, & præmaturæ mortis cauſam ad fatalem quandam neceſſitatem referunt. De utroque narrationum genere, poſſe verum eſſe, exiſtimes; de utroque, poſſe falſum. Illa, ſi dubitandi venia detur, facile dicas ab obtrectatoribus POLITIANI, hæc ab amicis, excogitata. De his, quicquid mihi compertum eſt, dicam, ſed ita dicam, ut liberum cuique Lectorum de ſingulis judicium permittam. Abſona ſunt illa WERNERI JAC. CLAUSII in *Vita Polit. Cap. XXXIII. p. 68*: *De mortis ipſius genere Bartholomæus Scala, cui jam ſatisfecit ipſe Politianus, — — impro-*

probe mentitus est. Nempe viventi adhuc POLITIANO genus mortis exprobravit SCALA, & ille, nondum mortuus, converso naturæ ordine, de morte sua certiorem facere BARTHOLOMÆUM sciverat. O quantæ nugæ! Satis, quo spectent ista CLAUSII, intelligo; sed parum is concinne expressit mentem suam. Impuros amores POLITIANO, ut supra vidimus, objecit utique SCALA; sed, hos ei mortis prææmaturæ caussam exstitisse, nec dixit unquam, nec dicere, vivente POLITIANO, potuit. Sed alii, nec ii pauci, fuere, qui, exitium venisse POLITIANO ab æstuante nimium amore, traderent. *Vulgo fertur*, ait GERH. JO. VOSSIUS *de Hist. Lat. Lib. III. Cap. 8. p. 629*, *obiisse Politianum, fœdi amoris impatientia capite in parietem illiso.* Non indicat ejus fabulæ autores VOSSIUS; nec mihi, præter VOSSIUM, ullum obvenisse Scriptorem memini, qui de morte POLITIANI tale quid commemoret. Neque hæc ipsa, quod idem VOSSIUS perhibet, confutata sunt a JO. PIERIO VALERIANO, qui, *mortem voluntariam* a Florentinis *universo terrarum orbi magna cum Politiani infamia propalatam*, dicit *Lib. II. de Liter. infelic. p. m. 354*, de genere vero mortis voluntariæ, de capite, inquam, in parietem illiso, ne verbum quidem addit. MORERIUS vero, memorans hæc ipsa VOSSII in *Lex. T. I. p. 367*, perperam addit, fœminæ cujusdam amore in hunc furorem conjectum ANGELUM. Neque enim id VOSSIUS, nec, qui mortem POLITIANO contractam ex impuri amoris vehementia dixerunt, JOVIUS, aliique, mox nominandi, habent. Conf. BÆLIUM in *Lex. hist. T. III. p. 2344. not.* (Q). Quid tribuendum sit testimonio WOLFG. BÜTNERI & GEORG. STEINHARTI in *Epitome historiarum p. 220*, nec non MATHESII in *majori Catechesi Concion. III*, levissimæ autoritatis Scriptorum, quorum si fidem sequaris, suo se gladio interemisse dicendus sit POLITIANUS, vel tacente me, Lectorum quisque intelligit. Discrepat ab his sententia eorum, qui, pueri ingenui amore correptum, in lethalem morbum incidisse, & inter cantandum exspirasse, tradidere, ANGELUM. Primus ejus rei mentionem fecit JOVIUS, narratiuncularum istiusmodi aut artifex peritissimus, aut vocalissimus buccinator. Quo nisi interprete hæc posteris innotuissent,

ſent, vix unquam in mortis tam ignobilis ſuſpicionem veniſſet Noſter. At utitur vulgari illo *ferunt* JOVIUS, ne videri poſſit aſſenſum præbuiſſe his munuſculis. Sed ita videtur tamen LUD. MORERIO in *Lex. hiſt. T. I. p.367*, quem eo nomine, neſcio, an ſatis merentem, reprehendit P. BÆLIUS in *Lex. hiſt. T. III. p. 2344. not. (Q)*. Sed JOVII jam ipſa verba Lector expetit. Is, *ferunt*, ait in *Elog. Cap. XXVIII*, *eum, ingenui adoleſcentis inſano amore percitum, facile in lethalem morbum incidiſſe. Correpta enim cithara, cum eo incendio, & rapida febre, torreretur, ſupremi furoris carmina decantavit; ita, ut mox delirantem, vox ipſa, & digitorum nervi, & vocalis denique ſpiritus, inverecunda urgente morte, deſererent; cum maturando judicio integræ ſtatæque ætatis anni, non ſine gravi Muſarum injuria, doloreque ſeculi, feſtinante fato eriperentur.* Quibus, ample ſatis & copioſe dictis, invenit tamen, quæ adderet ingenioſe, VARILLASIUS, ille JOVII ſui feliciſſimus, ſi Diis placet, Commentator. Hunc lege, &, magiſtro hoc uſus, implere bonas chartas fabulis jucundis, & magnas venditare nugas, diſce. Eleganter is in *Anecdot. de Flor. Lib. IV. p. 196*: *La paſſion qu'il avoit pour un de ſes ecoliers de haute qualité, ne pouvant etre aſſouvie, lui donna la fievre chaude. Dans la violence de l'accés il fut une chanſon pour l'objet, dont il etoit charmé, ſe leva du lit, prit une luth, & ſe mit à la chanter ſur un air ſi tendre & ſi pitoiable, qu'il expira en achevant le ſecond couplet, le meme jour que Charles VIII paſſa les Alpes pour aller à la conquête de Naples.* Accurate noſter Hiſtoricus, ſcilicet. Quaſi nempe non ex hiſtoria illorum temporum conſtaret, expeditionem illam Neapolitanam jam aliquot ante mortem POLITIANI menſes, ſub initium quippe anni 1494, a CAROLO, Gallorum Rege, ſuſceptam. Id recte animadvertit P. BÆLIUS *l. c. not. (F)*, qui, adductis VARILLASII verbis, addit tandem: *C'eſt ainſi qu'il a plû à cet Auteur de traduire ce paſſage de Paul Jove.* Exſtat Florentiæ in Bibliotheca, forte Laurentiana, Codex *Columellæ*, a POLITIANO collatus, cui, paucis, ut videtur, ante mortem ſuam diebus, Noſter adſcripſit verba: *Florentiæ, anno horribili, tranſituris in Italiam Gallis*; ut, oculos ſuos teſtatus, nos docet HENR. BRENCMANNUS in priori *ad* CORNELIUM DE BYNCKERS-

HOEK Epiſtola MSta. Sed jejunum hic dices & parum fœcundum VARILLASII ingenium, ſi legas, quæ, fictione plus quam poetica, Gallis Scriptoribus admodum familiari, fucum & phaleras additurus JOVII narrationi, jucunde magis, quam vere, tradit Abbas FAYDIT in libro: *Remarques ſur Virgile & ſur Homere p. 369.* Sequar & hic morem meum, &, ut recte cognoſcas mentem Autoris, ipſa ejus verba proferam. *Politien, ce bel eſprit,* ita ſcribit Abbas ille, *qui parloit ſi bien Latin, s'appelloit Ange: mais il s'en falloit beaucoup qu'il en eut la pureté. La paſſion honteuſe & l'abominable amour dont il bruloit pour un jeune garcon, qui etoit Grec de naiſſance, & qu'on appelloit ordinairement Argot, a flétri à perpetuité ſa memoire, & cauſa ſa mort. Car etant tombé dans une fievre chaude, il ſe leva brusquement de ſon lit la nuit, que ſa garde etoit endormie, prit un luit à la main, & en alla jouer ſous la fenètre du petit Grec. On l'en retira à demi mort, & on le remporta dans ſon lit, ou il expira bientôt aprés, en repetant fort ſouvent le nom de ſon Idole, ce qui lui fit appliquer ce vers que Virgile a fait ſur Antor, Grec de nation, né à Argos: — — Et dulces moriens reminiſcitur Argos.* Mira hæc & ſingularia, nec ante FAYDITUM cuiquam dicta. Itaque certiſſime compertum ſibi habuit Gallus ille, puello, quem tam tenere complexus eſt Noſter, nomen ARGOTI, eundemque natione Græcum, fuiſſe. Et quis non, præſentem hunc adſtitiſſe morienti POLITIANO, putet? adeo diligens vel eorum, quæ videri poſſint leviſſima, obſervator eſt. Nec nos præter teſtem hic quidquam deſideramus, ſed hunc ita deſideramus, ut absque eo æſtimanda hæc nihili, & rejicienda ad aniles fabulas, putemus. Ejusdem fere generis ſunt, & ex FAYDITI petita fonte videntur, quæ de morte POLITIANI memorata ſunt a Comite de Rupe forti in libello mediocriter docto: *Reflexions ſur ceux, qui ſont mort en plaiſantant, p. 36.* Quo in Opere cum illud ageret Autor, ut ſelecta eorum, qui animo compoſito, inter gaudia jocosque, mortem ſuam exceperunt, exempla proferret, minus opportune POLITIANI mentionem fecit, quippe tum, cum citharam pulſaret, & plena amoris carmina cantaret, febris vehementiſſimæ inſanos impetus ſequenti, nec eo, quo homines ſui compotes, rationis uſu prædito. Conf. *Acta Eruditorum German. P. XXI. p. 752.* Vides

des, Lector, quam diversæ & inter se dissonæ Scriptorum narrationes emanaverint ex uno fonte JOVII, cujus autoritate & ipse deceptus JUL. CÆS. SCALIGER, POLITIANO ceteroquin addictissimus, in Carmine quodam, *Poeta* inscripto, quod legitur *Poematum* ejus *P. I. p. m. 82*, parum amice de Nostro canit:

Obscœno moreris sed, Politiane, furore.

Quo versu *non solum immaniter, sed & mendaciter, insultatum* POLITIANO putat CASP. SCIOPPIUS in *Epistola ad* JUL. CÆS. CAPACIUM, quam legis in ejus *Paradox. literar. p. 34.* Similiter CASP. BARTHIUS in *Adversar. Lib. XLVII. Cap. 5. p. 2192*: *Scaligeri versus*: *Obscœno moreris sed, Politiane, furore, ideo morari nos magnopere non debet, quod fundamentum sententiæ in eo, quem modo explosimus, Jovio habet.* A SCALIGERO hæc tradi, famæ POLITIANI alioqui, ut diximus, studiosissimo, magis mireris, quam a CLAUDIO VERDIERIO, de viris bonis nunquam non pessime sentiente, cujus iniquissimum est in *Cension. in Autores omnes p. 61* effatum: *Certe Politianus vir fuit parum continens, qui tandem nefando pueri amore contabuit.* Quod vero in eorum, qui hæc POLITIANO ignominiosissima tradiderunt, societatem traxit JO. PIERIUM VALERIANUM CLAUSIUS in *Vita Polit. Cap. XXXIII. p. 69*, in eo iniquissime is egit cum viro bono, & aliena verba, alienam ei sententiam affinxit. Nam, quæ recitat is *l. c.*, non VALERIANI, sed maximam partem THEOPH. SPIZELII, verba sunt, cujus in *Felice Literato* cum *p. 100* ista legeret: *De Angelo Politiano quidem Jo. Pier. Valerianus scribit, exitum ei obtigisse professione illa execrabili* (Atheismi) *longe dignissimum, cum sub vitæ finem in tantam inciderit ægritudinem, ut in multis & variis molestiis cogitationibusque consolationem nullam admittere voluerit*, &c. inconcinne, quæ sunt SPIZELII, cum ipsis VALERIANI verbis conjunxit CLAUSIUS, effecitque adeo, ut videri is possit de POLITIANO inimicissime sensisse. Sed vide, Lector, quam facile error errorem gignat. Cum, a VOSSIO in libro *de Hist. Lat. Lib. III. Cap. 8. p. 629* VALERIANUM in eorum numero poni, animadverteret CLAUSIUS, qui JOVIANAM illam de morte POLITIANI relationem in fabulis habendam dixerint, videretque adeo, multum hic VOSSIUM discrepare a SPIZELIO, id

facili, etsi non satis felici, assecutus est conjectura, parum hic sibi ipsi constare VALERIANUM, bisque rem eandem diversissime narrare. Nec id parum firmavit conjecturam, quod aliam VALERIANI paginam VOSSIUS, aliam SPIZELIUS, citaret. Sed, ut agnoscat errorem suum, inspiciat, rogamus, VALERIANUM ipsum, de obitu POLITIANI non nisi semel, idque amicissime, commemorantem. Quo si nunc, ut olim, destitutus sit Scriptore, a nobis, ipsa VALERIANI verba paulo post daturis, abesse malæ fidei suspicionem patiatur. Similiter notandus est P. JUL. NEGRI, qui, facere cum JOVIO JO. LUD. VIVEM & PHIL. MELANCHTHONEM, tradit *l.c.*, Scriptores parum, quod constat, POLITIANO amicos, sed qui mortem ejus in scriptis suis ne verbo quidem tetigere. Jam ad JOVIUM revertimur, cui facile largior, fuisse olim homines, ita in POLITIANUM maledicos, qui de morte ejus rumores tam sinistros data opera in vulgus sparserint, iisdemque Florentiam primum, postea universam Italiam, impleverint. Quid enim aliud, quam ignobile hoc mortis genus, indicare videntur verba M. ANT. SABELLICI in *Epistola ad* ANT. DAN. RAINERIUM, quam legis *Tomo III. Operum* SABELLICI *p. 450 : Desiit in humanis esse Politianus, semper abs te supreme laudatus : ac tum desiit, cum celebritate florebat ac ætate. Doleo mortem hominis amicissimi, sed multo magis doleo causam, quæ non magis miserabilis fuit, ut mihi dicitur, quam pudenda. Sed multum in eo homine amisimus*, &c. ejus, inquam, SABELLICI, qui POLITIANUM *ob amplissimas ejus virtutes, amavit, coluit, observavit*, ut docent ejus ad Nostrum literæ, *Lib. III. Epp.* POL. *Ep.* 7. Et JACOBUS CONSTANTIUS, Poeta Latinus, POLITIANI æqualis, Fano Fortunæ oriundus, cum philtro periisse Nostrum dixit in Epigrammate brevi, manibus POLITIANI sacro, cujus extremi sunt versiculi :

Si mortis genus ejus edoceri
Poscis : scito, hominem perisse philtro,

eosdem videtur, invidiæ infelici partu exclusos, & a JOVIO ad posteros propagatos, rumores secutus. Hujus Epigrammatis mentionem facit, eidemque temere fidem habet, BERN. DE LA MONNOYE in *Notis ad* BAILLETI *Jug. des Sav.*

Sav. T. V. P. I. p. 90. not. 1, ſed, id unde petitum ipſi ſit, non, quod doleo, hic indicavit. Quod vero ad rem ipſam attinet, ita æquos fore Lectores confido, ut, quæ de illius veritate dubitare nos jubent, in his ad tuendam POLITIANI exiſtimationem ſitum aliquid momenti putent. Servavit omni tempore hunc morem calumnia, ut, mendaciis veritati admiſtis, rem per ſe bonam, nec quidquam probri habentem, adſperſis coloribus teterrimis, denigraret admodum, turpiſſimamque efficeret. Uſi hoc artificio ipſi POLITIANI obtrectatores videntur, ut, ſi vera hæc ex parte intelligerentur, de ceteris ne dubitare quidem auderet poſteritas. Deme narrationi JOVII, quæ ſunt probroſa POLITIANO, deme amoris indomiti furores, & in pueri honorem decantata carmina, cum JOVIO amiciſſime conſpirabit PETR. BEMBUS, amicus & æqualis POLITIANI, cujus ſi quid valet hic (ut plurimum omnino valet,) teſtimonium, vix ulli unquam alii mori tam honeſte, quam POLITIANO, contigit. Cecinit is mortem Noſtri Epigrammate venuſto, cui titulum fecit: *Tumulus Politiani;* quo dolor atrox, de præmaturo LAURENTII, Medicæi Principis, obitu conceptus, POLITIANO attuliſſe mortem dicitur. Legitur id *Operum* BEMBI *Tomo I. p. m. 868*, nec non in JUL. CÆS. CAPACII *Elogiis p. 352*, ISAACI BULLARTI *Acad. des Scienc. T. I. Lib. IV. p. 279*, PHIL. LABBÆI *Theſauro Epitaphiorum P. VII. Epit. 44. p. 224*, & in *Carmin. ill. Poet. Ital. T. II. p. 130 ſeq.* dignum præ ceteris, quod vel ab iis ipſis, qui JOVIO nimium tribuunt, hic legatur integrum:

Duceret exſtincto cum mors Laurente triumphum,
Lætaque pullatis inveheretur equis;
Reſpicit inſano ferientem pollice chordas,
Viſcera ſingultu concutiente, virum.
Mirata eſt, tenuitque jugum; furit ipſe, pioque
Laurentem cunctos flagitat ore Deos.
Miſcebat precibus lachrymas, lachrymisque dolorem,
Verba miniſtrabat liberiora dolor.
Riſit, & antiquæ non immemor illa querelæ,
Orphea Tartareæ cum patuere viæ,

Hic

Hic etiam infernas tentat reſcindere leges:
Fertque ſuas, dixit, in mea jura manus.
Protinus & flentem percuſſit dira Poetam:
Rupit & in medio pectora docta ſono.
Heu ſic tu raptus, ſic te mala fata tulerunt,
Arbiter Auſoniæ, Politiane, lyræ.

Jam, lecto hoc Carmine, facile agnoſces errores multos, paſſim a Scriptoribus, qui Carminis hujus mentionem fecerunt, impudentiſſime commiſſos. Si PETRUM DE S. ROMUALDO audias in *Abregé du Tome III. du Treſor Chronol. & hiſt. p. 262*, non in LAURENTII, ſed ALEXANDRI MEDICÆI, ejus nempe, quem LAURENTIUS, cognatus ſuus, tribus & quadraginta inde a morte POLITIANI annis crudeliſſime interemit, funere lachrymabile carmen a POLITIANO fuſum BEMBUS dixit. Quo quid indoctius dici potuit ab homine, Chronologiæ ſtudia profitente publice, & hanc alios docente? Sed id quaſi proprium ſibi & peculiare Galli habent, ut de exterorum, maxime Italorum, rebus negligentiſſime commemorent. De ROMUALDO modo vidimus; jam quanta JO. LUD. BALZACII oſcitantia! qui BEMBI illud Epigramma peſſime corrumpit, addens ei alia, alia, prout ipſi lubitum, in aliorum locum ſubſtituens. Scilicet, ex hoc Epigrammate conſtare, ait, cum in ſupremis ſcalæ gradibus conſtitutus, amatæ ſibi puellæ laudes fidibus caneret POLITIANUS, inter medios cantus ſubito chelyn ipſi manibus excidiſſe, virumque bonum adeo commotum, ut repentino caſu de gradibus dejectus, fracta cervice, ſtatim animam efflaverit. Quanta hæc audacia, non ſolum tam pueriles fabulas bonis Lectoribus vendere, ſed, ut fides ſit tantis nugis, teſtem etiam nominare eum, qui contraria omnia te doceat interrogatus. Sed, ne injuſte agere me dicas cum Scriptore Gallo, ipſe lege hæc narrantem in quadam Epiſtolarum ſuarum, cujus mentionem facit PETRUS DE S. ROMUALDO *l. c.*: *Nous ſcavons maintenant la veritable mort de Politien, que le Cardinal Bembe a deguiſée dans l'Epitaphe qu'il lui a dreſſée. Comme il chantoit ſur le luth au deſſus d'un eſchalier une chanſon qu'il avoit faite autrefois pour une fille qu'il aimoit, lorsqu'il vint à certains vers fort patetiques,*

tiques, ſon luth lui tomba des mains, & lui tomba auſſi de l'eſchalier en bas, & ſe rompit le col. Hæc, ut dixi, ex Gallica quadam BALZACII Epiſtola profert ROMUALDUS; ſed qui nec amicum, cui ſcripta, nec locum, ubi obvia, indicat. Nec mihi ipſi tale quid invenire licuit, quantumvis diligenter perquirenti Epiſtolas ejus Gallicas, ab *Elzeviriis Amſtelodami A. 1656, 12*, publicatas; in quarum una ad COLARDÆUM, Procuratorem Regis Galliarum, *p. 106* pauca hæc lego: *Par exemple, n'y a t-il pas plaiſir de ſcavoir la veritable mort de Politien, que le Cardinal Bembe a déguiſé dans l'Epitaphe qu'il luy a fait;* nec quidquam præterea. Sit igitur ejus rei fides penes ROMUALDUM, quem nolim putare tantæ audaciæ hominem, ut BALZACII hæc verba prorſus confinxerit. Quod ad ſcalam, qua dejectum POLITIANUM dixit BALZACIUS, placet eadem IS. BULLARTO in *Acad. des ſcienc. T. I. Lib. IV. p. 279*, qui & teſte utitur eodem BEMBI Epigrammate, unde, lynceis præditum eſſe oculis oportet, qui tale quid cognoſcat. Caſtigatur eo nomine BULLARTUS BÆLIO *l. c. not. (F)*, ſed quem miror peperciſſe BALZACIO, cujus & ipſius ibidem verba profert. BEMBI igitur ſi quid tribuendum hac in cauſa autoritati putas, vehementiſſimo de morte LAURENTII, in cujus olim clientela vixerat, dolori POLITIANUS ſuccubuit, isque lethalem ei, ut fieri plerumque ſolet, morbum contraxit. Largiamur itaque JOVIO, febre ardenti mortuum POLITIANUM; largiamur, inter medios citharæ ſonitus repentina morte occupatum, modo non, effrænatos pueri amores cauſam morbi, materiamque carminum, præbuiſſe, nimis ſerio contendat. At nec in febrim incidit POLITIANUS, ſed ſubita inter cantandum apoplexi correptum putes, ſi miræ venuſtatis Epigramma legas, quo luſit in ejus mortem PAMPHILUS SAXO, Poeta Italus, ætati POLITIANI proxime vivens, teſtis adeo hac in cauſa minime rejiciendus. Exſtat hoc inter alia ejus PAMPHILI, quibus locus datus *Tomo VIII Carminum illuſtr. Poet. Italorum, p. 479.* Ita vero Poeta:

Quo cecidit fato noſtri decus Angelus ævi,
Gentis & Etruſcæ gloria, ſcire cupis?
Icterici non hunc labes triſtiſſima morbi;
Febris ad Elyſias vel tulit atra domos;

Qqq *Non*

Non inflans humor pectus, non horrida bilis ;
Mortiferæ pestis denique nulla lues :
Sed, quoniam rigidas ducebat montibus ornos,
Frangebat scopulos ; decipiebat aves ;
Mulcebat tigres ; sistebat flumina cantu,
Plectra movens plectro dulcius Ismario.
Non plus Threicium laudabunt Orphea gentes,
Calliope dixit, dixit Apollo, Linum :
Jamque tacet nostrum rupes Heliconia nomen ;
Et simul hunc gladio supposuere necis.
Mors tamen hæc illi vita est, nam gloria magna,
Invidia Phœbi Calliopesque mori.

Neque vero, quæ de mœrore POLITIANI, ex morte LAURENTII concepto, BEMBUS canit, a verisimilitudine adeo abhorrent. Lege integram POLITIANI ad JAC. ANTIQUARIUM Epistolam, *Lib. IV. Ep. 2*, qua is mortem LAURENTII amplissima narratione persequitur ; tantos hic querelarum lachrymarumque cumulos, ita immersum suo dolori POLITIANUM, offendes, ut facile appareat, vulnere hoc nullum ei infligi gravius atrociusque potuisse. De quo ne dubites, vel paucissima huc transscribam, unde facile judicare possis de reliquis. *Ego*, inquit, *quo minus mature ad te rescripserim, non tam culpam confero in occupationes, quanquam ne ipsæ quidem defuerunt, quam in acerbissimum potius hunc dolorem, quem mihi ejus viri obitus attulit, cujus patrocinio nuper unus ex omnibus literarum professoribus & eram fortunatissimus, & habebar. Illo igitur nunc exstincto, qui fuerat unicus autor eruditi laboris videlicet, ardor etiam scribendi noster exstinctus est, omnisque prope veterum studiorum alacritas elanguit. Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros, & qualem se ille vir in extremo quasi vitæ actu gesserit, audire, quanquam & fletu impedior, & a recordatione ipsa quasique retractatione doloris abhorret animus ac resilit, obtemperabo tamen* &c. Maxime vero, quæ insecutæ sunt mortem LAURENTII, gravissimæ Medicææ domus calamitates, intolerabilem POLITIANO efficere hujus Principis jacturam potuere. Satis ex illorum temporum historia constat, nec testimoniis Scriptorum pro-

probari opus eſt, PETRUM, LAURENTII filium, POLITIANI olim diſcipulum, aſperi & inhumani ingenii hominem, vix ſuſcepto Florentinæ civitatis imperio, tantum ſua ſive imprudentia, ſive malo conſilio, a ſe alienaſſe civium Florentinorum animos, ut ab his patria ejectus, diu ignobile tulerit exilium, hosque adeo omnes, qui in Medicææ gentis huc uſque clientela vixerant, triſtiſſimæ ſortis fecerit participes. Cui calamitati etſi non, quod putat MORERIUS *l. c.*, notatus eo nomine BÆLIO *l. c. p. 2344. not. (Q)*, ſuperſtes fuerit POLITIANUS, *felix*, ut ait JOVIUS *l. c.*, *præpropero vitæ exitu, quod imminentem convulſæ Medicæ domus ruinam effugerit;* facile tamen prævidit eam homo ſagax, &, quæ eam præceſſerunt, graviſſimis Florentinæ Reipublicæ turbis ipſe interfuit. Nondum enim in vivis eſſe deſierat, cum CAROLUS VIII, Galliarum Rex, in Neapolitanas ditiones invaſurus, numeroſum exercitum, non ſolum non renitente, ſed iter etiam monſtrante PETRO, per Etruriam duceret, civesque ejus regionis graviſſime affligeret. Factum id ſub initium anni 1494, Scriptores fide digniſſimi nos docent; quorum teſtimoniis manifeſti erroris convincitur VARILLASIUS, eodem die mortuum POLITIANUM perhibens *l. c.*, quo juga Alpium CAROLUS, Gallorum Rex, transſcenderat. At videtur incidiſſe VARILLASIUS in verba PETRI CRINITI *de Honeſta diſciplina Lib. XV. Cap. 9. p. 399: Neſcio, quo fato ſuperiore anno evenerit, quo Francorum Rex, Carolus, Italiam cum infeſto exercitu & inſtructis copiis invaſit, ut principes viri in literis, atque in ſummis diſciplinis, clariſſimi, perierint: hoc eſt, Hermolaus Barbarus, Jo. Picus Mirandula, & Angelus Politianus: qui omnes in ipſo ſtatim Francorum adventu & conatibus immaturo obitu ad Superos conceſſerunt;* quæ ipſa ſtricte nimis, & præter mentem CRINITI, de ipſo adventus die VARILLASIUS accepit. Etenim, vivente adhuc ANGELO Florentinam urbem cum ſuis copiis ingreſſum CAROLUM, nec expertem eundem ANGELUM calamitatis publicæ fuiſſe, nemini obſcurum eſſe poteſt, legenti TITI VESPASIANI STROZÆ, Ferrarienſis Poetæ, *ad Angelum, Poetam*, qui ſine dubio ipſe hic POLITIANUS eſt, Epigramma terſum ac venuſtum, cujus copiam nobis facit ALDUS MANUTIUS *Lib. IV Carmi-*

num STROZZII, *patris & filii*, *Venetiis A.* 1501 editorum, *p.* 38. Quod, etsi longum sit, & Epigrammatis modum ferme excedat, suo tamen jure hic sibi locum poscit, quod optime hinc discere possis, quam graves de morte LAURENTII conquerendi causæ fuerint POLITIANO, & quantum ex hostili illa Gallorum invasione fortunæ resque ejus omnes detrimentum ceperint. Eleganter hæc Poeta:

Angele, si quis erit, lacbrymosi plena doloris
Qui tua non tristi carmina fronte legat,
Ille feras inter sævis in rupibus ortus,
Aspera duritie vincere saxa potest.
Non ego talis in hoc, sed amici fletibus angor,
Immeriti quem sors vexat acerba mali.
Certe dignus eras hominum cœlique favore,
Nec tali casus convenit iste viro.
In te consumsit vires fortuna nocendo,
Nil superest, ut jam possit obesse tibi.
Sed, licet in tenues concesserit irrita ventos
Intempestiva spes tua morte Ducis,
Nec promissa patris servet tibi filius hæres,
Abstuleritque tuas Gallus adulter opes,
Non tamen ista valent rectam infortunia mentem
Eripere, & virtus inviolata manet.
Candidus ille viget morum tenor, & pia vita
Simplicitas nullis est labefacta dolis,
Parsque tui melior fraudem prædonis iniqui
Despicit, ac ferrum, terribilesque minas.
Namque sacros inter celebraberis, Angele, vates,
Seraque posteritas scripta diserta leget.
Et clarum toto nomen tibi stabit in orbe,
Donec in æquoreas Rex Padus ibit aquas.
Dura fuit rerum jactura, ut scribis, at illud
Triste magis, versus tot periisse tuos.
Namque domum, & vestes, nummosque, & prædia, si quis
Perdidit, hæc aliqua sunt reparanda via.
Casus, & indulgens hominum præsentia multis
Amissas duplici fœnore reddit opes.

Quis

Quis tibi restituet non exemplaribus ullis
Tradita, per longas carmina facta moras?
Quorum si qua manet memori sub mente reposta
Pars tibi, plura tamen pectore lapsa reor.
Atque ita susceptus frustra est labor ille, jacetque
Clarorum in tenebris fama sepulta virum.
Quo fit, ut indigner, doleamque, impune quod ausus
In te sit tantum barbarus ille nefas.
Ille sacras ædes potuit spoliare, Deosque,
Qui vertit duras in tua damna manus.
Non illum pudor, aut pietas, aut gratia, movit,
Nec vindex magni terruit ira Dei.
Et bona Pieridum dextro tibi Numine parta,
Sacrilega rapuit barbara turba manu.
Sed non parva mali restant solatia, quod non
Ullius culpæ conscius ipse tibi es.
Adde, quod illustres multi graviora tulerunt
His, quæ tu pateris, nec meruere, viri.
Respice Threicii fatum miserabile vatis,
Est & Arioniæ cognita causa fugæ.
Exul, inops, degens in amaris Naso querelis
Finiit extremam per mala multa diem.
Hos præter, facile est, aliorum exempla referre,
Quæ, quoniam tibi sunt nota, silenda puto.
Sed tamen ad vatem pauca hæc de vatibus istis
Dicta velim, quamvis fabula trita foret.
Quod petis, egregii pietas spectata Casellæ
Et favet, & voto est officiosa tuo.
Nec tibi Castellus, Regi gratissimus, & qui
Rectum amat, optatam ferre negabit opem.
Nos quoque, si precibus quidquam studioque valemus,
Si quid apud magnum est gratia nostra Ducem,
Hoc erit omne tuum, nec non curabimus, una
Consulat ut rebus Regia cura tuis.
Cetera semper agat quamvis dignissima laude
Borsius, haud minor hac gloria parte venit.

Quod bonus afflictis succurrere novit, & idem
Magna solet meritis præmia ferre viris.
Sæpius hoc alii senserunt, Angele, rursum
Ad vivas sitiens ipse recurris aquas.

In tanta non suarum minus, quam Florentinarum, rerum perturbatione habebat utique, cur dolore lachrymisque prosequeretur & suam sortem POLITIANUS, & futurum domus Medicææ casum. Qui si justus fuit, nec cuiquam reprehendendus, dolor, quidni tantum putes, ut ipsam mortem consciverit homini omnibus jam fortunæ præsidiis destituto, nec meliora facile speranti? Neque adeo difficile assensum tuum impetret JO. PIER. VALERIANUS, qui mortis POLITIANI causam nihil dubitat ad gravissimum hunc, & cum quadam rerum omnium desperatione conjunctum, mœrorem referre. *Paucis ante annis*, sunt hujus verba *Lib. II. de Literat. infelic. p. m. 353*, *Angelus Politianus, nullius ignarus eruditionis, & disciplinæ, cum in adversa Medicum procerum tempora incidisset, inclinantibus jam Petri, quem ipse literis instituerat, rebus, in eam incidit ægritudinem, ut in multis & variis molestiis cogitationibusque consolationem nullam admittere voluerit, atque ita demum dolore mœstitiaque confectus exspirarit. Quodque illo longe fuit infelicius, conficta in eum turpitudinis fabula, maledicentissimis obtrectationibus proscissus calumniatusque est, utque ea gens promtissima est ad insimulandum, in invidiam Petri ipsius ignominiosam, aliam mortis voluntariæ causam universo terrarum orbi magna cum ejus infamia propalarunt.* Quæ VALERIANI verba quam corrupte expresserit THEOPH. SPIZELIUS in *Felice literato Commentat. I. §. 3. p. 100*, paulo ante vidimus. Nullam horum, quod miror, rationem habet BERNARDUS DE LA MONNOYE in *Notis ad* BAILLETI *Jug. des Sav. T. V. P. I. p. 90. not. 1*, qui, si gnarus ita fuisset rerum illo tempore gestarum, sicut nos sumus, non hæc a VALERIANO ad excusandum POLITIANUM unice excogitata dixisset. Æquiores in eo, & quodammodo sagaciores, GERH. JO. VOSSIUS *de Hist. Lat. l. c.* & *de Poet. Lat. Cap. VII. p. 79*, JO. MARIUS CRESCIMBENI *l. c.* ANT. TEISSIERIUS in *Elog. des homm. sav. T. I. p. 168*, CASP. SCIOPPIUS in *Paradox. liter. p. 35*, P. BÆLIUS *l. c. not. (F)*, & P. JUL. NEGRI *l. c.* qui VALERIANI narrationem

omnium

omnium earum, quæ de morte POLITIANI venditantur, verisimillimam existimant.

(e) Ossa POLITIANI in æde D. Marco sacra condita, non solum certissimorum fide testium, JO. MABILLONII in *Museo Ital. T. I. p. 178*, FERD. UGHELLI in *Ital. sacra T. III. p. 182*, NATHAN. CHYTRÆI in *Delic. var. itin. p. 110*, FRANC. SWEERTII in *Selectis Christ. orb. Delic. p. 242*, FRANC. SCHOTTI in *Itinerar. Lib. IV. p. 301*, LAUR. SCHRADERI in *Monum. Ital. p. 82. b.* JAC. MIDDENDORPII in *Academ. celebr. T. II. Lib. IV. p. 31*, ROGISSARTI in *Delic. de l'Ital. l. c.* PHIL. LABBÆI in *Thes. Epitaph. P. VI. Epit. 16. p. 188*, SIGEFR. RYBISCHII in *Monum. ill. vir. fig. 18*, JO. HENR. A PFLAUMERN in *Mercur. Ital. p. 117*, & ANT. BALDASSARRII in *Vite di person. ill. p. 34*, sed ex iis etiam, quæ paulo ante de ipso monumento, in æde D. Marci in honorem POLITIANI erecto, diximus, abunde constat. Sepultus est POLITIANUS, quod iidem Scriptores, & idem monumentum, testantur, haud longe a JO. PICI, Mirandulani Ducis, tumulo, ut, qui viventes amicissime conspiraverant, etiam post fata indivulso consortio fruerentur.

(f) Qui fuerint funeris ritus, nemo est Scriptorum, unde discere nobis liceat. Sed quidni honesti fuerint, cum civis bonus fuerit POLITIANUS? Quidni solennes etiam, cum in Rempublicam merita ejus præclara exstiterint, & illustrissimas in Ecclesia partim, partim in Academia, dignitates gesserit. Sed, ne de his plura te doceamus, Lector, qui ad docendum paratissimi sumus, ingrato illo & valde nobis molesto Scriptorum silentio prohibemur.

(g) Epitaphium in memoriam POLITIANI exstructum, idque in æde D. Marci, non est, cur dubites. Ea de re copiose dictum est sub *not. (c)* hujus §. ubi & Scriptores, qui de eo nos certiores fecerunt, bene multos attuli. Illis addo hic JOVIUM in *Elog. l. c.* PETR. ANDR. CANONHERIUM in *Floribus illustr. Epitaph. p. 19*, OCTAV. BOLDONIUM in *Epigraphicis p. 5*, NICOL. EPISCOPIUM in fronte *Operum* POLITIANI, Basileæ ab ipso editorum, & VIGNEUL-MARVILLIUM in *Melang. d'hist. & de lit. T. II. p. 170*, quibus & nuper demum accessit DOMINICUS MARIA MANNIUS

in

in *Commentar. de Florent. inventis Cap. XLV. p. 87.* Quin SIGEFR. RYBISCHIUS *l. c.* & M. ZUER. BOXHORNIUS in *Monum. & Elog. ill. vir. p. 37* ipſam Epitaphii imaginem, cum ſepulchrali hac Inſcriptione, ære nobis expreſſam ſiſtunt, venditantque talem prorſus, qualis exſtat Florentiæ. Sed his omnibus unus repugnat MABILLONIUS, Scriptor alioqui diligens & accuratus, ſed qui forte non agnovit literas rubigine tunc exeſas. Autorem Epigrammatis, nemo eſt, qui nominet; *incertum* omnes dicunt. Unus FRANC. SWEERTIUS in *Select. orb. Chriſt. delic. p. 242* Epigrammati verba ſubſcribit: *Paulus Crinitus amico poſ.* Sed, ut male is PAULUM dicit, cui prænomen PETRI fuit, ita Epigramma hoc cum aliis, compoſitis ab hoc ipſo CRINITO, & paulo poſt afferendis, confundit. HIERONYMI BENIVENII, non ignobilis Poetæ, ingenio deberi hoc Epigramma, facile tibi perſuadeas, ſi vera putes, quæ ſub *nota (c)* hujus §. diximus. Illud hic notamus, ſimile videri hoc Epigramma effato ENNII, qui, teſte GELLIO in *Noct. Act. Lib. XVII. Cap. 17, tria corda habere ſeſe, dixit, quod loqui Græce, & Oſce, & Latine, ſciret.* Forte locum hunc GELLII ante oculos habuit BENIVENIUS, Autor Epigrammatis. Acumen, ſi quod in eo ineſt, per me licet, multum admirentur alii; mihi parum placent ejusmodi verborum luſus, nucibus ſimiles, quibus pueri delectentur. Nec inepte judicavit Dux Montauſienſis, illuſtris ille doctorum hominum in Gallia Mecænas, fœminæ magis, quam viri, imaginem exprimi hoc Epigrammate, cui cum Abbas quidam reſpondit, vere id dici potuiſſe, ſi cum tribus linguis tria capita addidiſſet ANGELO Poeta, meo judicio nihil reſpondit. Refert hæc VIGNEUL-MARVILLE *l. c. p. 170.* Si JOVIO fides, addidit & PETRUS CRINITUS tumulo POLITIANI, præceptoris ſui, inſcriptionem, ſed de qua nihil diſco ex literis Fratris mei, CAROLI OTTONIS, qui, ſi quid tale obſervaſſet Florentiæ, non, quod certo ſcio, ejus me paſſus eſſet notitia carere:

Hic, hic, viator, paululum gradum ſiſte,
Vatem potentis ſpiritus vides clarum:
Qui mente promtus acri, & arduum ſpirans,
Ac ſumma quæque & alta conſequi ſuetus,
Is ille ego Angelus Politianus ſum.
Fovit benigno me ſinu Flora, & illic
In fata ceſſi, Parthenopeos Reges

Cum Gallica arma irruerent minabunda.
Tu vale, & hoc sis meriti memor nostri.

Proferunt hanc JOVIUS *l. c.* nec non GERH. JO. VOSSIUS *de Hist. Lat. l. c. p. 629*, JO. JAC. BOISSARDUS in *Icon. p. 16*, P. JUL. NEGRI in *Istor. degli Scrit. Fior. p. 46*, & ipse CRINITUS sub finem Epistolæ ad ALEXANDRUM SARTIUM, quam legis *Libro XII. Epist.* POLIT. *n. 22.* Sed, quod miror, frustra hanc quæras inter *Carmina* CRINITI, Basileæ A. 1532 edita. Tolerabilis putari possit, modo non sit, quod ad metri leges, negligenter nimis scripta. Unde de ea VOSSIUS *l. c.*: *Sed hæcne vel Politiano sunt digna, vel Politiani discipulo, Crinito? Quid enim apertius est, quam σκάζοντας istos præter metri legem ita claudicare, ut plura in metro vitia sint, quam versus? Quod non retulissem, nisi versiculi illi & in duodecimo Epistolarum Politiani libro (qui fere adoptivis Epistolis constat) afferrentur, & Jovius eos tanti duxisset, ut in doctorum eos elogiis referret.* Idem CRINITUS laudes POLITIANI alio cecinit Epigrammate, quod legitur apud eundem JOVIUM *l. c.* & *Lib. I. Carminum* CRINITI *p. m. 525:*

Syren, relicto Daunio,
Quærebat, ubi consisteret,
Diuque vagula devolans,
Accessit amnem lassula
Arni fluentis leniter:
Et commorata satis, iter
Parabat inceptum sequi.
Sed ecce, dum vaga subvolat,
Audit repente rem novam,
Novosque numeros, & nova
Carmina cantantis Angeli
Itaque statim in labra convolat
Dulci lepore perlita,
Et inquit, hic libet agere,
Hic, hic, morabor sedulo,
Ubi Gratiæ, decor, & Venus,
Tam blanditer simul canunt,

Carmenque fundunt aureum,
Tu nunc valebis, Daunie.

Ejus generis Inſcriptiones ſepulchrales, in honorem POLITIANI confectæ, ſed nunquam ejus tumulo affixæ, complures exſtant, plenæ laudum ejus viri, cui Muſæ Italorum acceptam retulerunt reparati honoris ſui partem maximam. Talis eſt, quam, neſcio, quo autore, compoſitam, ANT. BALDASSARUS exhibet in *Vite di perſon. ill. p. 34:*

Ornamenta ferat Latiæ qui florida linguæ, &
Mille modis gratum temperet eloquium,
Carmine qui placeat, placeat ſermone ſoluto,
Unus, crede mihi, Politianus erit.

Talem & CHRISTOPH. AULÆUS ſcripſit, quam lego in *Delic. Poet. Germ. P. I. p. 410:*

Quem ſacro puerum lactaverat ubere Pallas,
Angelus hac tegitur Politianus humo.
Flete decus veſtrum, divini juris alumni:
Flete, vagas lauro turba recincta comas.

Eundem honorem manibus POLITIANI habuit HERCULES STROZA, cujus exſtat leſſus funebris in libro *Epigrammatum* ejus, ab ALDO editorum, *p. 89*, & apud JOVIUM *l. c.:*

Quis Lycias ſortes, quis Phthiæ carmina Vatis,
Transmiſſos Deli quis neget huc Tripodas?
Quippe hic aſſidue Phœbus Muſæque parentant,
Et caris lachrymis ſæpe lavant cineres.
Quin, ſi fata velint, tegerentur Numina, ſub qua
Angelus obdormit Pulicianus humo.

Et JO. LATOMUS, ut patet ex eodem JOVIO *l. c.*, in funere POLITIANI præclare cecinit:

Hoc tumulo Charites, lepor, & bona Suada; jocique,
Et Muſæ, & Phœbus, plectra, chelysque, jacent.
Cuncta obiere ſimul, neque enim ſunt viſa deinceps:
Nec viguit fulvis laurus, ut ante, comis,

Vetus

Vetus (forſan *verus*) *ut ille pudor Grajum, columenque Latinum,*
Angelus, arguta deſiit in cithara.
Nam fuit hæc (miſerum) ſævæ culpa altera Parcæ,
Cantantis filum præſecuiſſe viri.
Ah, ſævûm potuit qua flectere corda ferarum,
Non potuit duram flectere voce Deam.

Quibus addimus illa BOHUSLAI HASSENSTEINII, quæ profert CLAUSIUS in *Vita Polit. p. 70:*

Pieridum columen, Phœbeæ gloria turbæ,
Angelus hoc ſaxum Politianus habet.

Nec exulare hoc loco patiemur terſiſſima Epigrammata JACOBI PHILIPPI pellibus nigris Trojani, ſubjuncta vernaculis POLITIANI *Carminibus*, Venetiis A. 1537 a NIC. ZOPINO editis; alterum Latinum:

Lector, Pollicianus Entheatus,
Cujus pertetricos legis libellos,
Quos hæc tempora noſtra (huc deeſt vocula, quæ metrum impleat,) *poſſunt*
Antiquis bene comparare libris,
Qui luſus teneros facetiasque
Scripſit, delicium novem ſororum,
Græcæ ac Romuleæ pater Thaliæ,
Qui cum Calliope levare triſti
Curas ex animo ſolebat omnes,
Unus, qui calami ſeverioris
Gaudet nomine, dormit, en ſepulchrum.

Alterum Italicum:

Queſto angeletto del ſuperno choro,
Che apparſe in terra col caduco manto
Qua giu mandato fu dal padre ſanto
Per dimoſtrare ogni arte in un lavoro
Mal cieco mondo viſto il gran theſoro
Incomencio viſto il gran theſoro
Che tolſe a tutte coſe el pregio el vanto
Tal che rimaſe ſeco altro aloro,
Onde ſoegnato ciaſcun ſpirto divo

Vedendo gir ſua gloria e honore altrove
Delibero laſſar la eterna corte
Del che ratto ſe accorſe el ſummo Jove
E ſotto falſa imagine de morte
Queſto angeletto in ciel repoſo vivo.

Alia PETRI BEMBI, PAMPHILI SAXI, & JAC. CONSTANTII, dedimus ſub *nota (d)* hujus §. Claudat turbam Epitaphiorum magnifica NIC. REUSNERI Inſcriptio, quam is poſuit POLITIANO in libello *Iconum vivarum literis clar. vir.*:

Angelus Politianus Monte
Politiano, Hetruriæ oppido,
natus anno MCCCCLIV,
A prima ſtatim juventa admirabilis ingenii
nomen adeptus:
Singulari utriusque linguæ ſcientia: Poeta
& Orator celebris:
Florentiæ Græcas pariter ac Latinas
literas profeſſus:
Præcellenti ſtudiorum omnium florens
ubertate:
Poſt editam Miſcellaneorum Centuriam
Publicataque Latina
Poemata:
Alia item opera e Græco in Latinum
verſa:
Morte oppreſſus immatura:
Obiit annum agens LIV non ſine gravi Muſa-
rum injuria, & ſeculi ſui
dolore,
Anno Salutis humanæ MCCCCXCIIX.

(b) Etſi crudeliſſime, quod ſupra dixi, in manes POLITIANI ſævіit ignobilis, & inimica virtuti, invidia; non defuere tamen, qui jacturam optimi viri moleſtiſſime ferrent, & bonis literis longe luctuoſiſſimam exiſtimarent. Quibus lachrymis ejus mortem proſecuti ſint FICINUS & CRINITUS, ille præceptor, hic

hic discipulus POLITIANI, supra sub *not. (c)* hujus *§.* vidimus. Alias aliorum querelas audire, nihil interest; cum nemini ignotæ sint lamentantium formulæ. Unum M. ANT. SABELLICUM audiamus, quo non eloquentius quisquam universæ Italiæ dolorem expressit. Ejus in Epistola ad ANT. DAN. RAINERIUM, quæ exstat inter *Opera* SABELLICI *p. 450*, mœstissima verba sunt: *Desiit in humanis esse Politianus, semper abs te supreme laudatus: ac tum desiit, cum celebritate florebat ac ætate. Doleo mortem hominis amicissimi, — — Sed multum in eo homine amisimus. Revertor ad nostrorum hominum jacturam, qua non nostra, non patrum nostrorum, memoria in ullo major accepta est, quam in Politiano, cui si longior vita contigisset, tam gravis fuisset Romanæ linguæ censor, quam Græcæ fuit Aristarchus.* Vere igitur JO. JAC. BOISSARDUS in *Icon. p. 160*: *Mortuus est ætate media — — cujus obitu tota Italia splendorem suum se amisisse rata est; tam gloriosa nominis ejus fama apud omnes visa est: quem si ad maturam ætatem servassent Superi, non est dubium, quin magnis illis viris, Philosophis antiquis, conferri merito potuisset.*

(*i*) Magnam in funere POLITIANI lessus lugubres cantantium Poetarum turbam vidimus sub *not. (g)* hujus *§.*; & his plures, si ea te cura tenet, spectandos præbet NIC. REUSNERUS in *Icon. viv. doct. vir. sub imag. Polit.* Sed illis omnibus carere tuto poteris, ubi unum JUL. CÆS. SCALIGERI Epigramma legeris, venustissimum, meo judicio, & priori huic *Sectioni* pulcherrimam coronidem additurum. Habes id in Libro *Carminum* SCALIGERI *p. m. 316*, in *Carmin. ill. Poet. Ital. T. VIII. p. 494*, & apud JOVIUM *l. c.*:

Ante, tuo quam te nossem de pectore, non te,
Ajebam, decuit, Politiane, mori.
Sive mori decuit: sed non-decuisse fatebor,
Ah sic, ah juvenem, Politiane, mori.
At, divina semel novi cum pectora, dixi,
Nec juvenem, nec jam, Politiane, mori.

DISSERTATIONIS DE ANGELO AMBROGINO POLITIANO

SECTIO II.

De Scriptis POLITIANI, tam Vernaculis, quam Græcis, & Latinis.

§. I.

De vita partim, partim doctrina insigni, eximiisque in literas meritis POLITIANI, copiose, & quod satis est, commemoravimus. Vocat nos dicendorum ordo ad id, quod est præcipuum Commentationis nostræ caput, & sine quo leve ac inutile videri omne, quod pertractandum suscepimus, laudum POLITIANI argumentum possit. Si qua enim sive viventi parta, sive mortui ad seros posteros propagata, gloria fuit, hanc suis ille scriptis unice, horumque dignitati, debuit. Quorum cum alia in lucem dudum publicam exierint, & ante oculos omnium sint exposita, alia inviderit nobis temporum injuria, aut æternis tenebris sepulta lateant, alia animo conceperit tantum, per-

perfecerit,quod ſciamus, nunquam POLITIANUS,alia denique ita ſint comparata,ut,ſitne eorum autor dicendus ANGELUS, in controverſiam venire poſſit; de ſingulis ſigillatim jam diligenterque exponemus,id, quantum in nobis fuerit, operam daturi, ne, quæ præ ceteris memoratu digna videantur, horum quidquam deſiderari jure poſſit. Ab his, quæ publice leguntur, initium facturi, partem horum vernaculo, partem Græco, partem etiam, eamque maximam, Latino ſermone compoſitam, animadvertimus. Et, quod ad vernacula attinet, exſtat vulgo in equeſtrem Juliani Medicæi victoriam votivum ejus ſplendidumque carmen, (*a*) cum elegantiſſima Fabula, ab *Orpheo* cognominata, (*b*) & cantiunculis nonnullis, in laudes Bacchi aut Amoris decantatis, (*c*) quarum gratiam & venuſtatem, haud quisquam eſt Italorum, qui non agnoſcat.

(*a*) De ſplendido hoc & auguſto Carmine ampliſſime dictum eſt ſupra *§. III*, nec, ut illa denuo hic explicemus, expoſcis, Lector. Factum autem eſt poſtea, ut ex Italia ad nos perferretur ipſum hoc POLITIANI Carmen, *Patavii* ex typographia *Joſephi Comini A. 1728* editum, ejusdemque, *Venetiis* a *Nicolao Zopino* vulgati *A. 1537*, copiam nobis faceret illuſtris quædam Batavorum Bibliotheca. In ejus titulo legi: *Stanze di Meſſer Angelo Politiano, comintiate per la Gioſtra del Magnifico Giuliano di Piero di Medici.* Eodem tempore oportune incidi in LUCÆ PULCII, Florentini Poetæ, in equeſtrem LAURENTII MEDICÆI victoriam decantatum, Carmen, cujus elegantiam,

ut *l. c.* dixi, æmulatus eſt POLITIANUS, cum *Ciriffo* ejus *Calvaneo*, & *XVIII Epiſtolis Amoris, Florentiæ A.* 1572 apud *Juntas* editum, hoc quidem titulo: *Ciriffo Calvaneo di Luca Pulci, Gentilbuomo Florentino. Con la Gioſtra del Magnifico Lorenzo de Medici. Inſieme con le Epiſtole compoſte dal medeſimo Pulci. Nuovamente riſtampate.* Unde patet, non hanc primam omnium, ſed ea priorem aliam hujus Carminis editionem fuiſſe. In NIC. FRANC. HAYMII *Notizia de' Libri rari nella lingua Italiana P. II. p.* 129 annotari video librum: *Poeſie di Luca Pulci, Florentiæ A.* 1488, 4, editum, cui ſi adjectum eſt, de quo diximus, carmen PULCII, nullum ſupereſſe dubium videtur, quin hæc prima omnium dicenda ſit editio. Illud vero exploratum ſatis, decantatum illud Carmen anno 1468, docente id ipſa Carminis inſcriptione: *La Gioſtra fatta in Fiorenza dal Magnifico Lorenzo de Medici il Vecchio l'anno MCCCCLXVIII;* quo tempore ſi & ſuum POLITIANUS recitavit, id quod veri perquam ſimile, ſatis hinc, quam teneræ ætatis partus iſte fuerit, intelligis. Si conferas POLITIANI laborem cum illo PULCII, uterque, quantum ad externam formam, egregie inter ſe conveniunt. Idem in utroque genus carminis, quod *Rimam octavam* vocant Itali, ita nempe comparatum, ut ſtrophas ſingulas octo verſus prorſus æquales abſolvant. Eadem porro menſura Carminum, ut vere utrumque dici poſſit magnificum, & tanto dignum Principe. In eo tamen differunt inter ſe, quod Carmen PULCII uno quaſi ſpiritu, & continuo afflatu Phœbi, effuſum, POLITIANI labor duobus libris diſtinctus ſit, quorum alter ſtrophas 125, alter non niſi 46, continet, ſed cui ultimam manum, quod dolemus, non impoſuit POLITIANUS; id quod tam ex lectione Carminis, quam ex notula, eidem in editione anni 1537 Veneta ſubjuncta, nemini obſcurum eſſe poteſt. Caret igitur fine ſuo politiſſimum hoc Opus, etſi ſic ſatis ſplendidum, & cuilibet iſtius linguæ perito cum voluptate legendum. Non ipſe id POLITIANUS, ſed ALEXANDER SARTIUS, amicus ejus, edidit, qui, cognita Carminis præſtantia & dignitate, vulgandum id dedit NIC. ZOPINO, Typographo Veneto, ut ipſe nos docet in Epiſtola vernacula ad ANTONIUM GALEATIUM BENTIVOGLIUM, Protonotarium

rium Apostolicum, & Archi-Diaconum Bononiensem, cui dedicatum opus, huic Carmini subjuncta. Sed Epistolam hanc ea ex parte, qua ZOPPINI mentionem fecit, non ab ipso SARTIO compositam, sed confictam a ZOPPINO, neque ab hoc primum, sed jam ante Bononiæ a PLATONE DE BENEDICTIS, publicatum Carmen ipsum, docemur ab APOSTOLO ZENO in *Catalogo editionum* hujus & aliorum POLITIANI *Carminum* vernaculorum, quem legimus in fronte hujus Carminis, ab eodem ZENO *Patavii A. 1728* editi. Ejus *Indicis* filum secuturi, hujus Carminis editiones jam ad unam omnes commemorabimus. Quod antequam fiat, docendi sunt Lectores nostri, in his paucas esse, quibus non accesserit alterum illud Carmen vernaculum, *Orfeo* inscriptum, cum ceteris minoris formæ cantiunculis, de quibus post dicemus. Primum igitur, ut temporis rationem habeamus, prodiere hæc *Carmina Bononiæ, ex officina Platonis de Benedictis, forma* 4, sub titulo: *Le Cose vulgari del Poliziano.* Annum non addidit ZENUS, quod codice uteretur mutilo, cui ultima deesset pagina; suspicatur autem, sub finem Seculi XV prodiisse librum, quo tempore clarum inprimis PLATONIS nomen fuerit, typographi in arte sua excellentis, & qui primus Italis suis libros nitide eleganterque typis exscriptos dederit. In eadem urbe A. 1503 *Caligula Bazalierus* protulit *Stanze ed altre Rime di M. Angiolo Poliziano, forma 8,* quibuscum juncta SERAFINI DE AQUILA nonnulla, & quæcunque sunt in hujus mortem scripta, Carmina, nescio, quo argumento, ZENUS conjicit. Post *Bononienses* editiones, primam *Venetam A. 1505, forma 8,* MANFREDUS DI BONELLO curavit; cujus & mentionem injectam video a JO. MAR. CRESCIMBENIO in *Istor. della volg. poes. Lib. I. p. 17.* Hanc excepit altera *Veneta A. 1513, d. 12 Martii*, a GEORGIO DE' RUSCONI, Mediolanensi, rogatu NIC. ZOPPINI & VINCENTII COMPAGNI, *forma 8*, publicata; cui præmissa est illa SARTII ad BENTIVOGLIUM Epistola, ex parte a ZOPPINO conficta, quam paulo ante nominavimus; unde, earum, quas curavit ZOPPINUS, antiquiorem hac nullam fuisse editionem, Cl. ZENO probabile videtur. Est autem hæc typographicis erroribus corrupta maxime, ideoque parvi æstimanda. Eandem novis typis exscribendam curavit, eadem forma, ejusdemque con-

filio ZOPPINI & COMPAGNI, RUSCONUS ille, *die 14 Mart. A. 1515*, regente urbem Venetam Illustri Principe, LEONARDO LAUREDANO. Altero anno post, *die 10 Nov.* eadem in urbe denuo hæc Carmina a Marchione SESSA & PETRO DE RAVANO, Bresciano, & *A. 1518 d. 20 Oct.* tertia vice a RUSCONI illo, *forma 8*, edita sunt, cum hoc rubro: *le Cose volgari del celeberrimo Messer Angelo Poliziano: sue Stanze, e Canzoni pastorali; altre cose elegantissime, nuovamente stampate, e ben corrette.* Tum *A. 1519, die 28 Dec. Mediolani Carmina* hæc exiere prelo JOANNIS DA CASTIGLIONE, *forma 8.* Hinc *Venetiis A. 1524, die 22 Mart.* a NIC. ZOPPINO & VINC. COMPAGNO, *forma 8; A. 1526, Cal. Febr.* a TIZZONE GAETANO DI POFI, typis *Jacobi da Lecco, forma 8; A. 1537, mense Februario*, a NICOLAO DE ARISTOTELE, dicto ZOPPINO, *forma 8;* & *A. 1541, in ædibus filiorum Aldi, 8*, novæ horum *Carminum* editiones publicatæ sunt. Harum ultimam, quam & legisse me memini in *Catalogo Biblioth. Lugd. Batav. p. 277*, emendatissimam omnium, quæ ante prodierant, etsi ne sic quidem castigatam satis, Cl. ZENUS dicit. Addit idem, solum hic in JULIANI victoriam equestrem Carmen, nec quidquam præfationis ad Lectorem, legi. Jam aliam *Venetam anni 1544, formæ 8*, ex *Catalogo Biblioth. Hoendorf. P. III. p. 158* ZENUS memorat, quam & notatam video in *Indice Bibliothecæ Franc. Barbarini T. II. p. 228*, & in BERNARDI DE LA MONNOYE *Notis ad* ADR. BAILLETI *Jug. des Sav. T. IV. P. I. p. 59.* Præterea primæ Parti libri: *Stanze di diversi illustri Poeti*, primum *A. 1560*, iterum *1569*, tertium *1570*, *Venetiis* apud *Gabrielem Julium de' Ferrari*, duobus Voluminibus minoris formæ, editi, adjecit hæc Carmina LUDOVICUS DULCIS, nobilissimus Italorum Scriptor. Sed in mutandis Carminum verbis audacior is fuit, & pro ingenio suo singularem *labbia* in pluralem *labbia*, *reddito* in *tornato*, *bobolce* in *bifolce*, mutavit; quæ tamen singula autoritate DANTIS & aliorum Poetarum defendi posse ZENO videntur. Quin eo processit audaciæ, ut ipsum sæpe verborum ordinem perverteret, horumque sensum pro arbitrio immutaret. Neque tamen infeliciter semper in emendando versatum, probat

cor-

corruptiſſimus Carminis in victoriam JULIANI verſus, *Lib. I. St. 7. v. 2*, quem vetuſtiores editiones omnes habent:

Che la figlia di Leda, o ſacro Achille,

in cujus locum ſubſtituit elegantiorem DULCIS:

Che d'Ecuba la figlia, o ſacro Achille,

quem & ipſum nuper in ſua editione idem ZENUS retinuit. Earum, quas memorat Cl. ZENUS, editionum ultima eſt, quæ A. 1577 Florentiæ ex officina *Bartholomæi Sermartelli*, *forma 8*, prodiit. Ab eo tempore deſiere hæc Carmina prela Italorum exercere, donec *Patavii A. 1728* novam, eamque emendatiſſimam, Carminis in JULIANUM editionem ex officina *Cominiana*, *forma 8 maj.* exire juſſit celeberrimus Vir, APOSTOLUS ZENUS. Acceſſit huic Carmen POLITIANI amatorium, quod primus publicaverat JO. MAR. CRESCIMBENIUS in *Iſtor. della volg. poeſ. p. 35*. In edendo equeſtri illo Carmine uſus eſt duabus *Venetis*, altera RUSCONI, quæ A. 1513 prodiit, altera filiorum ALDI, editionibus, nec non Collectione DULCIANA, *A. 1570* publicata; quibus diligenter inter ſe collatis, Carmen nobis & mendis omnibus purgatum, & formis nitidiſſimis excuſum, dedit. Sunt & præmiſſa huic editioni, quæ de Autore Carminis paſſim in *Hiſtoria Italicæ poeſeos* CRESCIMBENIUS tradit. Vetuſtiores editiones barbaram & obſoletam Carminis hujus, ſicut & reliquorum, ſcripturam exhibent; unde, paucos olim fuiſſe, quos horum legendorum cupido inceſſerit, teſtatur DONI, Florentinus, in ſua *Libraria p. 8. a.* De pretio Carminis ii judicent, quibus Italici ſermonis gratiæ & veneres perſpectæ ſunt. Quid JOVIUS & alii de eo ſenſerint, ſupra *§. III.* vidimus. Certe, qui vel leviter in hoc doctrinæ elegantioris genere ſunt verſati, ſublime hic fervidumque ingenium, fictiones ſelectas & minime vulgares, dictiones graves & ſonoras, veterumque Poetarum ſive in fingendo, ſive in eloquendo, artificium, agnoſcunt. Autores *Vocabularii della Cruſca* id ſæpius imitandum proponunt civibus ſuis, & ex eo puræ & caſtigatæ dictionis exempla petunt. Alii ſtudioſe imitati ſunt hujus Carminis elegantiam, & princeps Poetarum Italorum, TORQUATUS TASSUS, integros inde verſus tranſtulit in Carmen ſuum, quod inſcriptum eſt *Hieroſolyma*, qualis eſt ille *Lib. I. St. 95. v. 4*:

Ma vinta è la materia del lavoro,

quem habet POLITIANUS *Lib. I. St. 95.* Conf. APOSTOLUM ZENUM in *Prolegomenis* hujus Carminis, *Patavii A. 1728* editi, *p. 8.* Et ipſe POLITIANUS, ſi quid valet teſtimonium cujusdam FABRICII DA LUNA in *Lexico Etruſco*, *Neapoli* edito *A. 1536*, ſub voce *tromba*, magis ſibi hoc Carmine, quam Operum ſuorum ullo alio, placuit. Sed, id unde compertum ipſi fuerit, nec addit ille FABRICIUS, nec ulla nobis aſſequi conjectura licet. Conf. BERNARDI DE LA MONNOYE *Indicem expurgatorium Menagian.* quem legis *T. I. Commentariorum literar. (Memoires de literature) p. 250.* Contra ALEXANDER SARTIUS, cui ea in re magis credendum, in Epiſtola ad BENTIVOGLIUM, quam modo dixi, Carmen hoc a POLITIANO adoleſcentiam egreſſo tanquam leve & inutile abjectum, & vix pro ſuo agnitum, teſtatur.

(b) De lepidiſſima hac Fabula, carmine polito ſcripta, meminiſti, Lector, paucis a me dictum ſupra *§. XIII. not. (a)*. Sed, quæcunque tunc attuli, ex aliorum Scriptorum teſtimoniis cognovi, ipſo quippe hoc libello deſtitutus, quem merito numerare poſſis in rariſſimis. Jam certiora ex me diſce, Carmen ipſum ante oculos habente. Legitur id nempe ad calcem Carminis in equeſtres JULIANI ludos compoſiti, quod *Venetiis* prodiit *A. 1537*. Oportune hæc Carmina conjunxit ALEXANDER SARTIUS, qui utrumque dedicavit ANT. GALEATIO BENTIVOGLIO Epiſtola vernacula, libellis his ſubjuncta. Sed jam ante, obſtetricante ipſo POLITIANO, in lucem exierat hic *Orpheus*, ut patet ex Epiſtola POLITIANI ad CAROLUM CANALEM, ipſi Fabulæ præmiſſa. Eſt hæc ſine dubio illa ipſa editio, quam *Florentiæ* circa finem Seculi XV editam memorat Cl. APOST. ZENUS in *Indice editionum vernaculorum Politiani Carminum*, de quo paulo ante diximus. In vetuſtiſſima quadam, anni & loci indicio deſtituta, hujus Carminis editione verba inſcripſit Typographus: *La Rappreſentazione della Favola d'Orfeo*, ſicut teſtatur JO. MAR. CRESCIMBENIUS in *Commentar. intorno all' Iſtoria della volg. Poeſ. Vol. I. Lib. IV. Cap. 9. p. 220*; ſed, præter mentem POLITIANI additum *repræſenta-*

ſentationis vocabulum, diſcas ex illa ad CANALEM Epiſtola, qua ſimpliciter opus ille ſuum fabulam dicit. Ex eadem docemur, actum publice in urbe Mantuana, ibidemque intra biduum, continuos inter tumultus, extemporali fere opera, a Poeta noſtro compoſitum, hunc paſtoralem luſum, autoritatem operi conciliante, cujus juſſu ſuſceptum fuerat, illuſtriſſimo Cardinale MANTUANO, cujus & laudes canit admixtum ipſi Fabulæ Carmen Sapphicum Latinum, idem illud, cui locus datus in libello *Latinorum* POLITIANI *Epigrammatum*. Si quid igitur hic obſcœni & incaſti aures legentium offendat, ejus culpam ſcito ad MANTUANUM potius, quam ad Poetam noſtrum, pertinere. In jucundo amoris argumento verſatur fabula, mollior ob id, & paſtorali ludo accommodatior. Ejus ſumma huc fere redit: *Orpheus*, paſtor, tenerrime amat Euridicen; illa viciſſim amat, ſed, morſu ſanguinis petita, repente perit; qua extincta, miſere afflictus *Orpheus*, diras inferorum ſedes petit, ut ſuam ſibi Euridicen reddat, Plutoni ſupplicans; ille redditurum promittit, ſed promiſſo addit legem; lætus cum Euridice in Superorum oras revertitur *Orpheus*, ſed juſſi a Plutone dati immemor, rurſus puellam amittit; quam cum denuo reddi ſibi a Plutone poſtulat, vanas prorſus preces, irrita ſuſpiria, effundit. Gratiam & ſuavitatem fabulæ intermixti paſtorum partim, Ariſtei, Thyrſis, & Mopſi, partim Deorum inferorum, Plutonis, Minois, Proſerpinæ, & Furiæ, cantus addunt. Genus carminis varium eſt, ex omnibus, quæcunque ſunt in Italica poeſi, velut conſutum. Præ ceteris vero magnam artem Dithyrambi oſtendunt, non antea auditi in Italia, etſi Græcis ſatis cogniti. Quo nomine valde commendatur hoc Carmen JO. MAR. CRESCIMBENIO in *Iſtor. della volg. Poeſ. Lib. I. p. 69 ſeq.* & in *Commentar. intorno Iſtor. della volg. Poeſ. Vol. II. P. II. Lib. III. p. 178*, qui & *l. c.* ex eodem ſpecimina profert. Si formam fabulæ externam ſpectes, brevior eſt, ſcenasque paucas habet, veterum Poetarum Eclogis in eo prorſus ſimillima.

(*c*) Dolendum eſt, ea, quæ cecinit vernaculo ſermone POLITIANUS, maximam partem non vidiſſe lucem publicam. Quæ cum Carmine ejus in JULIANUM MEDICÆUM, & Fabula *Orfeo*, exſtant editæ, paucæ ſunt & breviores cantiunculæ. Sequor

 editio-

editionem *Venetam anni 1537*, qua num copia Carminum præſtent ceteræ, jam, deſtitutus illis, non definio. In noſtra cantiones non niſi tres leguntur, una, quatuor Dithyrambis in honorem Bacchi compoſita, cui titulus: *Sacrificio delle bacchante in honore di Baccho*, cui & in *Hiſtoria vernaculæ poeſeos Lib. I. p. 70* locum dedit JO. MARIA CRESCIMBENIUS; altera, Echus amorem canens, cujus verſus ſingulos aptæ reſponſiones Echus claudunt, forſan ex iis una, quas fidibus a ſe accommodatas, & cum Muſicis communicatas, ipſe POLITIANUS refert *Cap. XXII. Miſcellaneorum*, his quidem verbis: *Tales (verſiculos, ſic factos, ut in extremis reſponſitationes ex perſona ponantur, ſententiam explentes, & morem tuentes illius ultima regerendi,) etiam vernaculos ipſi quospiam fecimus, qui nunc a muſicis celebrantur, Henrici modulaminibus commendati, quosque etiam abhinc annos ferme decem Petro Contareno, Veneto, Patricio, non inelegantis ingenii viro, mire tum deſideranti, nonnullisque aliis literarum ſtudioſis, dedimus; tertia, merum amorem ſpirans, & qua commode uti poſſis, amatam tibi puellam ſalutaturus.* Præter hos alium, eumque paſtoralem, & miræ venuſtatis, cantum, ex MSto Codice Ghiſianæ Bibliothecæ, quæ urbem Romam ornat, excerptum, &, quod ad ſcripturæ genus, diligentiſſime a ſe emendatum, in *Hiſt. Ital. poeſ. Lib. I. p. 17* publicavit JO. MAR. CRESCIMBENIUS, & poſt eum APOSTOLUS ZENUS, ſub finem Carminis in JULIANUM, *Patavii A. 1728* editi. Eundem jam olim in editione vernaculorum POLITIANI *Carminum Veneta*, quæ prodiit *A. 1519*, vulgatum, eſt, qui mihi certiſſime confirmet. Meminit & PAULUS BENIUS in *Commentar. in Taſſ. p. 718 Epithalamii* cujusdam, a POLITIANO ſcripti, ſed locum, ubi legi id poſſit, non addit, nec ipſe, curioſiſſimus harum rerum, id vidit unquam CRESCIMBENIUS, ut produnt verba ejus in *Commentari intorna alla ſua volg. poeſ. Vol. II. P. II. p. 187.* Idem CRESCIMBENIUS priores Carminis cujusdam, *in Amorem* decantati, verſiculos profert *l. c. Vol. III. Lib. III. p. 208*, &, unum POLITIANI Carmen Epicum in libro, cujus rubrum: *Scelta di Laudi ſpirituali di diverſi eccellentiſſimi e divoti Autori antichi e moderni, Florentiæ apud Juntas A. 1578, 4*, edito, & in alio, cui

cui titulus: *Raccolta di Canzoni a Ballo, ſtampata a petizione di Ser Piero Pacini da Peſcia*, absque anni & loci indicio, forma 4, vulgato, varios ejus cantus ſaltatorios legi, teſtatur in *Stor. della volg. poeſ. p. 16.* Neſcio, an ſaltatorii hi cantus ſint iidem, quos cum LAURENTII MEDICÆI nonnullis, ipſius ætate POLITIANI, conjunctim editos, idem refert CRESCIMBENIUS in *Commentar. Vol. I. Lib. II. Cap. 12. p. 70.* A NIC. FRANC. HAYM in *Notiz. de' Libri rari nella Lingua Italiana P. II. p. 142* memorari video librum: *Canzone a ballo composte da Lorenzo de' Medici, da* ANGELO POLIZIANO, *e da altri; inſieme con la Nencia da Barberino, e la Beca da Dicomane, compoſte dal medeſimo Lorenzo. In Firenze 1568, 4*; quem ipſum, minime dubito, *l. c.* indicari a CRESCIMBENIO, etſi facile appareat, illa, quam notat CRESCIMBENIUS, multo hanc poſteriorem eſſe HAYMII editionem. Præterea, elegantiſſima quædam POLITIANI Carmina exſtare in LUDOVICI DULCIS Collectione politiſſimorum Carminum, quam ita inſcripſit: *Stanze di diverſi illuſtri Poeti nuovamente raccolte da* LUDOVICO DULCE, *a comodo, ed utile degli ſtudioſi della lingua Toſcana, in Venezia, per il Giolito, 1556, 8*, nec non in alio, inventu raro admodum, libro: *Quinteſſenza dell' erudizione anticha di* GIOVANNI MALEZZI, docet me Amicus quidam Italus, penes quem ejus rei eſſe fidem volo. Plura de Carminibus POLITIANI, ſermone ſcriptis patrio, nolim, expectes, Lector, nec, quæ edita ſunt annis locisque diverſis, an conveniant inter ſe, an argumento aut genere carminis diſcrepent, mihi, quam libenter vellem, pluribus jam licet explicare.

§. 2.

Græce ſcriptum a POLITIANO, præter Epiſtolam unam ad Volaterranum, (*a*) & varii generis Epigrammata, in integrum Volumen collecta, (*b*) nihil exſtat. Hoc major numerus eſt eorum, quæ ſermone is erudito-

ditorum communi, hoc eſt, Romano, condidit. Quæ ipſa in ſuas velut claſſes partituri, dicemus primum de his, quæ ſoluta, tum de aliis, quæ ligata oratione ſunt compoſita. Et in illis quidem numerantur Epiſtolarum ejus Libri XII, (*c*) duæque aliæ, pro Epicteto Stoico, (*d*) & de Ira, in pueris optimæ ſæpe indolis argumento, (*e*) ſigillatim editæ, porro Miſcellaneorum Centuria una, (*f*) Dialectica, (*g*) de Conjuratione Pactiana liber, (*h*) Prælectiones variæ, una, quam inſcripſit Lamiam, (*i*) altera, Panepiſtemon, (*k*) aliæ in expoſitione Homeri, (*l*) Quintiliani & Statii, (*m*) Suetonii, (*n*) & Perſii, (*o*) nec non de Dialectica, (*p*) recitatæ, Orationes etiam ſolennes, pro Oratoribus Senenſium, ad Alexandrum VI, Pontificem Maximum, (*q*) pro Prætore Florentino ad Dominos ineuntes ſummum magiſtratum, (*r*) pro Oratoribus Florentinorum ad Alphonſum, Siciliæ Regem, (*s*) ſimilisque ad eundem alia, (*t*) Latinæ præterea Herodiani, (*u*) Epicteti, (*x*) libri unius Problematum phyſicorum Alexandri Aphrodiſienſis, (*y*) Amatoriarum Narrationum Plutarchi, (*z*) Athanaſiani in Pſalmos Opuſculi, (*aa*) Platonici de Temperantia Dialogi, (*bb*) denique Characterum Theophraſti, (*cc*) interpretationes.

Ad

Ad hæc vero ſpectant elaboratiſſima, Prælectionum habitu induta, Carmina, Nutricia, (*dd*) Ruſticus, (*ee*) Manto, (*ff*) Ambra, (*gg*) cum Prologo in Plauti Menæchmos, (*hh*) Latinis Callimachicæ in Palladis lavacra Elegiæ, (*ii*) Moſchici de Amore fugitivo Carminis, (*kk*) & Sibyllinorum, quos Zoſimus habet, verſuum, (*ll*) interpretationibus, Elegia in Albieram, (*mm*) nec exiguo compoſitiſſimorum Epigrammatum Volumine. (*nn*) Eruditiſſimis his POLITIANI ſcriptis, ſi pauciſſima excipias, jam olim contigit in Volumen integrum compoſitumque redigi, exſtantque Operum ejus junctim publicatorum editiones, ut numero permultæ, ita Editorum diligentia partem maximam cultiſſimæ. (*oo*)

(*a*) Dico, exſtare ſaltem unam; non enim me fugit, plures a POLITIANO ſcriptas, ſed quas noluit is ad poſteros venire, ut pluribus dictum eſt ſupra *Sect. I. §. IX. not.* (*k*), unde &, ſi quid aliud de iſta ad VOLATERRANUM Epiſtola edoceri cupis, per me licet, id petas.

(*b*) Quid dicendum ſit de *Epigrammatum* iſtorum pretio, non jam ex me quæris, Lector, qui probe meminiſti eorum, quæ eam in rem a me prolata ſunt ſupra *Sect. I. §. IX. not. (l)* & *(m)*, & *§. X. not. (s)* & *(t)*. Superſunt igitur, quæ memorentur hic, pauciſſima. In integrum Volumen collecta publicare hæc ipſe olim, paucis ante mortem diebus, POLITIANUS deſtinaverat, ut ſatis patet ex Epiſtola ejus ad ANTON. URCEUM CODRUM, *Lib. V. Ep.* 7, cui ſpeciminis loco illa *in Venerem emergentem, in armatam Venerem, in Lacænam, in Organum, in Puerum,* & *in Hermaphroditum,* miſit, quique conſilium hoc conjunctim Græca illa Carmi-

na edendi, in Epiſtola ad POLITIANUM, illam ſtatim ſubſequente, probat laudatque vehementer; ſed, morte immatura præventus, reliquit id muneris ZENOBIO ACCIAJOLO, doctiſſimo illius ætatis, variiſque in bonas literas meritis nobiliſſimo, viro, qui altero ſtatim a morte POLITIANI anno, ne interirent tam excultæ doctrinæ monumenta præſtantiſſima, ex ipſo POLITIANI archetypo Volumine publicanda hæc curavit. Diſcas id ex Epiſtola hujus ACCIAJOLI *ad Studioſos*, Calendis Decembribus A. 1495 ſcripta, & ipſi huic *Epigrammatum* libello præmiſſa. Mihi vero, perquirenti ſive *Typographicos* MATTARII *Annales*, ſive, quotquot ad manus fuerunt, *Bibliothecarum Indices*, nulla obvenit horum *Epigrammatum*, anno 1495 aut 1496 vulgata, editio, ut non ſingulari hæc libello, ſed cum reliquis POLITIANI *Operibus*, ſive quæ *Florentiæ A. 1497*, ſive quæ *Venetiis A. 1498* prodierunt, edidiſſe primum videatur ACCIAJOLUS. De *Florentina* editione nihil certi definio, quippe quæ nondum venit in manus meas; at in *Veneta*, qua ipſe utor, leguntur utique hæc *Epigrammata*, cum ipſa ACCIAJOLI, Editoris, Epiſtola. Poſtea aliis omnibus, *Aſcenſiana* nempe, *Gryphianæ*, & *Epiſcopianæ*, *Operum* POLITIANI editionibus acceſſerunt. Sigillatim vero, quod ſciam, nunquam prodierunt, niſi quod maximam eorum partem ſuæ Collectioni Ἐπιγραμμάτων ἑλληνικῶν τῶν παλαιῶν ποιητῶν καὶ ἐπιταφίων, ſeu *Epigrammatum veterum Poetarum atque Epitaphiorum, Baſileæ, ex officina Hervagiana, A. 1538, 8*, editæ, *a p. 97 ad 100* adjecit JOACH. CAMERARIUS. Id me docet Cel. JO. ALB. FABRICIUS in *Biblioth. Græc. Vol. XIII. p. 495.* Unum vero illud *in Varinum Camertem* frontem ornat *Dictionarii Græci*, autore hoc ipſo CAMERTE ſcripti, editique *Romæ A. 1523*; idemque præmiſſum exſtare ejusdem CAMERTIS *Theſauro Cornu Copiæ & Hortis Adonidis, Venetiis A. 1496* ab ALDO vulgatis, teſtantur MICH. MATTARIUS in *Annal. Typogr. T. I. p. 84. ed. nov.* & Cl. APOSTOLUS ZENUS in *Giorn. de' Letter. d' Ital. T. XIX. p. 98.* *Epigrammatum* horum ſexaginta ſunt numero; eſtque in his unum ALEXANDRÆ SCALÆ, plenum amoris in POLITIANUM, qui elegantis hujus Poetriæ laudes paſſim in hoc *Epigrammatum* Volumi-

lumine molliter & jucunde canit. Permulta horum *Epigrammatum* a POLITIANO pæne puero conſcripta, quædam vero inambulanti etiam, aut cœnanti, veluti repentino calore fuſa, & *l. c.* ACCIAJOLUS teſtatur, & ipſe ſupra dicere me memini. Quæ vero ſint illa, ſive a puero, ſive ex tempore, fuſa, ipſa POLITIANI, adjecta paſſim *Epigrammatibus*, nota te docebit. In illis *in Organum* elegis æmulatus eſt JULIANUM, Medicæum Principem, cujus de eodem argumento verſus heroici exſtabant; id quod libere fatetur Noſter in *Epiſt. ad* CODRUM, paulo ante dicta. Habes præterea in hoc libello nonnulla, non tam conficta a POLITIANO, quam ex Latino ſaltem in Græcum translata, *Epigrammata*, quale eſt vetuſtum illud GERMANICI *de Puero Thrace*, & aliud PULICIS *de Hermaphrodito*, nec non ignoti Autoris de effoſſis nuper antiquæ urbis fragmentis. Argumenta Epigrammatum varia ſunt & exquiſita, amatoria alia, in quibus ardent amoris igniculi, alia laudibus illuſtrium virorum plena, alia ad Deum effuſa, alia denique in rem obviam quamcunque ſcripta. Genus carminis aut Heroicum eſt, aut Elegiacum; in reliquis nihil tentavit Noſter. Singula hæc, quæcunque exſtant, POLITIANI Epigrammata, ſicut & alia, quæcunque Græce leguntur in POLITIANI ſcriptis, JACOBUS THUSANUS, quem & alii THUSSANUM dicunt, Græcæ linguæ in Academia Pariſienſi ſub Seculi XVI initia Profeſſor, in Latinum ſermonem tranſtulit, rem gratam ita facturus iis, quos a lectione horum Carminum abſterrere poſſet ſermonis Græci imperitia. Addidit is interpretationem hanc, non poeticam, nec ſingulari arte ſcriptam, ſed proſaicam, & ſimpliciſſimam, *Aſcenſianæ Operum* POLITIANI, quæ *Lutetiæ A. 1519* prodiit, editioni, unde hæc in reliquas deinde, quæ ab eo tempore vulgatæ ſunt, eorundem *Operum* editiones migravit. Concinnius vero carmine Latino horum nonnulla expreſſit CASP. BARTHIUS, ut dixi ſupra *Sect. I. §. IX. not. (m)*.

(c) Primum merito inter ſcripta POLITIANI Latina locum occupant *Epiſtolarum* ejus *Libri XII*, compoſitiſſimi quippe, nec uno nomine in præſtantiſſimis omnium habendi. Conſentiunt in eo nobiſcum, præter alios, Autores Diarii *Hiſt. crit. de la Republ. des Lettr. T. III. p. 235.* Nam, ut de ſtilo harum *Epiſtolarum* jam nihil dicam, cujus elegantiam & nitorem quanti fecerint, tam

ſuperiori, quam noſtra, ætate, ſubtiliſſimi palati Critici, curate diligenterque expoſitum a nobis ſupra *Sect. I. §. XI* meminiſti. In eo ſingulare hæ quoddam præcipuumque decus oſtendunt, quod in ipſis ſcribendi argumentis nihil ſit vulgare & inutile, nec ii tantum, qui orationis nitore delectantur, ſed illi etiam ipſi, qui rerum inprimis pondera ſectantur, ingenii hic ſui paſtum habeant. Sunt enim argumenta *Epiſtolarum*, ſi non omnium, plurimarum tamen, ſelectiſſima, ex omni genere doctrinæ elegantioris, Hiſtoria inprimis, Philologia, & antiquitatibus, petita. Ipſum Operis principium fulgidiſſimæ gemmæ inſtar ornat politiſſima ad PETRUM MEDICEM Epiſtola, Dedicationis locum ſuſtinens; in qua dum id maxime agit Noſter, ut harum Epiſtolarum ſcribendi genus ab aliorum, ſi qui futuri ſint aliquando, accuſationibus defendat, tam docte id præſtitit, tamque exquiſitis Autorum veterum exemplis munivit cauſam ſuam, ut integro, eoque eruditiſſimo, Commentario illuſtrandam hanc Epiſtolam duxerit clariſſimus Gallorum, BERNARDUS DE LA MONNOYE. Legitur is, cum ipſa POLITIANI Epiſtola, in *Menagian. T. III. a p. 560 ad 599*, tanto Autore prorſus digniſſimus, & omni diligentia, quæ expectari poterat ab illius doctrinæ viro, compoſitus. De eadem POLITIANI Epiſtola honorificum eſt judicium Autoris Diarii: *Hiſtoire crit. de la Republ. des Lettr. T. III. p. 236 ſeq.* ſed cui tamen POLITIANUS in verbis: *Stilus dicetur obſcurus; at eſt ad Atticum talis M. Tullii*, injuriam videtur CICERONI facere, quod non per ſe obſcuræ ſint, ſed nobis ſaltem, rerum illo tempore geſtarum ignaris, tales putentur illæ TULLII. Sed recte monet BERNARDUS DE LA MONNOYE in *Notis ad h. l.* ex opinione vulgi, ita plerumque judicantis de TULLIANIS *ad* ATTICUM *Epiſtolis*, locutum hic POLITIANUM, ut qualecunque inde cauſæ ſuæ præſidium peteret. Quæ hanc ſubſequitur, altera *Libri I Epiſtola*, urbis Florentinæ originem & ultimas antiquitates ſcrutatur, &, ſcripturam *Florentiæ* longe præferendam corruptiori *Fluentiæ*, oſtendit, idque tam clare & erudite, ut eo nomine plauſum tulerit VINETI in *Flor. Lib. III. Cap. 21*, GELENII in *Notis ad Plinii Hiſt. nat. Lib. III. Cap. 5*, ORTELII in *Lex. Geogr.*

Geogr. ſub voc. Florentia, HIERON. SURITÆ in *Not. in Antonini Itinerar. p.444*, & præ ceteris ANDR. ALCIATI in *Not. ad Taciti Annal. Lib. I. Cap. 79. p. 245*, qui, helleboro, ait, opus eſſe iis, qui *Fluentia* ſcribant. At Autorem Diarii *Hiſt. crit. de la Rep. des lettr. l.c. p.239* id male habet, quod in rem ſuam traxerit POLITIANUS locum PLINII *Lib. XIV. Cap. 3*, ubi nomen exſtet *Florentiæ*; quandoquidem inſpicienti cuique appareat, non urbem illam Etruſcam PLINIO, ſed aliquod genus vitis, indicari. Recte ita; neque vero hæc ignorabat POLITIANUS. Vitem PLINIUS nominat *florentiam*, ſed ita cognominatam ab ipſa Etruſca civitate. Lege PLINIUM, nec erit dubitationi locus ullus: *Thuſcis peculiaris eſt Tudernis, atque etiam ejus nominis Florentia.* Quid enim apertius, quam ab urbe Florentia vitem illam appellatam, ſicut a Tuderne, vetuſto Tuſcorum oppido, alia Tudernis? Itaque feliciſſima conjectura POLITIANUM a nomine vitis ad ipſam urbis appellationem duxit. In ejusdem *Libri Epiſtola 16*, interrogatus a POMPONIO LÆTO de corruptiſſimo loco VALERII FLACCI *Lib. V. verſ. 148 ſeq.* tam feliciter hanc emendavit, ut reſtitutam ab eo lectionem vehementer probent Commentatores FLACCI, ÆGID. MASERIUS, LUD. CARRION, GERH. VOSSIUS, NIC. HEINSIUS, LAMPERTUS ALARDUS, & noſtræ ætatis decus, PETRUS BURMANNUS. Pergimus ad reliquas *Epiſtolas*, pleniſſimas bonæ frugis, nec cum voluptate tantum, ſed inprimis etiam cum fructu quodam, legendas. Pro PLINIO, quem NIC. LEONICENUS reprehenderat, quod *ciſthon* pro *hedera* acceperit, fortiter pugnantem ANGELUM *Lib. II. Ep. 6* vides, ut rei herbariæ vix quemquam POLITIANO peritiorem exiſtimes. Mortem LAURENTII, Medicæi Principis, copioſa & jucunda narratione perſequitur *Lib. IV. Ep. 2*, quam ob dictionis partim venuſtatem, partim rerum momenta, reliquarum fere reginam dixeris; de TERTULLIANI libris & doctrina ejusdem Libri *quinta* tradit; *octava* miræ ſtructuræ machinulam avtomaton, a LAURENTIO quodam Florentino conſtructam, deſcribit; *nona* ſcripturam vocum *quodannis, quodquod, adque, adgredior*, tuetur. *Libri V prima* uſum vocum vetuſtiorum propugnat, &, quomodo imitandi ſint Auto-

res veteres, docet; *quinta* de ſcriptura nominis *Vergilius*, & vocum *toties*, *quoties*, *intellego*, *aduleſcens*, *Carthaginienſis*, nec non de uſu vocis *ferruminator*, diſſerit; *undecima* JCtorum veterum, quorum verba in Pandectis leguntur, indicem hiſtoriamque brevem condit. *Libri VI prima* in *Sylvas* STATII Annotationes nonnullas, easque illo ingenio dignas, continet. *Libri VII decima quarta* legendam præbet Latinam MOSCHICI *de Amore fugitivo* Carminis interpretationem, & *de Violis* Elegiam; *decima quinta* concinnum in PLAUTI *Menæchmos Prologum* exhibet; *trigeſima ſecunda* docte agit de *Thymele* & *Latino*, nec non de *galli gallinacei* cantu; *ultima*, quid ſint τρώξιμοι apud Jureconſultos, num *ima dies* ſit vitæ ultima, cur *cottidie*, *quotiens*, *culcita*, ſcribendum, oſtendit. *Libri VIII decima ſexta* POLITIANI & PAULI CORTESII doctam de imitatione veterum Scriptorum diſceptationem continet. *Libri X decima tertia* ponderum menſurarumque nomina colligit. *Libri XI vigeſima*, *albæ lineæ* proverbium quid notet, explicat; *vigeſima quinta* legem *tituli Pand. de Verb. Obligat.* ex archetypo JUSTINIANI Codice deſcriptam ſiſtit. *Libri XII prima* de HERMOLAI BARBARI *Plinianis Caſtigationibus* ſententiam dicit; *ſeptima*, dierum ſingulis menſibus obſervationes, HESIODO ſolennes, ſintne cauſis magis naturæ, an magis credulitati vulgi, tribuendæ, disquirit. Indicavimus earum, quæ ſine cura & labore multo ſcriptæ non ſunt, præcipuas, quibus ſimiles, ſi id nunc ageremus, addi multæ poſſent, aut integrum aliquod doctrinæ elegantioris argumentum explicantes, aut velut in transcurſu novum aliquid & ſingulare obſervantes. Taceo, illorum temporum hiſtoriam multum lucis accipere ex his *Epiſtolis*, & de domus Medicææ ſplendore, nec non de Italorum, quos tulit ætas illa, ingeniis & doctrina, multa hinc diſci, quæ apud alios fruſtra quæras. Quin, ipſa POLITIANI fata & in literas merita ſi ſpectes, quam hæc nemini obſcura eſſe poſſint *Epiſtolarum* libros perquirenti, noſtro ipſi per integram hanc Commentationem exemplo oſtendimus. Bene vero laudabiliterque in eo factum a POLITIANO, quod, præter ſuas, alias aliorum, easque cultiſſimas, & lectu cumprimis dignas, intulit in hoc Volumen Epiſtolas. Habes enim hic

hic multas doctiſſimorum illa ætate virorum, JOANNIS PICI MIRANDULÆ, HERMOLAI BARBARI, POMPONII LÆTI, BAPTISTÆ GUARINI, PHILIPPI BEROALDI, NIC. LEONIÇENI, HIERON. DONATI, CALLIMACHI, LUD. ODAXII, M. ANT. SABELLICI, LUCII PHOSPHORI, Pontificis Signini, JAC. ANTIQUARII, CÆSARIS CARMENTI, BARTHOLOMÆI SCALÆ, ANT. CODRI URCEI, FRANC. PUCCII, AUGUSTINI MAPHEI, JO. FRANC. BENEDICTI, MARSILII FICINI, MACARII MUTII, Equitis, TYDEI ACCIARINI, BACCII UGOLINI, ALDI MANUTII, MATTHÆI BOSSI, PAULI CORTESII, GEORG. MERULÆ, BARTHOL. CHALCI, PETRI CRINITI, MICH. ACCIARII, SCIPIONIS CARTEROMACHI, Principum etiam illuſtriſſimorum, JACOBI, Cardinalis Papienſis, FRANCISCI PICCOLOMINEI, Cardinalis Senenſis, INNOCENTII VIII, Pontificis Maximi, LAURENTII MEDICÆI, Principis Florentini, LUDOVICI MARIÆ SFORTIÆ, Mediolanenſis Ducis, & ipſius Luſitanorum Regis, JOANNIS. In quibus paucæ ſunt, quas non ſermonis partim ſuavitas, partim argumenti dignitas, commendet; quæ ipſæ tamen, ſi quæ ſint, non leve ad illuſtrandas POLITIANI *Epiſtolas* momentum habent. Neque vero ERASMO aſſentimur, iſtas aliorum Epiſtolas ideo conjunctas a POLITIANO cum ſuis perhibenti in *Ep. ad* GUIL. BUDÆUM, quæ eſt inter *Epiſtolas* ejus *p. 273*, ut, cum ceteris comparatæ, *magis eluceſcerent ſuæ*. Quid enim, ſi gloriæ inprimis ſtudioſus fuit, cur illas PICI, BARBARI, BEROALDI, MANUTII, LÆTI, CODRI, aliorum, addidit, compoſitiſſimas profecto, &, ſi non elegantiores illis POLITIANI, forſan his æquales tamen? Cur elucubratiſſimas inprimis JO. PICI & HERM. BARBARI de genere dicendi Philoſophorum intexuit *Libro IX. n. 3, 4, 5*, bona quippe multa continentes, quæ ſcire intereſt Lectorum? Quod vero ſub finem *Libri XII* multæ BARBARI, ad Italorum quoscunque ſcriptæ, inter quas eruditiſſima *de ferculis* habetur, cum ejusdem *in Paraphraſin Phyſices Themiſtii*, *in Caſtigationes* ſuas *Plinianas*, & *libros Ariſtotelis*, *Præfationibus*, nonnullisque *Orationibus*, comparent, id non POLITIANI, ſed

ejus,

ejus, qui, exſtincto illo, edidit *Epiſtolarum* libros, factum conſilio exiſtimem, ſicut nec binæ illæ PETRI CRINITI ad ALEXANDRUM SARTIUM, Libro eodem obviæ, quæ de morte POLITIANI commemorant, addi a vivente potuerunt. Porro, ſi omnia hic tribuis gloriæ inani ſtudio, quid eſt, quod exulare juſſit hoc Volumine illam PETRI BEMBI, ad ſe ipſum datam, quæ exſtat *Libro I. Epiſtolarum* BEMBI *familiarium*, pleniſſimam ſane laudum POLITIANI, & cujus vel illa permulcere Noſtrum poterant: *Nemo eſt doctorum hominum, quos ego omnes ſanctiſſime me hercule omnium & puriſſime colo, cui gratificari porro tam cupiam, quam tibi — — ſum veritus, ne, ſi emendare tibi librum voluiſſem, Phormionem Philoſophum imitarer, auſum Imperatori Hannibali præcipere, quibus artibus optime res ipſa procederet militaris.* Quid eſt, quod alias removit, quas, ad ipſum datas, minime expertes obſervantiæ & humanitatis fuiſſe, ipſius paſſim teſtimonia nos docent? Qualis eſt, quam ad POLITIANUM a ſe datam teſtatur POMP. LÆTUS in *Epiſt. ad* POLITIANUM, *Lib. I. Epp.* POL. *Ep. 17*: *Ego, quid de perſpicaciſſimo ingenio tuo ſentiam, una epiſtola, & longa quidem, explicui, quanquam in ea re quid longum eſſe poteſt?* quæ ipſa nec inter Epiſtolas ANGELI, nec uſquam alibi, apparet. At omnium minime exprobrare hæc POLITIANO ERASMUM decebat, cujus nec ipſius Epiſtolæ alienis carent, ſive ab ERASMO, ſive ab alio quocunque, additis. Idem a PICO olim, FICINO, MURETO, aliisque, factum, quos ſi minime vituperandos putas, eodem jure uti quidni POLITIANUM patiamur? Hunc ſi audias, nullam ob rem aliam ſuis admiſcuit alienas, quam ut juſti Voluminis formam acciperent Epiſtolæ, ſine additamentis his exiles admodum futuræ. *Verum tamen*, inquit in Epiſtola ad PETRUM MEDICEM, *Lib. I. Ep. 1*, *ut inſtar voluminis efficerem, nonnullas etiam, miſſas ad me, ſed a doctis duntaxat, inſerui, quæ marcentem quaſi ſtomachum lectoris excitarent.* Cum his, velim, conferas, quæ ſupra *Sect. I. §. XI* diximus. Neque vero putandum, quicquid unquam a POLITIANO ſcriptum Epiſtolarum eſt, contineri libris hiſce; ſed periere his plures longe, annis maxime juvenilibus ſcriptæ, quo tempore cum nihil minus quam de edendis aliquando Epi-

ſtolis

ſtolis cogitaret, nec ipſa harum exempla ſervanda ſibi putavit. Diſcas id ex his, quæ Noſter ad PETRUM MEDICEM *l. c.*: *Neque collegi tamen univerſas : id enim laborioſius, quam Sibyllæ folia. Non ſcripſeram videlicet ad hoc, ut in unum corpus referrentur, ſed ad uſum præſentem duntaxat, oblatis argumentis, non quæſitis. Ita nec exempla mihi retinui, niſi quarundam, puto minus felicium, quæ diu jam cum blattis & tineis rixabantur.* Et, vere hæc dicta, res ipſa docet. Integrum *Epiſtolarum* corpus perveſtiganti, plurimæ poſt annum Seculi XV nonageſimum, pauciſſimæ ante octogeſimum, ſcriptæ obveniunt, ut videatur ſub vitæ demum finem de retinendis Epiſtolarum apographis cogitaſſe Noſter. Præterea in promtu nobis eſt *Epiſtolarum* POLITIANI quadriga, non obviarum in hoc Volumine, ſed quarum notitiam comparatam nobis aliunde habemus. Non invidebimus has Lectori, tum quod breviores ſint & minime vulgares, tum quod uſui eſſe poſſint, ſi quis novam ſit aliquando, id quod maxime in votis habeo, harum *Epiſtolarum* editionem paraturus. Unam dedit ad LAURENTIUM, Medicæum Principem, cui MATTHÆUM BOSSUM, Veronenſem, librumque ab eo ſcriptum, vehementer commendat. Hanc JO. MABILLONIUS in *Muſei Ital. T. I. P. I. p. 173* præfixam teſtatur ejusdem BOSSI libro *de veris ac ſalutaribus animi gaudiis*, editionis anni 1491, ejus ſine dubio, quam *Florentiæ* vulgatam a FRANCISCO BONACCURSIO, *forma* 4, docet MICH. MATTARIUS in *Annal. Typogr. T. I. p. 535. edit. nov. Argentoratenſem* etiam *anni 1509*, a MATTHÆO SCHURERIO vulgatam, indicat P. JUL. NEGRI in *Iſtor. degli Scrit. Fior. p. 47*, & ex eo, ut videtur, BERNARDUS DE LA MONNOYE in *Mem. de Lit. T. I. p. 250*, ſed de qua certi affirmare nihil poſſum. Idem MABILLONIUS hanc, quod nuſquam alibi exſtaret, *l. c.* integram profert Epiſtolam; unde & nos ipſi excerptam hic in commodum Lectorum dabimus : *Angelus Politianus Laurentio Medici, patrono ſuo, S. Sapienter, ut cetera, Laurenti, facis, qui ſanctos iſtos extremæ Quadrageſimæ dies conſumere in Agnano tuo malueris, quam Florentiæ. Quis enim tutior portus, in quem de tantis occupationum fluctibus enates, quam Tyrrheni littoris amœniſſimus iſte ſinus atque ſeceſſus,*

ubi quasi quoddam naturæ certamen sit & gratiæ? Sed ego quoque, tuum imitatus exemplum, ceu fugitivus urbis, assiduus in Fesulano fui, cum Pico Mirandula meo; cœnobium illud ambo regularium Canonicorum frequentavimus, avi tui sumtibus exstructum. Quin Abbas in eo, Matthæus Bossus, Veronensis, homo sanctis moribus integerrimaque vita, sed & literis politioribus mire cultus, ita nos humanitate quadam sua tenuit, & suavitate sermonis, ut ab eo digressi, mox ego & Picus soli propemodum relicti, (quod antea fere non accidebat,) nec esse alter alteri jam satis videremur. Hoc ille, arbitror, sentiens, Dialogum nobis a se compositum de Salutaribus animi gaudiis obtulit quasi vicarium: cujus materia stilusque nos ita cepit, ut, quamdiu quidem legebamus, facile Autoris præsentia careremus. Eum igitur ego Dialogum mitto ad te quoque, Laurenti, quem subter pineta ista leges ad aquæ caput. Delectaberis, arbitror, argumento, sensibus, indole, nitore, varietate, copia; nec in eo tamen domesticas quoque laudes desiderabis: ac, si tuus etiam accesserit calculus, dabitur opera protinus, ut in multa liber exemplaria transfundatur. Vale. Non accessisse hanc Epistolam reliquis POLITIANI, conjunctim editis, hoc magis miror, quod vivente adhuc POLITIANO adjecta sit libello BOSSI, unde facile transferri deinde in ipsum *Epistolarum* Volumen potuerit. Altera præmissa est libro rarissimo VARINI CAMERTIS, cui rubrum: Θησαυρὸς, Κέρας Ἀμαλθείας, καὶ Κῆποι Ἀδώνιδος, seu *Thesaurus Cornu Copiæ, & Horti Adonidis,* ALDI MANUTII opera *Venetiis* publicati *A. 1496,* non, quod BERNARDUS DE LA MONNOYE *l.c.* tradit, *A. 1504.* Hanc ex parte MICH. MATTARIUS *l.c. T.I. p. 83. edit. nov. in notis,* integram vero Clarissimus APOSTOLUS ZENUS in *Giornal de' Letterati d'Italia T. XIX. p. 106* exhibet, dignissimam, meo judicio, quam hoc in loco nostrates legant: *Angelus Politianus Varino Camerti suo S. D. Consulis me, Varine, de novi operis editione, quo tu videlicet inclinationes omnes paulo remotiores Græcæ linguæ breviter, ac dilucide, perque ordinem literarum, complexus es. Ego vero te, ut edas, quam maxime adhortor: quippe usui magno futurum Græca discere cupientibus, tibique immortalem gloriam pariturum.*

Mihi

Mihi certe (quid enim dissimulem?) gratissimum facies. Nam, cum te semper habuerim quasi eximium inter discipulos utriusque linguæ, meaque tibi in literis etiam arcana retexerim, quod tu homo gratissimus libenter & profiteris, & prædicas, nimirum scilicet ad me quoque portio aliqua tuæ tantæ laudis redundabit. Hoc idem, puto, & Carolus ipse tuus Antenoreus, honestus adolescens, exoptat, ejusdem tecum laboris particeps. Quid autem diximus: ac non potius noster: quando utrique pariter operam dedit? Is enim, quamvis acerrime nunc philosophetur, quoniam tamen peripateticus est, non stoicus, gloriam profecto aspernari linguæ ejus non potest, in qua cum paucis excellit. Ede igitur bonis avibus operosissimum librum, non Latinis modo, sed etiam Græcis (puto) ipsis, sua discere volentibus, profuturum. Mitto autem ad te Græcum quoque Epigramma nostrum, quod nuper lusimus, ut (si tibi videbitur,) in fronte ipsa operis imprimatur. Vale. Tertiam, ad JO. PICUM de Carmine quodam PANDULPHI COLLENUCII scriptam, unus, quantum scio, nobis servavit LIL. GREG. GYRALDUS in *Dial. II. de Poetis suor. temp. p.m. 563*, non indignam, quam cum reliquis eadem pagina jungat: *Promiseram, venturum mane ad te, ut Indum illum hospitem de rebus patriis una tecum audirem fabulantem, sed unctior culina me rapuit. Pandulphus Collenucius, Præt. Urb. Carmen pro rostris, ineunte summo magistratu, pronuntiavit. Materia Laudes Urbis. Sedi ego ad pedes dicentis in ipso suggestu, conspicuus omnibus. Omnes enim plane confluxerant, qui sic ab ore dicentis pendebant, ut ad unum putares literatos. Carmen grande, varium, cultum, nisi forsitan fefellit actio, certe potuit fallere, fuit enim plane Roscius. Mihi tantum tribuit, ut, cum quid eminebat, oculos ad me statim, quasi gaudens agnosci: sed exibit, puto, & claustra perfringet; etenim, qua forma est, diu latebras ferre non potest. Vale.* Ultima Epistolarum, huc usque parum cognitarum, data est ad PAULUM CORTESIUM, hominem POLITIANO amicissimum, continetque laudes CORTESIANI *de Hominibus doctis Dialogi.* Hanc, indignissimis diu tenebris sepultam, nuper demum A. 1734, una cum ipso CORTESII *Dialogo*, cujus Codici MSto præfixa legebatur, ex Membranis Sangeminianensibus descriptam, Florentiæ

 publi-

publicavit ALEXANDER POLITUS, (hunc enim, si quid ex Dedicatione Typographi conjicere licet, Editorem putamus,) qui & *Dialogo* præmisit *Vitam* CORTESII, ubi *p. 14* inserta legitur hæc ipsa Epistola. Nos vero, cum nondum sit in omnium manibus libellus, quidni operæ pretium putemus, & hoc in loco legendum dare eruditis POLITIANEÆ industriæ exquisitum monumentum? En integram: *Quid de tuo sentiam Dialogo, vix audeo quidem sine cunctatione proferre. Nam nec invidiæ objicere Amicum, nec dissimulare tamen judicium, volo. Sed tamen aut amore labor, aut libello tuo nobilior est indoles, quam quæ videri continuo temporum possit. Censuram sic agis literatorum, ut, quod est arduum, candorem pariter tuum probes, & libertatem. Certe inest operi quædam super istius ætatis captum quasi maturitas: illa non tempestiva, non præcox. Stili quoque voluntas apparet optima, &, ut auguror, a summo non diutius absutura. Postremo, ut semel dicam, Phosphori sententiæ non accedo solum, sed & faveo. Tuæ deinceps erunt partes, ut, quam modeste gloriam, tam fortiter invidiam, feras. Vale.* De illis, quas vernaculo sermone scripsit, quarum specimen in fronte fabulæ *Orpheus* legis, jam nihil dico, quippe quas cum Latinis conjungi, nunquam voluit POLITIANUS. Harum, quotquot vulgo leguntur in unum volumen collectæ, Epistolarum editionem ipse animo conceperat olim POLITIANUS noster, idque jussu PETRI MEDICÆI, ut facile cognoscas ex illis in Epistola ad hunc PETRUM, *Lib. I. Ep. 1*: *Egisti mecum sæpenumero, magnanime Petre Medices, ut colligerem meas Epistolas, & in volumen redactas publicarem. Collegi, ne non in omnibus obsequerer tibi, quo sunt in uno spes omnes opesque meæ sitæ.* Addiderant & calculum suum illius ætatis eruditi multi, in quibus MICH. ACCIARIUS, Utianensis, institutum hoc POLITIANO esse commendatissimum jubet in Epistola ad eum, *Lib. XII. Epp.* POL. *Ep. 23*: *Te vehementissime rogo, post opiparas adeo splendidasque dapes, gustum ut iterum acuas, bellaria ponas, id est, epistolas edas, quæ tanquam singularia modo convulsaque membra velut sine spiritu jacent, in suum denique coactæ corpus reviviscant: ut Academia Florentina teneat tandem, quod optat, possitque te audacter in omni eruditionis genere*

cum

cum ipsa quoque antiquitate conferre. Atque adeo, si codices, & testimonia vetera literarum incursu barbarorum vel omnia pereant, pro cunctis unum te habeat, secura, quasi nihil amiserit, quem libentissime legat, imitetur, & colat. Et, si legas illam omnium primam POLITIANI ad PETRUM MEDICEM Epistolam, qua partum hunc suum in clientelam PETRI tradit, vix dubitare ausis, ipso adhuc vivente, & id inprimis agente, in lucem exiisse has *Epistolas.* Neque tamen rationes desunt, quæ commendare nobis possint conjecturam Autoris Diarii *Hist. crit. de la Republ. des Lettres*, collectas quidem, & luci publicæ destinatas a POLITIANO, sed non nisi eo demum mortuo vulgatas, has *Epistolas*, suspicantis *T. III. p. 236. not. (a).* Sunt enim in his quædam, mensibus Martio & Majo anni 1494, qui fuit POLITIANO vitæ ultimus, scriptæ; quin exstat hic una ANTON. CODRI URCEI, cui subsignatus est ejusdem anni dies quintus Julii. Jam vero, vix elapsis ab eo tempore mensibus duobus, Septembris quippe die 24, constat obiisse Nostrum. Fieri igitur plane non potuit, ut intra tempus tam breve formis excuderetur tantæ molis liber, etsi fingas, ipso die Julii (quod nec ipsum fieri potuit, quandoquidem non eodem die accepit POLITIANUS, quo scripserat CODRUS, literas,) prelo subjectum. Præterea leguntur *Libro XII* duæ PETRI CRINITI ad ALEXANDRUM SARTIUM, de morte POLITIANI, & schedis ab eo relictis, commemorantes, quas ab alio quocunque demum, quam POLITIANO nostro, esse additas, oportet. Idem mihi videtur de *Epistolis* & *Orationibus* HERMOLAI BARBARI, ad calcem *Libri XII* adjectis, partim quod cum POLITIANI *Epistolis*, si argumenta spectes, nihil conspirent, locumque adeo parum oportunum hic invenerint, partim quod nullam earum mentionem injiciat Noster in Epistola ad PETRUM MEDICEM *(Lib. I. Ep. 1)*, ubi ceteroquin de *Epistolis* suis curate satis diligenterque agit. Addo his testimonium ALDI MANUTII, qui, *Opera* POLITIANI non ab ipso, sed ab amicis ejus, edita, docet in Epistola ad MARINUM SANNUTUM, præfixa Collectioni *Operum* POLITIANI, *Venetiis A. 1498* publicatæ. Sed, si a POLITIANO non sunt editæ, a quo demum sint editæ, quæris? Fatemur, nos

nos tecum ignorare nomen viri, ſive is fuerit PETRUS CRINITUS, cujus, tum adhuc viventis, ad ALEXANDRUM SARTIUM Epiſtolas *Liber XII* complectitur, ſive ipſe hic ALEXANDER SARTIUS, quem præ ceteris *amiciſſimi viri, Politiani, quæcunque habere potuerit, opera multum ac diu & accurate quæſita, imprimenda curaſſe*, dicit MANUTIUS *l. c.* ſive alius quicunque demum ex amicis POLITIANI, qui nomen ſuum innoteſcere poſteritati noluit. Quodſi nobis inſpicere licuiſſet *Operum* POLITIANI editionem *Florentinam anni 1497*, primam nempe earum, quæ poſt mortem POLITIANI in vulgus exierunt, forſan de editore *Epiſtolarum* certiora nobis conſtarent. Prorſus enim in illa me eſſe opinione fateor, non alium *Epiſtolarum*, quam *Operum* illorum, editorem fuiſſe, nec ante edita conjunctim Opera lucem vidiſſe publicam *Epiſtolas*. De quo ne dubitem, ea me non levis ratio movet, quod quantumvis diligenter perquirenti Bibliothecarum, quotquot in nobiliſſimis habentur, Indices, nulla obvenit harum *Epiſtolarum*, ſigillatim, extra *Opera* POLITIANI, editarum, ante *annum 1519* in Italia publicata editio. Igitur, ſi ſigillatim non ſunt editæ, quod huc uſque credendum mihi, *Operum* vero POLITIANI, poſt ipſius mortem editorum, primam fuiſſe conſtat eam, quæ *Florentiæ A. 1497* prodiit, nullum ſupereſſe dubium videtur, quin cum ceteris POLITIANI ſcriptis primum tunc exierint in vulgus hæ *Epiſtolæ*, inde translatæ poſtea in ALDINAM *anni 1498*, & alteram *Florentinam anni 1499*, *Operum* editionem. Seorſim has, quod ſciam, primus publicavit *Pariſiis A. 1499* JODOCUS BADIUS ASCENSIUS, Typographus & doctus, & in arte ſua præſtantiſſimus, deditque libro rubrum: *Epiſtolæ illuſtrium virorum, nempe Angeli Politiani, Joannis Pici Mirandulani*, &c. Ejus editionis indicium præbet *Catalogus Bibliothecæ Auguſtanæ p. 577*; unde miror, non hanc legi in MICH. MATTARII *Annalibus Typographicis*, recentiſſime editis. Præmiſit libro Epiſtolam ASCENSIUS, idibus Februariis ejusdem anni ſcriptam, ad ANTONIUM COBERGERUM, *Nurmbergenſem civem*, quem *virum integerrimum, atque literariam rem gerentium laudatiſſimum, nec non librariorum facile principem, & inter fideles & honeſtos mercatores non inferiori loco poſitum*, dicit, cui

&

& laborem hunc, tanquam viro ſibi amiciſſimo, eſſe ſacrum juſſit. Eadem nos docet, verba nonnulla aliter hic, ac vulgo ſoleant, expreſſa, ut *neglego*, *intellego*, *omneis*, *opteſtor*, *opſecro*, *Vergilius*, alia; idque ad ipſius mentem POLITIANI, qui ſcripturam hanc in Epiſtolis ad SCALAM rationibus ſat idoneis defendat. Addidit poſtea hanc Epiſtolam ASCENSIUS ſuæ *Operum* POLITIANI editioni, *A. 1519* publicatæ, quo in loco mihi ſcilicet ipſi lecta eſt, deſtituto illa altera Epiſtolarum editione, rariſſime, quod puto, obvia. Formam libri nec Epiſtola hæc BADII, nec *Bibliotheca Auguſtana*, indicat. Hanc ſecutæ ſunt editiones numero plures, una *A. 1500*, 4, quam ex *Bibl. Gevart. p. 118* profert MICH. MATTARIUS in *Annal. Typogr. T. I. p. 743. edit. nov.* ſed qui de loco editionis nihil addit; porro *Antverpienſis*, *A. 1510*, 4, quam habet *Bibliotheca Marckiana p. 210*, ita inſcriptam: *Angeli Politiani, linguæ Latinæ vindicatoris, Epiſtolæ lepidiſſimæ; Petri Ægidii, Antverpiani, ad Pædotribas Epigramma, Jambico ſenario dimetroque ſubalternans; Argentoratenſis*, *A. 1513*, *menſe Auguſto*, *ex officina Schureriana*, *forma 4*, emiſſa, eodem Volumine & *Epiſtolas* POLITIANI, & *Præfationem in Suetonii Tranquilli expoſitionem*, exhibens, in cujus fronte editor, S. (SEBASTIANUS ſine dubio,) MURRHO, inſcripſit verba: *Lector, eme, lege, & gaudebis*, cui & præmiſſam video ab eodem MURRHONE. præter Indicem rerum notabiliorum, *ad Lectores* Epiſtolam, qua & concinnitas Epiſtolarum vehementer commendatur, &, parandæ huic editioni tam a MURRHONE, quam a SCHURERIO & JACOBO BARET, operam navatam, Lectores edocentur; *Baſileenſis*, *A. 1522* ab ANDREA CRATANDRO, *forma 8*, publicata, quam indicat MICH. MATTARIUS in *Annal. Typogr. T. III. p. 650*, exhibens & in *not. (e)* partem Epiſtolæ *ad Eloquentiæ Candidatos*, *Epiſtolis* præmiſſæ a CRATANDRO, in qua inter alia hæc legas: *Qua in re ut & nos nonnihil opeculæ adderemus Studioſis, promſimus non ita pridem ex penu noſtra literaria Epiſtolas Plinii, junioris, — — Statim cogitabam, me his rem non minus gratam facturum, — — ſi Angeli Politiani duodecim Epiſtolarum libros — — auctarium adjiceremus. Nam hunc jure veteribus annumerandum cenſet etiam*

Eraſ-

Erasmus Roterodamus, vir ex omni ævo incomparabilis —— *Accingemur propediem ad ejusdem Miscellanea, opus profecto remotissimæ, simul & scitu dignissimæ, eruditionis, haud minore cura vigilantiaque, quam hæc ipsa, publicaturi*; *Erfordiensis, anni 1521*, 4, quam vide in *Bibliotheca Leyseriana*, Helmstadii venditæ, *P. II. p. 112*; alia *Basileensis, anni 1542, 8*, cui locus datus in *Biblioth. Marqu. Gudii p. 296*, & in *Sarraziana P. III. p. 134*, ubi notula addita, in pretio haberi hanc editionem, docet; ejusdem urbis aliam *anni 1572, 8*, cujus meminit CLAUSIUS in *vita Polit. Cap. XI. p. 25*; *Avenionensem, anni 1588*, quam idem ibidem indicat CLAUSIUS; *Hanoviensis, anni 1604, 12*, cui addita est POLITIANI *in Suetonii expositionem Præfatio*, & Græcorum omnium, quæ sunt in his Epistolis, interpretatio, a JAC. TUSANO (sed cujus hic tacetur nomen,) adornata. Est hæc literis parum nitidis, tolerabilibus tamen, expressa, caretque rerum notabiliorum Indice, nec in margine notarum quidquam habet. Dedicavit librum GUIL. ANTONIUS, Typographus, *nobilissimo summæque spei adolescenti*, GODEFRIDO A LAUTHERN, JOANNIS ENGELBERTI filio, Epistola non indocta, nec ineleganti, si quidem ab ANTONIO hanc exaratam putes. Ex hac non obscure colligo, jam ante editum fuisse ab ANTONIO hunc *Epistolarum* librum, si quidem recte interpretor verba: —— *causas saltem exponam, quibus ego motus, e typographeo meo & jam denuo ediderim* —— *Quo tum accessere multorum etiam vota ac desideria: distractis enim illius posterioris, sed enim ante plures, adeoque viventium modo memoriam excedentes, annos factæ, editionis exemplaribus, ita perpaucorum ut ea manibus hodie terantur; multi profecto literaturæ politioris & elegantiarum quarumcunque studiosi hactenus exoptarunt & efflagitarunt etiam abs me renovatam hanc editionem.* Quod si ita est, miror, vetustioris hujus editionis nusquam apparere vestigium. Ibidem docemur, ad edendas *Epistolas* adductum inprimis ANTONIUM judicio LIPSII, qui libere professus sit, *se nec dum ullas vidisse, quas iterum velit legere, præter unas Politiani Epistolas.* Prosequitur & has ipse multis laudibus ANTONIUS, scribitque honorifice: *Quid enim? Latinæ puritatis ac imitationis exa-*

exactam rationem tenere cupis? Hinc obtinebis. Poetarum figmenta capere gestis? Hic percipies. Oratorum pigmenta conspicari magis optas? Hic perspicies. Philosophorum adyta penetrare satagis? Huc te confer, & absque dubio penetrabis. Medicorum secreta scire laboras? Hic cognosces. Historiarum notitiam assequi contendis? Hic assequeris. Exempla tuæ jam ætati tuisque convenientia studiis intueri desideras? At quam egregia tibi occurrent hic in Mediceis, Ursinis, aliis itemque nobilissimis tum adolescentibus: quæ semper tibi velim obversari & observari. Intricatas legum civilium quæstiones exsolvi tibi præoptas? Solutiones hic habebis expeditas. Politicum denique consummatum, & omnibus pæne numeris absolutum, efformari te expetis? Efformabit, crede mihi, Politianus hic omnium πολιτικώτατος. Præter Epistolam hanc Typographi, legis in fronte Epistolarum ignoti Autoris Hexastichon in laudem POLITIANI, naturam loquentem sistens:

Si mihi quod summi mirandum plasma Tonantis,
Angelus id merito Politianus erit.
Entheus haud timuit mecum certamen inire,
Et, puto, victurus, si licuisset, erat.
Nec tamen immiti ponetur gratia fato,
Hæc siquidem raris alea fœta bonis.

Pergimus ad ceteras, quas tulit sequior ætas, libelli politissimi editiones; *Hanoveranam*, eodem *anno 1604, 12,* vulgatam, quam profert JO. CHRISTOPH. BECMANNUS in *Catalogo Biblioth. Francof. p. 231,* nisi forte errorem hic agnoscas Typographi, *Hanoveram* ponentis pro *Hanovia*, qua in urbe eodem, ut paulo ante vidimus, anno prodiere hæ *Epistolæ*; *Hanoviensem, anni 1612,* cujus mentionem facit Cel. JO. GEORG. WALCHIUS in *Hist. Crit. Lat. linguæ Cap. XII. p. 649. edit. nov.* & quam secutus est CLAUSIUS in *Vita Polit.*; aliam *Hanoviensem, anni 1622, 8,* cum *Epistolis Præfationem in Expositionem Suetonii* exhibentem, quam indicari video in *Biblioth. Marckiana P. III. p. 261*; *Amstelodamensem, anni 1642, 12, impensis Joannis Jansonii* excusam, similemque prorsus *Hanoviensi* illi *anni 1704,* &, præter *Epistolas,* continentem *Præfationem in Expositionem Suetonii,*

Græcorumque interpretationem, & integram vitæ POLITIANI narrationem, de G. J. VOSSII *Lib. III. de Hist. Lat.* depromtam; denique ejnsdem urbis, & typographi, nec non formæ, aliam, *A. 1644* publicatam, illi alteri tam per omnia similem, ut nec addita sit, nec demta, litera. Forsan hæc eadem est, quam CLAUSIUS *l. c.* ibidem *A. 1643* vulgatam dicit. Sunt & aliæ in promtu, sed de quarum fide nolim contendere; quod earum notitiam præbeant Catalogi librorum minus selecti, nec in nobilissimis habendi. Tales sunt, quæ *Mediolani A. 1519, 8, Hanoviæ A. 1603, 12, Antverpiæ A. 1566, 8,* atque *Trecis A. 1656, 8,* exiisse in lucem dicuntur, de quibus ipsis alii disquirant, velim. Præterea, quæ *Libro VII Epistolarum* POLITIANI leguntur, Epistolæ breviores & prorsus Laconicæ, seorsim editæ sunt in *Farragine altera Epistolarum Laconicarum ac selectarum, ex officina Joannis Oporini A. 1554* emissarum, *a pag. 276 ad 280*, quem librum, selecta multa continentem, accessisse haud ita pridem librorum meorum supellectili gaudeo. Easdem additas video *Epistolarum* FRANC. PHILELPHI editioni *Argentinensi, A. 1520, in ædibus Jo. Prüss*, ductu & auspiciis honesti viri, PAULI GETZS, civis Argentinensis, *forma 4*, vulgatæ; *Venetæ* etiam, *anni 1544* & *1564* (sunt &, qui tertiam *anni 1554* addant,); *Hanoviensi, anni 1514, 4, impensis D. Joannis Rynman de Oringau, cura & opera Henrici Gran*, excusæ, cui & adjectæ sunt *Epistolæ* SENECÆ *ad* PAULUM, & PAULI *ad* SENECAM; *Argentinensi, anni 1515, 4,* quam legis in *Biblioth. Marckianæ P. I. p. 219; Hanoviensi, anni 1519, 4,* illi alteri ejusdem urbis nihil dissimili; denique *Romanæ, anni 1705, 12, typis Antonii de Rubeis* exscriptæ, de qua vid. *Acta Erud. Lat. A. 1707. p. 281.* Animadverti etiam, ex *Epistolis* POLITIANI unam ad JO. PICUM adjectam esse *Epistolis* PICI, quæ sunt cum reliquis ejus *Operibus* conjunctim editæ, nonnullas ad MARSIL. FICINUM hujus ipsius *Epistolis*, ad LAURENTIUM MEDICEM unam *Epistolis Principum, Rerumpublicarum, ac sapientum virorum*, quas *Venetiis* JORDANUS ZILETTUS edidit *A. 1574, 8,* unam denique ad PAULUM CORTESIUM, in qua de imitatione oratoria jucunde differitur, *Collectioni Opusculorum præstantissimorum de imitatione oratoria,*

ria, quam *Jenæ A. 1726* edidit Vir Clariſſimus, FRID. ANDR. HALLBAUERUS. Præterea ſelectas quasdam *Epiſtolarum* POLITIANI formulas imitandas juventuti neſcio quis propoſuit in libro : *Epiſtolarum ſelectarum formulæ, ex Ciceronis, Longolii, Bembi, Eraſmi, Plinii, Politiani, Epiſtolis. Francof. ad Oder. 1606, 8.* Id vero magno inprimis honori cedit *Epiſtolis* hiſce, a POLITIANO collectis, earumque præſtantiam nemini non ſummopere commendat, quod dignas judicavit FRANCISCUS SYLVIUS, (quem, manifeſto errore, prænomine JACOBUM dicit ANTON. TEISSIERIUS in *Catalogo Autorum, qui librorum Catalogos conſignarunt, p. 463*, cum a JACOBO longe diverſiſſimus ſit FRANCISCUS SYLVIUS,) Ambianus civis, Eloquentiæ Profeſſor Pariſienſis, quas ampliſſimo illuſtraret Commentario, iis prorſus ſimili, quibus illuſtratos a viris doctis Autores veteres videmus. Nam, cum his multa contineri intelligeret, ex intimis Philoſophiæ, Mathematices, omnis generis hiſtoriarum, elegantioris inprimis doctrinæ, penetralibus depromta ; e re fore Lectorum, inprimis juventutis, exiſtimavit, ſi, quæ intellectu difficiliora eſſent, his lucem accenderet interpretatione critica, & Scriptorum veterum teſtimoniis POLITIANI, & aliorum, dicta confirmaret. Nec id præſtitit infeliciter ; ut mirandum ſit, in explanando recentioris ævi Scriptore, eoque Italo, tantum operæ ab homine Gallo conſumtum. Sed, quantumvis diligenter verſatum dicas in explicandis his, quæ ad doctrinam ſublimiorem ſpectant, literariæ tamen Hiſtoriæ, cujus plenæ ſunt *Epiſtolæ*, negligentiſſimum ſe geſſit, ut de vita ſcriptisque ſive POLITIANI, ſive aliorum, qui materiam Epiſtolarum præbuerunt, prorſus hinc diſcas nihil. In quo uno, omiſſis ceteris, ſi poſuiſſet induſtriam, non dubito, majorem longe initurum ab eruditis, quam nunc iniit, laboris ſui gratiam fuiſſe. Sed forſan dediſſet hæc bonus vir, ſi ſatis ipſi fuiſſent cognita ; certe melius eſt, nihil nobis datum, quam venditatas fabulas, quales de Italorum rebus comminiſci bene multas Galli ſolent. Itaque, per me licet, ſatis præſtiterit SYLVIUS, inprimis cum, præter *Annotationes* copioſas, Epiſtolæ cujusque hic ſumma argumenta legas ; quod perquam commodum accidere lectoribus rerum magis, quam verborum, curioſis, ipſe meo exemplo expertus ſum. Cum hoc SYLVII *Commentario*

in librum POLITIANI Animadversiones breves, nec tamen ineruditas, conjunxit JODOCUS BADIUS ASCENSIUS, Typographus Parisiensis non ignobilis. Dedit is labori suo modo *Racemationum*, modo *Scholiorum*, nomen, quod non tam Commentarium parare, quam Operi SYLVIANO supplementa addere, ipsi fuerit constitutum. Id enim præcipue ab eo actum video, ut, si quid vel plane omissum a SYLVIO, vel non curate satis esset expositum, id suppleret ipse, aut clariori in luce collocaret. SYLVIANUM hoc & BADIANUM Opus, ipsis junctum *Epistolis* POLITIANI, primum prodiit *Lutetiæ ex officina Badii A. 1517, forma* 4, ita inscriptum: ANGELI POLITIANI *& aliorum Epistolæ, a* FRANC. SYLVIO *expositæ.* Hujus editionis mentionem faciunt RICH. SIMON in *Biblioth. crit. T. III. Cap. 22. p. 230. not.* *, & THOM. HYDE in *Catalogo impress. libr. Biblioth. Bodlej. p. 67.* Dedicavit librum ASCENSIUS FRANCISCO HALOINO, Ambianorum Antistiti, Epistola sat gravi, ejusdem anni idibus Novembribus scripta, quam & video in fronte *Operum* POLITIANI, *A. 1519* a BADIO editorum, collocatam. Postea *A. 1519*, cum *Opera* POLITIANI junctim ederet, eosdem *Commentarios Epistolis* subtexuit ASCENSIUS, additamentis hisce majorem operi gratiam conciliaturus. Tum *A. 1520, XV Calend. Dec.* iterum seorsim eos cum *Epistolis, forma* 4, vulgavit BADIUS, inscriptos tunc LEONI, Pontifici Maximo. Hujus editionis rubrum exhibet MICH. MATTARIUS in *Annal. Typograph. T. II. p. 604*: *Illustrium virorum Epistolæ, ab* ANGELO POLITIANO *partim scriptæ, partim collectæ; cum* SYLVIANIS *Commentariis, &* ASCENSIANIS *Scholiis; impensis & accuratione preloque ejusdem* JODOCI BADII, *sub gratia & privilegio eidem pro Commentariis in Opera* ANGELI POLITIANI *concessis.* Hanc ipsam secuta est *A. 1526* ejusdem formæ BADIANA nova, eaque ultima, a prioribus quodammodo diversa, quippe multis modis aucta & recognita, subjunctamque habens SYLVII *ad* FRANCISCOS CREQUYUM *&* MALLYUM, *discipulos suos, Epistolam, VIII Cal. Maji A. 1526* scriptam, quæ *vocularum minus idonearum, aut minus rite usurpatarum in Epistolis* POLITIANI, nomenclaturam continet. Inscripsit hanc SYLVIUS:

VIUS: *Illustrium virorum Epistolæ, ab* ANGELO POLITIANO *partim scriptæ, partim collectæ, cum* SYLVIANIS *Commentariis, & ASCENSIANIS Scholiis, non parum auctis, & rursum diligenter repositis: cumque vocularum minus idonearum, aut minus rite usurpatarum, annotatione.* Dedicationis loco comparet SYLVII ad EUSTATHIUM CROYUM, *Attrebatensium Pontificem, suum olim discipulum, Epistola,* VIII Cal. Maji ejusdem anni scripta, quæ, pauca in hac editione mutata, adjuncta plurima, nos docet, hancque reliquis utiliorem dicit. Epistolam excipit *Index rerum in Epistolis & harum Commentariis notabiliorum,* ab ASCENSIO confectus; quem e vestigio sequuntur ipsæ *Epistolæ* POLITIANI cum SYLVIANIS ASCENSIANISque *Commentariis.* Ad calcem operis accessere Epigrammata tria, unum SYLVII *ad generosum Adulescentem,* EUST. CROYSIUM; alterum JOANNIS VACCEI *ad generosum Adulescentem,* NIC. HERBELLORUM, *Sylvianæ curæ commissum*; tertium ejusdem VACCEI *in hoc Opus, i. e. Sylvam quandam omnifariam odoribus refertam,* cui ipsi, quod de POLITIANO nostro præclare canat, non hic locum invidebimus:

Sylvius hanc, Lector, plenam dat aromate sylvam:
Unde tibi flores carpere mille queas.
Sevit in hac varios Mirandula Picus odores:
Sevit multiplices Angelus ille rosas.
Hic est, quicquid Arabs, quicquid daret Indus amomi:
Quicquid olet nardus, cinnama quicquid olent.
Hesperidum non sylva fuit pretiosior: in qua
Servabat vigilans aurea poma draco.
Fertilis hæc priscis si cognita sylva fuisset:
Nil modo Amalthea copia larga foret.
Si bonus eloquio, si vis polyhistor haberi:
Hoc opus a Badio, candide Lector, emas.

Fuit & in animo olim clarissimi nominis Gallo, BERNARDO DE LA MONNOYE, integrum *Epistolarum* POLITIANI Volumen in sermonem Gallicum transferre, & addere huic interpretationi Commentarium tam Criticum, quam Literariam inprimis illorum

temporum historiam illustraturum. Cultissimi ejus laboris specimen dedit in *Menagianorum* editione *Parisiensi anni 1715*, in cujus *Tom. I. p. 374* Epistola POLITIANI omnium prima ad PETRUM MEDICEM in Gallicum conversa, cum annotationibus doctissimis, sub finem vero ejusdem *Tomi p. 410* ipsa hæc POLITIANI Epistola, qualis scripta est ab Autore, legitur. At, cum incommodum lectori videretur, alio in loco Latina, alio Gallica, legere, mederi huic malo studuit præstantissimus Gallus in editione *Menagianorum Amstelodamensi anni 1716*, cujus *Tomo III* appendicis loco accessit uterque labor, ita quidem, ut e regione Epistolæ Latinæ collocata sit Gallica, & sub paginæ cujusque finem annotationes legantur Gallice scriptæ, perpetui Commentarii locum sustinentes. Quod ad interpretationem, non est dubium, in elegantissimis habendam, & lucernam olere artificis tam excellentis. Operam hic dedit Autor, ut, si fieri posset, verbum verbo responderet, flores Latini eandem gratiam servarent in solum Gallicum translati, flueretque sermo facilis, & ad delectandum aptus. Annotationes non sunt vulgares, nec *Minellianis* similes, sed selectæ, sed eruditæ, sed iis maxime legendæ, qui rem criticam & literariam sectantur. Habuissent igitur, de quo gauderent admodum, elegantioris doctrinæ studiosi, si, quod destinaverat ipse, ut patet ex his, quæ præfatus est interpretationi suæ, (etsi laborem hunc aliis potius suscipiendum suadere videtur in *Menagian. Tom. III. p. 123*,) similem in ceteras POLITIANI Epistolas *Commentarium* conficere, per ingravescentem tunc ætatem ipsi licuisset. Dedisset tunc nobis Epistolas non solum ditatas valde accessionibus selectis atque eruditis, sed magis etiam accommodatas ad usum nostrum, quippe in ordine illis assignando rationem habiturus temporis, ne, quæ argumentis rerum inter se conjunctæ sunt, dissipatæ in posterum & suis quasi divulsæ membris jacerent. Probat valde laudatque institutum Autoris JO. CLERICUS in *Biblioth. anc. & mod. T. VI. P. I. p. 222*, non inepte tamen monet, melius & ex voto multorum acturum fuisse virum doctum, si, relicto aliis vertendi labore, quippe quo carere plane possit res literaria, nudas nobis simplicesque POLITIANI Epistolas, cum Commentariis suis Latinis, dedisset. Nam, qui rei literariæ sunt curiosi, ii maxime sermonem Latinum amant, talem inprimis,

quali

quali usus est POLITIANUS; at, qui præter Gallica nihil callent, nec hos pascet adeo istiusmodi Epistolarum lectio. Dicta hæc sibi putet, si quis forte consilium hoc politissimi Gallarum exequi, telamque ab eo cœptam perficere, in animum induxerit. Nam ab ipso, inter cœlites jam versante, talia quis expectet? Tentavit & in Italicam linguam convertere aliquas *Epistolarum* POLITIANI LUDOVICUS DULCIS, nobilissimus Italicæ linguæ illustrator, hasque cum PLINII & FRANC. PETRARCHÆ nonnullis, paucisque JO. PICI, HERMOL. BARBARI, HIERON. DONATI, & MARSIL. FICINI, quorum pleræque exstant inter *Epistolas* POLITIANI, *Venetiis, ex officina Gabrielis Julii de' Ferrari* exire jussit *A. 1548.* Inscriptus est liber: *Epistole di G. Plinio, di M. Franc. Petrarca, del G. Pico della Mirandola, e d'altri eccellentiss. huomini, tradotte per* M. LODOVICO DOLCE. POLITIANI Epistolæ, numero XIV, eæque breviores, locum ultimum hic occupant, a *pagina* nempe *157 ad 163.*

(d) Non hanc legis in *Epistolarum* POLITIANI conjunctim editarum Volumine, etsi una sit earum, quas primis juventutis suæ annis scripsit. Dedit enim hanc Fæsulis, suburbano Medicææ gentis prædio, Cal. Sextil. A. 1479. In *Operibus* POLITIANI, integro Volumine publicatis, subjunctam hanc vides Latinæ *Enchiridii* EPICTETEI interpretationi. Respondet hic Noster BARTHOLOMÆO SCALÆ, qui ad ipsum paulo ante dederat Epistolam, iniquiorem in vetustum illum moralis doctrinæ magistrum, quem is dixerat partim obscura, partim supra humanas vires posita, partim falsa, præcipere. Non, quod doleo, hanc nobis SCALÆ Epistolam POLITIANUS exhibet, nec ea, quod sciam, usquam alibi exstat; quod ipsum prohibet nos sententiam dicere de controversia tam gravi, & inter homines tam doctos agitata. Illud tamen legentibus POLITIANI Epistolam apparet, EPICTETI causam pererudite hic ac eleganter peroratam, multumque nervi inesse rationibus tam criticis, quam Philosophicis, quibus retundere tela Adversarii conatus est POLITIANUS. Præterea nulla hic atræ bilis vestigia; sed amice omnia, ut inter viros doctos convenit. Videtur igitur

eo adhuc tempore, quo hæc ſcripta ſunt, cum BARTHOLOMÆO conjunctiſſime vixiſſe Noſter, nec niſi ſub vitæ demum finem in hunc odium tam grave ac pæne capitale concepiſſe, cujus inter reliquas POLITIANI Epiſtolas teſtes habentur tot certiſſimæ. Primum, ni fallor, lucem adſpexit hæc Epiſtola in editione *Operum* POLITIANI *Florentina*, *anni 1497*, inde translata poſtea in *Aldinam*, & quæcunque ſubſecutæ ſunt hanc ipſam. Non enim hæc, quod ſciam, ſigillatim unquam prodiit; etſi adjecta ſit *Enchiridii* EPICTETEI editionibus nonnullis, *Venetæ A. 1528, a* JO. ANTONIO *& fratribus* DE SABIO, *forma* 4, vulgatæ, cui & SIMPLICII *in Epictetum Commentarius* acceſſit, (vid. JAC. GADDIUS *de Scriptor. non Eccleſ. T. I. p. 167,) Amſtelodamenſi*, *A. 1683* a NIC. BLANCARDO *forma 8* editæ, quæ vulgo in præſtantiſſimis habetur; denique *Delphenſi, anni 1723, 8,* quam cum Annotationibus ſuis, mediocriter doctis, publicavit JO. CASP. SCHROEDERUS.

(e) Nec hæc ipſa acceſſit *Epiſtolis* POLITIANI in Volumen collectis, ſed, quisquis primus *Opera* POLITIANI junctim edidit, locum ei dedit poſt *Panepiſtemona*. An præterea ſigillatim unquam publicata ſit, dicere jam mihi non licet. Neque enim ex MATTARIO tale quid diſcas, nec de eo quidquam aliunde conſtat. Data eſt ad LAURENTIUM MEDICEM, Principem Florentinum, cui, mala quæque timenti de ingenio filii ſui, PETRI, adhuc pueri, ad iracundiam nimium proclivi, perſuadere modis omnibus conatur, bonum omen habere indolem hanc pueri ferocientem, & futura magni animi virtutisque generoſæ ſpecimina certiſſime prænuntiare. Occaſionem argumentumque Epiſtolæ vel pauca illa te doceant: — — *humano in ingenio cum pleraque ſpeciem vitioſæ depravatæque naturæ præ ſe ferant, futuræ tamen virtutis indicia, optimæ indolis ſpecimen ſapientibus judicentur: quale forſan & hoc ipſum ſit, quod tuo nuper in filiolo, diſcipulo, iram, quæ quidem ex increpatione, acceptaque ignominia, proveniret, minime improbandam eſſe, præ me tuleram. Cujus quoniam judicii noſtri rationem requiſiſti, non alienum certe fuerit, paucis ea de re in præſentia diſputare.* Facit id deinde

de rationibus, tam ex natura hominis, quam exemplis aliorum, petitis, idque ſpecioſe ſatis, & ad perſuadendum accommodate, etſi facile videri poſſit puelli magis, quam ipſius vitii, voluiſſe cauſam agere. Jure ſuo *elegantiſſima* vocatur hæc Epiſtola PHILIPPO CAROLO in *Animadv. in Agell. Lib. I. Cap. 26. p. 109*, & in *Animadv. ad Curt. Lib. XIII. Cap. 2. p. 475*, nec minus honorifice de ea CASP. BARTHIUS in *Animadv. in Britonis Lib. III. Philipp. p. 154*: *Iram facilem generoſis mentibus probat non ineleganti Epiſtola ſuper Petro ad Laurentium Medicem Angelus Politianus, vir doctrinæ & eloquentiæ ad multos priſcorum temporum heroas laudabilis.* Eam JANUS GRUTERUS ſubjunxit *Miſcellaneis* POLITIANI in *Theſauri Critici Tomo I.* Ejusdem parti maximæ locum datum puto ab OTTONE BRUNFELS in libro: *Catecheſis puerorum in fide, in literis, & in moribus; ex Cicerone, Quintiliano, Plutarcho, Angelo Politiano, Rud. Agricola, Eraſmo, Phil. Melanchthone, atque aliis probatiſſimis Autoribus, Tomis digeſta IV. Colon. 1532.* Exſtat vetuſtiſſimus hic liber in Bibliotheca RUDOLPHI AUGUSTI, Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis, docente id HERMANNO VON DER HARDT *T. III. Autograph. Lutheri p. 175.* Opus ipſum non vidimus; ſed, ſi non in eo legis POLITIANI hanc ipſam Epiſtolam, neſcio, quid aliud hic expectandum ſit de inſtitutione puerorum ſcriptum.

(f) Eſt hoc omnium, quæ ſcripta aut publicata ſunt a POLITIANO, præſtantiſſimum ſine dubio nobiliſſimumque Opus, quod unum ei maximi Grammaticorum nomen peperit, tantoque eruditorum per Italiam plauſu exceptum eſt, ut, qui magis laudatus ſit, vix liber unquam ullus prodierit. Vera a me dici, vel norunt ii, quibus lectæ ſunt eruditorum illius ætatis ad POLITIANUM Epiſtolæ, iis quippe laudum & præconiorum cumulis turgentes, qui ad gloriam decusque POLITIANI plurimum afferre momenti poſſint. Ipſum ſibi hoc civium ſuorum applauſu mirifice placentem vides in *Epiſt. ad* BAPT. GUARINUM, *Lib. I. Ep. 22: Bene habet. Amicos undique Miſcellanea nobis aut comparant, aut excitant. Undique Epiſtolæ ad nos, vel de nobis, excellentium virorum, plenæ ſtudii, plenæ laudum;* nec minus in *Epiſt. ad* TRISTANUM CHALCUM, *Lib. IV. Ep. 5: Nec*

enim plures Jasoni & Cadmo satu dentium nati sunt hostes, quam mihi satu Miscellaneorum nati amici. Quibus ut fidem habeas, lege illa POMP. LÆTI in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. I. Ep.* 17 : *Legi opus tuum, in quo apertissime doctrina quadam singulari veteres ab inferis revocasse videris ;* nec non CÆSARIS CARMENTI in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. IV. Ep.* 3 : *Nihil mehercules Miscellaneis mundius, nihil acutius, nihil doctius ; ista una Centuria (ut equidem sentio,) non modo Gellium, & id genus alios, æmularis, sed longe superas. Fama quanquam magnus es, scriptis certe major : quare ætati huic nostræ gratulor ;* porro HIERON. DONATI in *Epist. ad* Nostrum, *Lib. II. Epp.* POL. *Ep.* 14 : *Accepi Miscellanea, percurri : jucundissima lectio, in qua delectari & juvari vel doctissimus quisque possit ;* LUCII item PHOSPHORI, Pontificis Signini, in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. III. Epp.* POL. *Ep.* 14 : *Mihi Miscellanea tua, atque adeo, quæcunque scribis, magnopere placent ;* ut & MACARII MUTII, Equitis, in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. VII. Epp.* POL. *Ep.* 1 : *Pervenit ad me nuper — — Centuria tua, vario splendore, multiplicique apparatu ; nihil sane lætius, nihil felicius, memoria nostra prodiit in lucem ;* & BAPT. GUARINI in *Epist. ad* POLITIANUM, *Lib. I. Epp.* POL. *Ep.* 23 : *Nemo est, qui pretio deterreatur, quo minus Miscellanea domi habeat, unde discat. Hæc sunt vera eruditionis testimonia, in quibus nulla est placendi adulandive suspicio ;* inprimis vero FRANCISCI PUCCII, cujus integra ad POLITIANUM Epistola, *Lib. VI. Epp.* POL. *Ep.* 4, in commendando laudandoque *Miscellaneorum* libro occupatur. Pauca inde speciminis loco dabo : *Habemus in manus quotidie ego & Ugolinus tuus hunc librum, leginus, decantamus, ediscimus, ac nulla jam pagella est, quam non decies revolverimus : nec tamen adhuc Caput ullum sic attente aut diligenter perlegere potuimus, quin resumentibus illud idem in manus arridere magis nobis, atque ut Aphrica illa afferre novi subinde aliquid videatur.* Sufficiant præclara hæc Italorum de dignitate operis testimonia ; quibus quæ addi possent, si id nunc ageremus, aliorum bene multa suppetunt. Quid boni & præclari insit operi, quantum ei a sermonis partim elegantia, partim a momentis rerum, quarum hic

hic magna ſeges oſtenditur,partum ſit decus,quantis etiam invidorum obtrectationibus petitum ſit, aptiore loco ſupra *Sect. I* commemoravimus. Præterea virtutes operis incomparabiles velut in tabula delineatas exhibet Epiſtola FRANC. PUCCII *ad* POLITIANUM, *Lib. VI. Epp.* POL. *Ep.* 4, nec non alia MACARII MUTII, Equitis, ad eundem, *Lib. VII. Epp.* POL. *Ep. 1.* Addi his ſuo jure meretur Autor Diarii *Hiſt. crit. de la Republ. des Lettr.* qui *Tom. IV a pag. 252 ad* 277 potiora *Miſcellaneorum* Capita non tam nominatim indicat, quam copioſe diligenterque exponit, &, quid novi annotaverit ad veterum Scriptorum obſcuriora loca, quibus interpretandi ſubſidiis, quibus aut ducibus, aut ſectatoribus, uſus ſit POLITIANUS, tam curate ediſſerit, ut hæc legens, facile carere uberiori noſtra iſtorum explicatione poſſit. Tantum generatim moneo, hic, quantum valeret facultate critica, expertum ANGELUM, idque cumprimis egiſſe, ut veterum cujusque generis Scriptorum, Medicorum etiam & Jureconſultorum, difficilioribus enodatu verbis aut ſententiis facem criticam accenderet, earumque aut lectionem veram ex vetuſtioris ævi Codicibus Manuſcriptis reſtitueret, aut per ſe obſcurum ſenſum quodam interpretandi artificio, collatisque aliorum Scriptorum exemplis, explanatiorem ſiſteret. Nomen libro *Miſcellaneorum* dedit, accommodatum ſatis ad rem ipſam, & ob id maxime excogitatum a POLITIANO, ne quis ordinis in ipſo opere negligentiorem diceret. Fecit in eo, quod dudum alii fecere, ex Græcis ÆLIANUS, CLEMENS ALEXANDRINUS, ARISTOXENUS, ex Latinis GELLIUS, quorum libri ſimile, a varietate rerum deſumtum, nomen habent. Horum exempla imitatum ſe ipſe fatetur POLITIANUS in *Epiſtola ad* LAURENTIUM MEDICEM, *Miſcellaneis* præmiſſa, qua inſtituti hujus rationes exponit. Imitari vero hoc magis poterat, quod res ipſa doceret, inſignem operi gratiam a jucunda rerum viciſſitudine venturam. Nam, quot ſunt in eo Capita, tot diverſa vides doctrinæ elegantioris argumenta explicata. Fuere autem, qui in ipſo *Miſcellaneorum* vocabulo novitatis vitium notarent, & ab eo, tanquam barbaro, nec bonis Autoribus uſitato, fuiſſe abſtinendum dicerent POLITIANO. Eſt in his maxime PETRUS VICTORIUS, qui vocem hanc, *ut variæ illi ma-*

 teriei

teriei significandæ idoneam, ita non satis fortasse puram, & seculo illi incontaminato frequentatam, expressamque a Politiano ad Græcam συμμικτῶν, quam multi veterum inscripserint libris suis, dicit in *Var. Lect. Lib. XXXIV. Cap. 13.* Locum integrum adduxi supra *Sect. I. §. XI. not. (f)*. Idem vero VICTORIUS, quasi pœniteret ipsum reprehensionis præposteræ, addit statim, *genus quoddam columbarum, ex duabus stirpibus concretum, miscellum* vocari VARRONI, & *miscellam doctrinam* ipsi GELLIO probari. At dextre inprimis POLITIANI adversus VICTORIUM causam egit BERNARDUS MONETA in *Menagian. T. III. p. 564. not. (5)*, qui voci autoritatem petit ex JUVENALIS *Sat. XI. v. 20*, ubi:

— — *redeunt ad miscellanea ludi.*

Quo in loco quicquid demum *miscellaneorum* vocabulo expresserit Poeta, id certo apparere, putat MONETA, quandam variarum rerum congeriem expressam. Addit, non minori jure librum suum dixisse *Miscellanea* POLITIANUM, quam CÆSAR olim librum Apophthegmatum *Dicta collectanea*, teste SUETONIO, & ATEJUS CAPITO vastæ molis opus *Conjectanea*, teste GELLIO, inscripserit. Quidni *miscellaneam turbam* APULEJI *Lib. III. Cap. 1*, Scriptoris, etsi non omnium purissimi, nec tamen spernendi prorsus, in subsidium vocaverit BERNARDUS, mirari possis. Quicquid ejus rei sit, non defuisse, qui vocabulum hoc, etsi quodammodo novum, tamen congruum, & hoc loco maxime oportunum, probarent valde, JO. BRODÆI, HIERON. MAGII, PETRI NANNII, & aliorum, libri *Miscellaneorum* testantur. Opus omne centum Capitibus distinxit ANGELUS, quibus additurus erat, si vixisset, alia centum, hisque plura. Sed bonum institutum mors immatura intervertit, rei literariæ detrimento maximo. Plura de his infra dabimus *§. III.* Factum hinc, ut hoc, quicquid exstat observationum criticarum, *Centuriam primam* dixerit POLITIANUS, his quippe, si fieri posset, comites daturus plures. Quæ cum non secutæ sint postea, non incommode in fronte editionis *Basileensis anni 1522 Centuriam unam* legis. Eleganter ad militarem hanc vocem alludit JAC. ANTIQUARIUS in *Epistola ad* POLITIANUM, *Lib. III. Epp.* POL. *Ep. 18: Cupio, & pro humano jure abs te peto, ut, cum in iis Miscellaneis,*

quæ

quæ edidisti, Centurionem te esse volueris, jam in reliquo opere, quod inter manus (ut arbitror,) multiplex, & eruditum est, tribunum, aut plane positis castris legatum te facias & imperatorem. Nam, quibus centum Capita placuerint, ii longe majore numero delectabuntur. Præmisit libro suo POLITIANUS elegantem & lectu admodum jucundam ad LAURENTIUM, Medicæum Principem, Epistolam, quæ sustinet Præfationis locum, unde, si quid adhuc dicendum superest de libro docto & bonæ frugis pleno, id petant, velim, Lectores nostri. Nam, quo consilio aggressus sit id operis, quid præstiterit re ipsa, quamve interpretandi Scriptores veteres normam secutus sit, docte hic Noster & copiose explicat, idque inprimis studiose agit, ut, si quid ab ipso scriptum sit, quo reprehensionem incurrere invidorum possit, ejus a se culpam amoveat. Nec defuisse postea, qui vel furti literarii, vel in viros summos iniquitatis, vel aliorum quorumcunque criminum, in *Miscellaneis* commissorum, postularent POLITIANUM, ex iis constat, quæ supra *Sect. I. §. XVII. not. (b)*, & alibi, diximus. Publicandi operis, ut patet ex eadem ad LAURENTIUM Epistola, autor POLITIANO exstitit LAURENTIUS, nec parum ille confirmatus est in proposito, quod ab aliis videret sua ante ipsum edi, eaque, misere depravata, cum magno famæ suæ detrimento, circumferri. Ita enim ad LAURENTIUM Noster: — — *hortari cœpisti nos, ut unam saltem ex eis Centuriam (nam centenis libri singuli Capitibus explicantur,) publicaremus. Quod nunc utique simul autoritate tua, qua major nobis quidem nulla in terris est, simul ratione, adducti, facimus: quoniam nostra ista jam nonnulli vel cum pulvisculo converrunt, sic ut aliis pridem sibique nostrorum titulo laborum nimis placeant.* Horum nomina non indicat POLITIANUS; nec, qui fuerint, nostrum est, hariolari. Vivente adhuc POLITIANO prodiisse *Miscellaneorum* librum, nullum est dubium; etsi minime assentiendum puto, qui ante annum 1483 publicatum putat, Autori Diarii *Hist. crit. de la Republ. des Lettr. T. III. p. 243.* Nam, quod ille, apparere id, contendit, ex Epistolis aliquot, quas legimus *Libro XI Epp.* POL., in eo ipsum oculorum acies defecit, qui, si anni Epistolis illis subnotati rationem habuisset, vidisset facile, nihil eorum, quæ ibi scripta sunt de *Miscellaneis*, ante an-

num 1493 ſcriptum. Sed, quid virum bonum fefellerit, indicabo. Eſt in illo *Epiſtolarum* libro una POLITIANI ad LUDOVICUM SFORTIAM, cui in editione *Gryphiana*, eadem nempe, qua uſus eſt Autor Diarii, ſubſignatus eſt annus 1483, idque vitio typothetæ, ut facile apparet ex reliquis, quæ ſubſequuntur, ejusdem argumenti Epiſtolis, in quibus nulla eſt, quæ non annum 1494 habeat. In hanc cum incidiſſet forte Autor ille, nec ejus naſi eſſet, ut ſubodorari errorem poſſet, hinc factum puta, ut, præcipitato nimis judicio, natale *Miſcellaneorum* tempus ante annum 1483 conſtitueret. Certius autem conſtat, vulgatum Opus omnium primum A. 1489 *Florentiæ*, forma majori, (*fol.*) ab ANTONIO MISCOMINO, non ignobili illius urbis Typographo. Editionis hujus indicium præbet MICH. MATTARIUS in *Annal. Typogr. T. I. p. 509. edit. nov.* qui & ejusdem fronti inſcripta ab ipſo, ut videtur, POLITIANO verba exhibet: *Impreſſit ex archetypo Antonius Miſcominus; familiares quidam Politiani recognovere; Politianus ipſe nec hortologiam ſe ait, nec omnino alienam præſtare culpam. Florentiæ, anno ſalutis M. CCCC. LXXXIX, decimo tertio Calendis Octobris.* Unde diſcas, non tam ipſius POLITIANI, quam amicorum quorundam, cura id operis in lucem exiiſſe publicam. Idem MATTARIUS notam addit, quæ docet, textum Autorum Græcorum, qui hic citentur, accentibus & ſpiritibus notari, præter Sibyllinos verſus, quos *Cap. LVIII*, & CALLIMACHI *in lavacra Palladis Elegiam*, quam *Cap. LXXX* Noſter exhibet. Eandem editionem, omnium primam, vidiſſe ſe nuper Florentiæ in Bibliotheca Laurentiana, & in ejus calce hæc, ipſius manu POLITIANI ſcripta, verba legiſſe: *Tibi habe, mi Petre Antoni, Miſcellanea noſtra, monumentum & pignus amoris, & fortaſſe gratiora futura poſteris, quod Autoris manu ſubnotantur. Politianus.* me frater optimus, CAROLUS OTTO, peregre jam vivens, literis ad me datis docuit. Exſtare etiam eundem librum in Bibliotheca publica Fribergenſi, diſcimus ex SAM. MOLLERI, ejusdem urbis Rectoris, *Progr. de Scriptoribus ac Typographis antiquioribus, in Bibliotheca publica Fribergæ inventis*, ibidem *A. 1726* edito. *Florentinam* ſubſecuta eſt *Saturnalibus anni 1496* editio *Brixienſis*, *fol.* cui additæ

ſunt

ſunt PHIL. BEROALDI *Annotationes variæ*, CALDERINI *Obſervationes quædam*, & JO. BAPT. PII *Annotamenta quædam*. Hanc, HIERONYMO DONATO Prætore ſapientiſſimo, BERNARDINUS MISINTA, Papienſis, ſumtibus ANGELI BRITANNICI, caſtigatiſſime impreſſit. Habet eandem editionem MICH. MATTARIUS *l.c. T.I. p.615*. Tum *Venetiis A.1502*, cura cujusdam JOANNIS BEMBI, *fol.* prodiere *Miſcellanea* POLITIANI, cum SABELLICI *Annotationibus ex Plinio, Livio, & pluribus Autoribus*, BEROALDI *Annotationibus & Caſtigationibus contra Servium & in Plinium*, JO. BAPT. PII *Annotationibus*, CALDERINI *Obſervationibus*, & EGNATII *Racemationibus*. Sed hanc editionem indigniſſimam luce, & fœdiſſime corruptam typothetarum vitiis, dicit Autor Diarii *Hiſt. crit. de la Republ. des Lettr. T.IV. p.276*. Eorundem Opuſculorum novam editionem prodiiſſe *Bononiæ A.1505, fol.* indicavit mihi vulgaris quidam librorum Index, ſed cujus fidem in me non recipio. Aliam etiam, anni, loci, & Typographi, indicio deſtitutam, quæ prodiit forma majori, adducit MATTARIUS *l.c. T.I. p.754*. Sed, iterum *Venetiis A.1508* publicata hæc *Miſcellanea*, certo nos docet TH. HYDE in *Catalogo impreſſ. libr. Biblioth. Bodlej. p.67*. Deinde *A.1511, Pariſiis*, JO. PARVUS & JOD. BADIUS ASCENSIUS *Miſcellaneis* POLITIANI primum locum dedere in libro, forma majori edito: *Doctorum virorum*, ANGELI POLITIANI, ANT. SABELLICI, PHIL. BEROALDI, DOMIT. CALDERINI, JO. BAPT. EGNATII, CORNELII VITELLII, JAC. A CRUCE, Bononienſis, PII ANTONII BARTOLINI *Enarrationes in Grammaticos, Oratores, Poetas, Philoſophos, Theologos, ac Leges*. Librum ipſe vidi, & ſatis de eo conſtat ex MICH. MATTARII *Annal. Typogr. T.II. p.224*. Hinc *Baſileæ A.1522, menſe Julio, apud Valentinum Curionem*, absque additamento, *forma 8*, edita ſunt *Miſcellanea*. Vid. MATTARIUM *l.c. T.II. p.630*. Addimus his editionem *Francofurtenſem, anni 1602, 8*, quam exhibet TH. HYDE *l.c.* Profert & libri hujus, cum SABELLICI *Annotationibus in Plinium*, & BEROALDI *Annotationibus contra Servium*, conjuncti, editionem, forma majori publicatam, ſed

anni

anni & typographi indicio destitutam, MICH. MATTARIUS *l.c. T. I. p.754. edit.nov.* Quin JANUS GRUTERUS egregio huic operi locum omnium primum dedit in suæ *Lampadis seu Facis liberalium artium, Francofurti A. 1602, 8*, editæ, *Tomo I.* Is vero cur, abjecto *Miscellaneorum* vocabulo, *Emendationes* inscripserit librum, causam ne conjectura quidem assequor. Forsan GRUTERIANUM hoc opus intelligit, qui *Francofurti A. 1602* vulgata dicit *Miscellanea*, TH. HYDE *l.c.* Sed merito cum Autore Diarii *Hist. crit. de la Republ. des Lettr. T. IV. p. 276* dolemus, in excudendo GRUTERIANO libro negligentissimum officii sui fuisse Typographum, ut in arte critica exercitatissimum esse oporteat, cui non molestiam facessat ejus lectio, sitque adeo optandum nobis, ut, qui nuper demum pulcherrimum hoc GRUTERIANÆ industriæ specimen novo prelo subjecit Panormi, ejusque *Partem primam* forma majori edidit, JO. FELIX PALESIUS, civis Patavinus, integerrimum nobis omnibusque mendis purgatum Opus sistat. Præterea, cum maxima *Miscellaneorum* pars Annotationibus in veteris tam Græciæ, quam Latii, Scriptores constet, hinc factum est passim, ut, qui priscis illis Autoribus denuo edendis operam impenderunt, his criticas POLITIANI, inter alias aliorum, animadversiones adderent. Ita, quæ in CICERONIS aliquot *Epistolas* commentatur Noster *Cap. XXV, XXVII, XXVIII, XXXIV, LIII, & LXXXVII*, adjuncta vides *Familiaribus Ciceronis Epistolis*, quæ cum *Commentariis* UBERTINI CLERICI CRESCENTINATIS, MARTINI PHILETICI, GEORGII MERULÆ, *& quibusdam etiam* ANGELI POLITIANI, *A. 1493 Venetiis, apud Bernaldum Benaldum, fol.* (vid. *Biblioth. Uillenbrouk. P. I. p. 276,*) tum *Venetiis A. 1497, apud Simonem Bavilaquam, Papiensem, fol.* porro *A. 1499*, incertum, quo loco, *apud Jacobum Zachonem Pedemontanum, fol.* (vid. MICH. MATTARIUM in *Annal. Typogr. T. I. p.707. edit.nov.*) & *Venetiis, apud Bernardinum Benalium*, (quo libro ipse utor,) postea *Venetiis A. 1500, ex officina Bartholomæi de Zanis de Portesio, fol.* (vid. *Biblioth. Hohendorf. p. 208*, & MICH. MATTARII *Annal. Typogr. T. I. p.713. edit.nov.*) ibidemque *A. 1502, ex Typographeo Albertini de Lisona, Vercellensis, fol.* (vid. idem MATTARIUS *l.c. T. II. p.157*) prodiere. Idem liber denuo

nuo prelum ſubiit *Venetiis A. 1519, fol. apud Georgium de Ruſconibus*, nec non *Auguſtæ Vindelicorum A. 1521*, (vid. *Catalogum Bibliothecæ Auguſtanæ p. 699,)* &, adjectis aliorum *Commentariis, Pariſiis A. 1534, apud Mich. Vaſcoſanum, fol.* (vid. MICH. MATTARIUM *l. c. T. II. p. 809) Venetiis*que *A. 1537, fol.* Vid. *Biblioth. Marckian. P. I. p. 93.* Eadem leguntur inter *Doctiſſimorum virorum*, SEBASTIANI CORRADI, *& aliorum, in Ciceronis Epiſtolas, partim omnes, partim aliquas, Annotationes*, editas *Baſileæ A 1540.* Vid. eundem *Catalogum Bibliothecæ Auguſtanæ p. 712.* Porro, quæ ad illuſtranda aliquot HORATII loca attulit Noſter *Miſcellan. Cap. III, X, XLII, & C*, locum invenere inter ERASMI, ALDI MANUTII, LUDOV. COELII, M. ANT. COCCII SABELLICI, JO. BAPT. PII, JAC. A CRUCE, PETRI CRINITI, & HENR. LORITI GLAREANI, *in Horatii Opera Annotationes*, publicatas *Baſileæ A. 1555, typis Henrici Petri*, quem librum nominat idem *Catalogus Bibliothecæ Auguſtanæ p. 723*, nec non in aliis HORATII editionibus, *Veneta, anni 1559, fol.* (vid. *Biblioth. Marckian. P. I. p. 141,) Baſileenſi, anni 1580, fol.* & *Friburgenſi Briſgaviæ, anni 1535, 8*, (vid. *Biblioth. Marckian. P. II. p. 124,)* & alia quadam, anni locique indicio deſtituta, cui BADII *Commentarius*, & BEROALDI *Annotationes*, acceſſere. Vid. *Catalogum Bibliothecæ*, ab ADR. MOETJENS *Hagæ* venditæ *A. 1732, p. 313.* Similiter illas in JUVENALEM Annotationes, obvias *Miſcellan. Cap. VII, IX, X, XVIII, XXI, XXXI, XXXIII, XXXVIII, XLII, XLVI, LXXXV*, cum JO. BRITANNICI, PHIL. BEROALDI, & JO. BAPT. EGNATII, *in Juvenalem Commentariis, Mediolani, ex officina Jo. Angeli Spinzenzeler, A. 1514, fol.* prodiiſſe, teſtatur MICH. MATTARIUS *l. c. T. II. p. 260.* Leguntur eadem in editione *Juvenalis, Lugduni Batav. A. 1619, 8*, edita. Habet & hæc ipſa, cum aliis, quæ commentatus eſt in PERSIUM *Cap. IV, XLIV, & XCVIII, Juvenalis & Perſius*, junctim editi *Mediolani A. 1574, fol.* (vid. JO. ALB. FABRICII *Biblioth. Lat. T. II. Lib. II. Cap. 18. p. 733,)* nec non *Pariſiis, apud Aſcenſium, A. 1519*, (vid. *eund. ibid.)* & *A. 1613*, 4, (vid. *Biblioth. Sarrazin. P. II. p. 173) Amſtelodami, apud Henricum Wetſtenium, A. 1684, 8*, & *Baſileæ, A. 1552. fol.* Sic &, quæ ad PLAUTUM obſervavit Noſter *Cap. LXVI*, exhibet antiquiſſi-

ma *Plauti* editio, anni & loci indicio destituta, quæ cum correctione & interpretatione HERMOLAI, MERULÆ, POLITIANI, & BEROALDI, forma majori (*fol.*) prodiit, nec non BOXHORNIANA, *Lugduni Batavorum A. 1645, 8*, publicata. Quæ in VALERIUM MAXIMUM passim annotata leguntur, cum aliis aliorum Animadversionibus adjecta sunt *Valerio Maximo, ex recens.* A. THYSII edito *Lugduni Batav. A. 1670, 8.* In VIRGILIUM Animadversiones editioni hujus Poetæ, *Lugduni Batav. A. 1661, ex officina Hackiana, 8*, emissæ, adjecit CORNEL. SCHREVELIUS. Denique nec illud tacendum, *Miscellaneorum* hoc Opus a JOD. BADIO ASCENSIO Annotationibus illustratum, brevissimis iis quidem, neque tamen indoctis, sed ita comparatis ut, quæ non satis explicata videbantur a POLITIANO, lucem hinc clariorem accipiant. Quantum mihi cognoscere licuit, similes prorsus sunt iis, quas idem BADIUS scripserat in *Epistolas* POLITIANI, de quibus agere me sub nota *(c)* hujus §. meministi, Lector. Accessere hæ *Operibus* POLITIANI, a BADIO *Lutetiæ A. 1519* editis, non, quod sciam, unquam seorsim editæ.

(g) Sustinet libellus iste Prælectionis vicem, recitatæ a POLITIANO, duos posteriores libros ARISTOTELIS, qui *Resolutorii* dicuntur, & *de argumentorum sedibus* octo alios, enarraturo publice. Pauca de eo supra diximus *Sect. I. §. XIV. not. (c)*, nec, quæ addenda illis putem, jam supersunt multa. Non enim hic novam argumentandi rationem proponit Noster, sed, quæ ARISTOTELES olim, hujusque illustrator, PORPHYRIUS, magnis voluminibus complexi sunt, in compendio tradit, omnemque vel ratiocinandi, vel demonstrandi, vel disserendi, vel postremo cavillandi, artem ita velut in nuce exhibet, ut commode hauriri ex hoc fonte prima nobilissimæ scientiæ, quam Dialecticam dixit ARISTOTELES, elementa possint. Habes igitur hic in compendium redacta ipsissima ARISTOTELIS præcepta, quæ si quos nostro adhuc tempore sectatores habent, non ab his industriæ, in scribendo hoc libello collocatæ, gratiam POLITIANUS nullam feret, inprimis cum perspicue omnia, commodisque vocabulis, & oratione, quantum licuit,

con-

concinna, expresserit. JO. LUD. VIVI *Lib.IV. de trad. discipl. p. m. 545* libellus hic *utilis* dicitur *ad suppeditanda quædam artis vocabula.* Sed, cum idem *l. c.* nescio, qua insectandi POLITIANI libidine, *in Dialecticis flosculos quosdam decerpere* Nostrum, dicit, *ad ostentationem, quam unam fere venetur*, quam vellem, parcius hæc objecisset viro bono, qui, si usquam alibi, certe hoc in opere alienissimus est ab affectata dictione, & id maxime dedisse operam videtur, ut, quæ Philosophum decerent, verbis sententiisque uteretur. Verane scribam, Lectorum esto judicium. Opellæ huic, miror, contigisse nunquam, ut seorsim in lucem publicam exiret; cum similis generis libellis aliis, nescio, an magis hoc honore dignis, id sæpissime contigerit. Quærendus igitur liber in *Operibus* POLITIANI, junctim publicatis, quorum nulla mihi, cui non accesserit is ipse, editio inspecta est. Oportune etiam compendiariam hanc ARISTOTELICÆ *Dialecticæ* tractationem, in partes suas dissectam, iis ARISTOTELIS libris, unde desumta est, adjecit *Operum* ARISTOTELIS Editor *Basileensis, anni 1538.* Vid. *Catalogum Biblioth. August. p. 538.*

(b) De capitali illa, & post hominum memoriam inaudita, Pactianæ gentis, tunc inter Florentinos nobilissimæ, adversus Medicæos Principes, LAURENTIUM & JULIANUM, conjuratione, ut JULIANO, ita ipsis PACTIIS, funestissima, quæ incidit in annum 1478, vix est Scriptorum Florentinorum unus, qui non amplissime commemoret. At omnium primus rei tam nefarie gestæ historiam in Commentarios retulit POLITIANUS noster, quippe qui atrocissimæ hujus conjurationis initia æque, ac exitum tristissimum, spectavit ipse, nec tam ab aliis accepta, quam a se ipso visa, & publicis rumoribus confirmata, literis mandavit. Exstat enim *de Pactiana in Laurentium & Julianum, fratres, universamque Medicæam gentem, conjuratione historia, sive Commentarius* POLITIANI integer, brevior is quidem, si operis molem spectes, at, si argumenti rationem habeas, plenissimus. Diligenter enim Noster universam hic facti sanguinarii historiam persequitur, ut, quæ ejus fuerint initia, quæ incrementa, quam fatalis exitus, quis conjuratorum furor, quam abominandæ fraudes & insidiæ, quanta porro Medicæorum Principum hic virtus eminuerit, quanta populi Florentini

erga hos ipsos fides eluxerit, ea hic sermonis vel copia, vel elegantia, sit enarratum, ut, quod desiderare jure possis, prorsus sit nihil. Adjecit ad calcem operis *Epigrammata* tria *in Franciscum Salviatum, conjurationis complicem*, hominem nequissimum atrocissimumque, qui justas nefarii sceleris pœnas laqueo dederat. Redit vero hoc major in POLITIANUM ex hoc libello gloria, quod primus sit, quantum constat, eorum, quos oratione ipse soluta scripsit, quippe tunc adhuc juvenis, & annum ætatis vix quartum & vigesimum egressus. De eo satis honorifice JOVIUS in *Elog. P. I. p. m. 160*: *Quibus initiis, quove exitu, susceptum patratumque sit id immane scelus, Angelus Politianus, summæ doctrinæ vir, ut qui cunctos atrocis ejus tragœdiæ actus spectarat, peculiari Commentario, qui impressus exstat, luculentissime perscripsit.* Idem JOVIUS in *Elog. doctor. vir. Cap. XXVIII. p. m. 82*: *Juliano a Pactiis in templo immaniter interfecto, ejus vindicatæ conjurationis historiam Latine ornatissimeque perscripsit.* Conf. GERH. JO. VOSSIUM *Lib. III. de Hist. Lat. Cap. 8. p. 628.* An vero ea sit opellæ præstantia, ut gravior concinniorque componi ab ipso TULLIO vix potuerit, quod eruditorum illius ætatis, congregatorum in Bibliotheca Laurentiana, commune judicium fuisse, nugator ille VARILLASIUS in *Anecdot. de Flor. Lib. IV. p. 194* tradit, inquirant sagaciores, velim. Quod ad genus scribendi, non infeliciter hic SALLUSTIUM expressit; cujus *de Conjuratione Catilinaria* librum habuisse, cum hæc scriberet, ante oculos videtur. Idem videtur ingenioso Autori libri: *Caracteres des Auteurs anciens & modernes p. 122 & 149*, qui magnam eo nomine POLITIANO laudem tribuit, & inter ceteros conjurationum Scriptores, UBERTUM FOLIETTAM, SARRAZINIUM, & Abbatem DE SAINT-REAL, primo eum loco nominat. Quod vero ad res ipsas, hic commemoratas, attinet, vix adeo mirandum putes, non ita hæc a POLITIANO referri, sicut referunt Scriptores alii, Pactianæ domus studiosi magis, nec ita, sicut Noster, Medicææ genti dediti. Dandum aliquid fuit pietati in eam gentem, cui accepta ferebat Noster & ipsa fortunæ suæ initia, & incrementa maxima. Quin ipsa turpitudo sceleris, a PACTIIS perpetrati, veniam dare videbatur AN-

GELO,

GELO, his libere insultandi, & atrocitatem facti seris posteris narrandi. Meminisse horum decebat Scriptorem Florentinum, quem nimius Pactianæ gentis amor urget, JO. MICH. BRUTUM, ne abjecte & indigne de labore POLITIANI scriberet in *Histor. Flor. Lib. VI. p. 313: Non est consilium, hoc loco recensere, quæ Angelus Politianus eo libello complexus est, quem de Pactiorum conjuratione conscripsit. Nihil enim in eo dignum hominis constantia & gravitate, omnia, quæ doloris sensus atque animi mollitia a scribente videantur expressisse, & qui eos modo, in quos scriberet, non qui scriberet, intueretur. Unum apparet maledicendi studium, quo maxime insultat in nobilem & claram familiam: ut jam non rei gestæ explicatio, sed declamatio verius, atque ea quidem puerilis, minime eo certe homine digna videatur, qui fama eruditionis, atque eloquentiæ inprimis, suæ ætatis clarus excelluerit.* Ita pro diversitate ingeniorum plerumque diversa sunt hominum de laboribus præstantissimis judicia. Habes hunc POLITIANI partum in sola *Operum* ejus editione *Basileensi*, quam *A. 1553* vulgavit NICOLAUS EPISCOPIUS, Typographus, earum quippe, quæ prodiere unquam, postremam. Sed nihil hic Præfationis additum, nec, unde ipsi copia facta sit libelli, verbo indicavit typographus. JOVIUS, ut paulo ante vidimus, jam sua ætate impressum testatur; & CONR. GESNERUS in *Appendice Bibliothecæ suæ p. m. 8. b. Florentiæ* editum dicit *ternionibus 3.* Sequitur GESNERUM BERNARDUS DE LA MONNOYE in *Memoir. de Literat. T. I. p. 250*, sed qui postea mutavit sententiam, & primam libelli hujus editionem illam *Basileensem* dixit, in *Notis ad Bailleti Jug. des Sav. T. V. P. I. p. 88. not. 1.* Ego vero, etsi facile assentior GESNERI JOVIIque testimoniis, idque hoc magis, quod, si ex Codice manuscripto primus hæc prodidisset EPISCOPIUS, non is videatur ejus rei in *Operum* Præfatione omissurus mentionem fuisse, valde tamen miror, nec in *Annalibus Typographicis* MATTARII, quos ego integros pervolutavi, nec in ullo librorum Indice, nec usquam alibi, vetustioris editionis vestigium occurrere, ut, si nihil aliud, saltem in rarissimis habendam, hinc appareat. Quod vero, in sola *Operum* POLITIANI editione *Aldina* extare hunc Commen-

mentarium, HENR. BRENCMANNUS in *Histor. Pandect. Flor. p. 307* tradit, id nemo non videt errorem esse scribentis *Aldinam* pro *Basileensi.* In *Aldina* enim nihil hujusmodi legi, ipsa operis inspectio me docuit. Una, quod dixi, *Basileensis* habet librum, nec ab eo tempore seorsim unquam publicatum constat, sicut nec recentior ulla *Operum* POLITIANI editio *Basileensi* exstat. Ejusdem Conjurationis Pactianæ Historiam, Gallico sermone scriptam, *Lutetiæ, A. 1698, 12*, edidit quidam *Nobilis (le Noble)*, qui libro rubrum dedit: *L'Histoire secrete des plus fameuses Conspirations; de la conjuration des Pazzi contre les Medicis, avec la suite.* Duabus Partibus opellam distinxit Scriptor, quarum altera Pactianam adversus Medicæos, altera PISONIS adversus NERONEM, conjurationem persequitur. Sed verius fabulam Romanensem, quam Historiam, dicas, & ad delectandos magis, quam instruendos, Lectores compositam. Nam, quæ narrantur hic, nullis Scriptorum testimoniis firmantur, nec ullam POLITIANI, Scriptoris minime hic negligendi, rationem Autor habuit, factumque hinc, ut multa a veritate alieniora protulerit.

(i) Jucundissimam lectu, si quam aliam, hanc in priora ARISTOTELIS Analytica Prælectionem puto. Quanta quanta est, tota fabula est, qua ingeniose Noster ignobiles quosdam, & suæ fortunæ invidos, homines pungit, quos male habebat nova Philosophiæ fama, non tam occupata a POLITIANO, quam suffragio aliorum ipsi parta. Indignabantur hi maxime, POLITIANI, *nullis unquam* (ita ajebant illi,) *Philosophorum præceptis instituti, nec in his studiis, quanta par erat, cura versantis, repente in Philosophorum subselliis nomen eminuisse.* Hos Lamias dixit, monstrosum vetularum genus, quibus PLUTARCHUS tribuat oculos exemtiles, *hoc est, quos sibi eximant, detrahantque, cum libuit, rursusque, cum libuit, resumant atque affigant. Has, cum quid inspectare avent, insertare quasi forfici nasum*, ait, *&, cum satis inspectarunt, recondere in theca.* Inde *Prælectioni* nomen datum. Satyra gravis, & condita sale suo, quæ, si ad vivum resecetur, illud te docet, primum nihil turpitudinis habere Philosophiæ studium, neque adeo eo nomine vituperandum POLITIANUM, deinde,

de, quod Philoſophis interpretandis ſtudium addixerit, non eo animo id factum a POLITIANO, ut Philoſophiæ laudem affectaret, quam caducam & a ſe alienam dicit, ſed ut cujuscunque generis Scriptores interpretandi antiquum Grammaticorum jus tueretur. Copioſa hæc & jucunda admodum oratione explicantem, ipſe, ſi placet, vide, Lector, qui probe noſti, multo ſuavius hæc penes Autorem legi, quam enarrari a nobis ipſis, poſſe. Videtur hæc *Prælectio*, ut aliæ omnes, quæ ad Philoſophiam ſpectant, non longe ante mortem POLITIANI ſcripta. Sero enim ad hæc ſtudia converſum, aliunde conſtat. Habent eam, quotquot mihi inſpectæ ſunt, *Operum* POLITIANI Collectiones. Sed & ſeorſim publicata eſt ***Tubingæ, in ædibus Thomæ Anshelmi Badenſis***, absque anni indicio, *forma* 4, (quam ipſi manibus trivimus editionem,) cum illa altera, quam *Panepiſtemona* inſcripſit Noſter, nec non *Tarviſii A. 1483*, *fol.* (vid. *Bibl. Oizel. p. 236*, unde hanc editionem profert MICH. MATTARIUS in *Annal. Typogr. T. I. p. 778. edit. nov.*) & *Regii A. 1504* (vid. *Indicem Bibliothecæ Franc. Barberini T. II. p. 228*). Cumque fabulam hic legas, prorſus ad mentem veterum expreſſam, nec ſuo nucleo carentem, hinc factum, ut, qui in unum corpus collectas, ſive veterum, ſive recentiorum, fabulas dedere, non omittendam hic POLITIANI *Lamiam*, certe eam *Lamiæ* partem, quæ maxime fabulam ſapit, putarent. Ita adjectam video libro, cui rubrum: ***Fabularum*** GUIL. GOUDANI, HADR. BARLANDII, ERASMI-ROTERODAMI, ANGELI POLITIANI, PETRI CRINITI, JO. ANT. CAMPANI, PLINII SECUNDI, & NIC. GERBELLII, *liber. Argentorati, apud Matth. Schurerium, 1518, 4*, quem vid. in *Biblioth. Uilenbrouk. P. II. p. 251.* Qui liber, ſive prorſus idem, ſive aliis aliorum, ut ÆSOPI, AULI GELLII, LIVII, HORATII, AVIANI, LAUR. VALLÆ, LAUR. ABSTEMII, BAPT. MANTUANI, GUIL. HERMANNI, & SANNAZARII, fabulis auctus, denuo in lucem exiit, eadem in urbe, *A. 1519, 4*, (quam editionem ipſe vidi,) nec non *A. 1520*, (vid. *Catalogum Biblioth. Augeſt. p. 839*), & *A. 1523, apud Jo. Cnoblech, 8*, (vid. *Biblioth. Uilenbrouk. P. III. p. 206*, quæ forſan eadem eſt editio, quam *A. 1524, Argentorati, apud Joannem Knoblauchium*, editam profert

fert

fert doctissimus Belga, HENR. CANNEGIETERUS, in *Præfatione*, FLAVII AVIANI *Fabulis*, quas ipse edidit *Amstelodami A. 1731*, præmissa,) *Parisiis* etiam *A. 1527, apud Robertum Stephanum, 8*, (vid. MICH. MATTARII *Annal. Typogr. T. II p. 690,)* & *apud eundem, A. 1537, 8*, (vid. eundem MATTARIUM, *ibid. T. II. p. 475,)* nec non ejusdem cura *A. 1547*, (vid. ejusdem CANNEGIETERI *Præfationem Fabul.* AVIAN. *l. c.)* porro *Tubingæ, A. 1538, apud Ulricum Morhardum, 8*, (fœdissima aspectu editio,) *Antverpiæ, excudente Joanne Latio, A. 1563*, (vid. ejusdem CANNEGIETERI *Præfat. l. c.)* denique *Francofurti A. 1580* (vid. *Indicem Biblioth. August. p. 734)*. Laudabit nostram in colligendis *Fabularum* editionibus industriam, qui cum legione hac nostra exiguam illam manum, a Clarissimo CANNEGIETERO in Præfatione *Fabularum* AVIANI collectam, diligentius contenderit.

(k) *Lamiam* in *Operibus* POLITIANI *Panepistemon* subsequitur. Recitavit hanc Noster, in ARISTOTELIS *de Moribus* libros commentaturus. *Panepistemona* inscripsit, quod omnium scientiarum artiumque, non earum tantum, quæ sunt vere sublimes, & communiter liberales dicuntur, sed aliarum etiam, quæ vulgo in sordidis & sellulariis habentur, veram & germanam indolem, alteriusque cum altera conjunctionem, exponat. Novum tunc temporis & inauditum argumentum, sed cujus, nemo est, qui non insignem multiplicemque usum perspiciat. Decet enim Philosophum, eorum, quæ sunt ante oculos constituta, omnium causas nosse, &, unde rerum, etiam levissimarum, origo sit, quo nexu inter se conjunctæ, quem in finem excogitatæ sint, ex ratione cognoscere. Facto igitur a primis doctrinarum elementis initio, quandam scientiarum artiumque omnium, quibus occupatur ingenium humanum, catenam nectit, accuratas singularum definitiones suppeditat, &, qua in re sita sit illarum inter se diversitas, satis distincte & perspicue nos docet. Sed, ut magnum fuit, amplissimique instituti, nec cuiquam antehac tentatum, opus, ita facile invidiam aliorum provocavit, inter quos GUIL. BUDÆUS per ludibrium in libro *de Asse & partibus ejus p. 197*: — — *Utrumlibet autem dixeris, luculenter hallucinatus comperietur Politianus. At alterutrum vix de eo homine credere fas est, qui Panepistemona librum condidit, quo omnium rerum artiumque*

que scientiam profiteri videtur, summatimque tradere. Illud per se patet, æstimandum hoc opus ex ætate, qua scriptum, nec hic quærendas eas argumentandi subtilitates, quibus ætas recentior adsuevit. Nam, ubi ipsos Autor artium humanarum fines constituit, hasque in partes dividit, & singularum rationem per definitiones explicat, parum deflectere a veterum, inprimis ARISTOTELIS sui, vestigiis videtur. Sed, quod una in tabula omnium scientiarum velut progeniem & familiam congregari jubet, mutuamque harum cognationem ostendit, id, cum novum sit, nec ita ab ipsis priscæ ætatis Philosophis tentatum, non levem materiam laudis habet. Sigillatim editum libellum cum *Prælectione Lamia Tarvisii A. 1483, fol.* & *Regii A. 1504*, sub *nota antec.* dixi. Sed & eodem anno *Lugduni*, cum aliis aliorum Scriptorum, *forma 8*, editus est a SYMPHORIANO CHAMPERIO in libro *de triplici disciplina, cujus partes sunt Philosophia naturalis, Medicina, Theologia, Moralis Philosophia, integrantes quadrivium.* Vid. *Catalogum Biblioth. August. p. 364.* Porro cum *Conclusionibus 900, in omni genere scientiarum, quas olim Jo. Picus Mirandula Romæ disputandas proposuit*, incertum, quo loco, prodiit *A. 1532, 8,* (vid. *Bibliothecam Tellerianam p. 413,*) & cum NICOLAI HILL *Philosophia Epicureo Democritiana, Coloniæ Allobrogum, ex officina Fabriana, A. 1619, 16,* ut patet ex *Catalogo Biblioth. Jos. Renati Imperialis p. 394.* Memini & olim editum id opellæ *Lipsiæ* ab ANDREA RIVINO, Poetices Professore in hac Academia clarissimo, Academicisque disceptationibus membratim subjectum; cujus laboris tenuem particulam, forma, quam octavam vocant, nescio, quo anno excusam, ostendit mihi nuper Amicus quidam, qui nisi fuisset, nulla forsan unquam hujus rei notitia ad me pervenisset.

(l) Sequimur eundem ordinem, quem sequi placuit *Operum* POLITIANI editoribus. Alioqui, si temporis, quo recitata est Oratio, rationem habeas, videbatur reliquis, de quibus postea dicemus, postponenda utique. De ceteris enim hic mentionem injicit, tanquam ante aliquot annos recitatis. At, Orationis si præstantiam & dignitatem spectes, non erat, quæ potiori jure primum locum tueretur. Argumentum ejus partes duas habet. Altera, quis fuerit HOMERUS, & quæ fata ejus, exponit breviter; ubi ducem Noster, quod facile putes, PLUTARCHUM sequitur. Memini-

ministi hic fabellæ lepidæ, a BUDÆO & DUARENO memoratæ, de qua diximus *Sect. I. §. VII. not. (d).* Altera de libris Carminum HOMERI differit, atque præcipuas horum dotes ordine exponit, idque planum facit, neque ullum unquam exstitisse ingenium HOMERICO majus, neque opus usquam exstare humanum, quod sit venustis Poetæ hujus Carminibus ullo modo anteponendum. Neque vero hic satis fuit Oratori, verbis laudare, sed, eam certissimam laudandi rationem arbitratus, quæ robur suum ex re ipsa caperet, selectissima tam *Iliados*, quam *Odysseæ*, in quibus pulchrum & sublime aliquid inesset, exempla attulit, & ex his cognoscere auditores divini vatis incomparabiles virtutes jussit. Oratio non facunda tantum, & verborum ornatu splendida, sed erudita etiam, & magno illi Poetarum Regi vere honorifica, addo, quæ cum ipsis Carminibus HOMERI conjungi, ut in ipso statim horum limine a juventute possint venustissimi Poetæ laudes legi, cummaxime meretur. Sed nescio, an, præter *Andream Cratandrum*, Typographum, qui cum *Odysseæ Homericæ libro primo & secundo* hanc *in Homerum Præfationem*, *Basileæ*, *A.1520*, *forma 4*, edidit, præclare ita de juventute sit quisquam alius promeritus.

(m) Enarraturus publice Poetæ STATII *Sylvarum* libros, & *Oratorias* QUINTILIANI *Institutiones*, id statim prævidebat Noster, fore eorum haud paucos, qui parum deliberatum dicerent hoc consilium, propterea, quod ad infimi subsellii Poetas rejiciendum STATIUM, & CICERONI postponendum longe QUINTILIANUM, judicarent. Vindicandum igitur ab horum accusationibus institutum suum, præmittendamque publicis Prælectionibus Orationem hanc, duxit, qua lectionem STATII cumprimis commendaret juventuti, & *Oratoriarum* QUINTILIANI *Institutionum* præcipuas præ CICERONIANIS præceptis virtutes ostenderet. Duplex igitur, idque diversum valde, Orationis argumentum habes. Primo loco STATIANORUM Carminum virtutes poeticas extollit, persuasumque auditoribus cupit, *ejusmodi esse hos libellos, quibus vel granditate heroica, vel argumentorum multiplicitate, vel dicendi vario artificio, vel locorum, fabularum, historiarum, consuetudinumque, notitia, vel doctrina adeo quadam remota, literisque abstrusioribus, nihil ex omni Latinorum Poetarum copia anteferri pos-*

possit. Qua in re ab aliis Scriptoribus diversissime sentire Nostrum, vel ex JUL. CÆS. SCALIGERI *Libro VI. Poetic.* qui est *Hypercriticus, p.* 776 patet. Nec desunt tamen suffragia aliorum, qui nihil istarum laudum immerenti collatum STATIO existiment. Sufficiat unicum JAC. GADDII, honorifice scribentis *T. II. de Scriptor. non Eccles. p.*341: *Sylvas Statii egregium & unicum opus absque æmulo judicat acerrimus eruditissimusque Politianus, qui Oratione de Sylvis Statii disertissimum & singulare encomium concinnavit, cui fere in omnibus consentio.* STATIUM, satis laudatum, QUINTILIANUS excipit, cujus & vitam Noster brevi narratione persequitur, &, qui exstant, libros, inprimis *Institutiones Oratorias*, iis laudibus exornat, quæ facile persuadere unicuique Lectorum possint, facere hos prudenter inprimis, & sibi ipsis optime consulere, qui gravissimo hoc Romanæ eloquentiæ magistro utantur. Partem hanc *Prælectionis splendidam & gravissimam* vocat JO. HENR. BOECLERUS in *Bibliograph. crit. Cap. III. §. 9. p.* 42. In his, quæ de scriptis FABII memorat, facere cum illis video POLITIANUM, qui *Declamationum* libros, & *de Causis eloquentiæ corruptæ Dialogum,* QUINTILIANO tribuunt; quod ei facile condonamus, nondum ea edocto, quæ in contrariam partem nostro tempore acutissimi Critici disputarunt. Ex Oratione POLITIANI verba adducit GUIL. SALDENUS *Lib. II. de Libris Cap. IV. p.*394, quæ mihi, legenti eam, haudquaquam obvenere. Scribit enim, *Senecam*, ex POLITIANI testimonio, *tanquam arenam sine calce, ob corruptum & depravatum dicendi genus risum a Quintiliano.* Nihil istorum Noster, cujus hæc potius verba sunt: *Senecam tantum damnare, invisumque habere, est creditus, quod accidisse sibi ipse scribit, dum corruptum & omnibus vitiis depravatum dicendi genus revocare ad severiora judicia contendit. Nam, cum solus fere Seneca in manibus adolescentium foret, non quidem ipsum omnino conabatur excutere, sed potioribus præferre non sinebat.* Ceterum Orationis hujus eam partem, quæ agit de QUINTILIANO, ipsis hujus Scriptoris *Institutionibus Oratoriis* præmissam video in editione *Parisiensi, A.*1549 a MICH. VASCOSANO, forma majori, (*fol.*) publicata, (vid. JO. ALB. FABRICII *Bibl. Lat. T. I. Lib. II. Cap.* 15. *p.* 690, & JO. GEORG. GRÆVII *Cohort. Mus. p.*341,) *Geneven-*

 si,

ſi, anni 1641, 8, quam *ex officina Petri Chouet* emiſit DAN. FAREUS, *Roterodamenſi, anni 1665,* parata in *officina Hackiana,* (vid. FABRICIUM *l. c. T. I. p. 426,* & ANT. TEISSIERIUM in *Auctario Catalogi Autorum* &c. *p. 14,*) *Lugdunenſi Batavorum, anni 1720,* 4, quam, *ſumtibus Jo. de Vivie*, PETRUS BURMANNUS, fulgidiſſimum Criticorum ſidus, publicavit, (ſed quæ ineptiſſimum, forte a Typographo ita depravatum, titulum habet: *Campani Præfatio, ex Angeli Politiani Præfatione in M. Fab. Quintiliani Inſtitutiones Oratorias,*) denique *Pariſienſi*, quam *A. 1725 ex officina Ant. Urbani Couſtelieri*, forma majori, (*fol.*) exire juſſit CLAUDIUS CAPPERONNERIUS.

(*n*) Orationem hanc dixit Noſter Florentiæ, publicarum in SUETONII *Hiſtorias* prælectionum initium facturus. Maximam ejus partem laudes Hiſtoriæ abſolvunt, cujus, eundo per ſingula doctrinæ univerſæ genera, tantam Noſter exiſtere, quantam nec facultatis ullius, nec diſciplinæ, utilitatem, oſtendit. Sed, hæc legens, memineris, non Philoſophum te, ſed Oratorem, legere, quem, modo veritatis ſpeciem, quæ profert, argumenta habeant, ipſam eorum veritatem nihil aut parum curare conſtat. Inde, quæ ſint præcipuæ Hiſtorici virtutes, ſive narrationes ipſius, ſive genus dicendi, ſpectes, ordine diligenterque exponit; harumque laudem omnium, ut inprimis Vitarum Scriptoribus, ita in his maxime SUETONIO, deberi, contendit. Hujus non ſolum *Hiſtoriarum* libros elegantia ſermonis, & narrationum fide, rerumque ſcitu digniſſimarum copia, in præſtantiſſimis habendos dicit, ſed de ipſa etiam vita, ſcriptisque reliquis, varia, *haud multa illa quidem, ſed multo*, ut ipſe ait, *conquiſita labore*, commemorat. In quibus eam ſibi ipſe gloriam vindicat, quod *ex diverſis, vel Græcis, vel Latinis, Scriptoribus primus hæc collegerit, primus in medium extulerit.* Addit ſub finem *Orationis* Scriptorum aliorum, qui Auguſtorum hiſtorias in Commentarios retulerunt, nomenclaturam quandam, qua commode in rem ſuam uſum SAM. PITISCUM in *Dedicatione, Suetonio* ſuo præmiſſa, inſpicienti cuique patet. Ultimo loco alterius *de Suetonio* Prælectionis a ſe recitandæ ſpem facit; cui promiſſo num ſteterit poſtea, minime compertum habeo. Adjectam vides hanc *Prælectionem* non ſolum *Operibus* POLITIANI,

NI,

NI, junctim publicatis, sed *Epistolis* etiam, *Hanoviæ*, *A.* 1622, 12, & *Amstelodami A.* 1644, 12, editis, nec non *Suetonio*, qui cum *Commentario* CASAUBONI, & *Dissertationibus* BOECLERI, *Argentorati* prodiit *A.* 1647, 4. Ejusdem partem præmissam video *Suetonio*, cum *Annotationibus diversorum* edito *Amstelodami A.* 1700, 24.

(o) Recitata est *Oratio* sub auspiciis prælectionum in PERSIUM, Satyricorum Poetarum, si a JUVENALE discedas, principem. Si ex argumento nomen dandum Orationi, *in Satyram* potius, quam *in Persium*, inscribi fas erit. De PERSIO hic non nisi paucissima, multa vero de ipsa Satyra, argumento admodum jucundo, sed explicatu satis difficili, de quo, nescio, an ante POLITIANUM Grammaticorum quisquam dixerit. Quo magis operam hic dedit, ut, Græciæ Latiique ultimas antiquitates scrutando, in clarissima luce poneret obscuram adhuc Satyræ rationem. Ordine igitur rem aggressurus, primo loco in Satyræ originem inquirit, &, qui fuerint Satyri, disputat, ubi, cum serio affirmat, exstitisse quondam Satyros, vix assensum ei præbebunt, qui IS. CASAUBONUM *de Satyrica Poesi Lib. I. Cap.* 2, & TH. CRENII *Præfationem*, huic libello CASAUBONIANO, quem *Musei* sui *Philologici Tomo I* adjecit, præmissam, legerunt,) tum versus Fescenninos explicat, & Satyricæ ab Atellana differentiam ostendit, denique Satyricos Poetas veteres, & in his PERSIUM inprimis, dignis laudibus prosequitur. Eruditissima, meo judicio, Oratio, sine qua, nescio, an ita elucubratum Opus CASAUBONI prodiisset. Dignissima adeo, quæ PERSII ipsius frontem ornet in editione hujus Poetæ *Lugdunensi, typis Nic. Lupi*, *A.* 1499, 4, publicata, (vid. *Biblioth. Uilenbrouk. P. II. p.* 233,) & in *Parisiensi, apud Claud. Morellum*, *A.* 1613, 4, edita. Vid. eandem *Biblioth. ibid.*

(p) Quæ de *Dialectica* scripsit Noster, verius Prælectionis partem, quam Prælectionem, dixeris. Non enim hic nisi exordium habes Orationis, qua universam Dialecticam, haustam ipsi ex Græcis Latinisque fontibus, complecti destinaverat. Sed nihil hujus legas in *Operibus* POLITIANI; etsi facile huc traherem illam alteram, quam *Dialecticam* inscripsit, nisi & hæc ipsa haberet exordium suum, cui præmissum aliud, vix credibile videtur. Non

 dissen-

diſſenſerim tamen, ſi bis ab eo recitatam *Dialecticam*, & diverſum huic tempore diverſo exordium præmiſſum, dicas. In his, de quibus in præſenti ſermo nobis, duo inprimis agit Noſter, primum ut Dialecticæ dignitatem extollat, &, ſine ea nihil in reliquis Philoſophiæ partibus poſſe profici, oſtendat, deinde, ut, de ſe ipſo quid ſperandum ſit, quam philoſophandi rationem inierit, unde hauſerit hanc doctrinæ partem, auditores edoceat, eos inprimis, qui novum hunc Philoſophum, ſero iſtis ſacris initiatum, invidia correpti, riſu magis quodam, quam applauſu, exceperant. Utrumque argumentum breviter, ſed eleganter, iisque rationibus, exponit, quæ & Philoſophiam ipſam, & novum hunc Philoſophum, feliciſſime vindicare a contemtu aliorum poſſint. Exſtat hæc Prælectio, ſicut reliquæ omnes, inter *Opera* POLITIANI, junctim edita, nec legiſſe me eam uſquam alibi recordor.

(q) Compoſita a POLITIANO, ſed habita coram Pontifice hæc Oratio a BARTHOLOMÆO SOTHINO, Senenſi, eodem, ni fallor, quem *doctorem excellentem, imo vero plane ſingularem, quin alterum ſeculi ſui Papinianum*, vocat Noſter in Epiſtola ad JACOBUM MODESTUM, *Pratenſem*, quæ eſt ultima *Libri V. Epp.* POL. Huic, quantumvis erudito, & bonis artibus exculto, viro, inter recitandum fatalis caſus accidit, ut in media oratione, verecundia forſan mentis aciem hebetante, inoportunum dicendi finem faceret. Docemur hæc a PETRO CRINITO, certiſſimo eorum, quæ ipſius ætate contigerunt, teſte, *Lib. V. de Honeſta diſciplina Cap. III*, quem de re tam ſingulari jucunde commemorantem audiamus: *Hoc & ætate noſtra aliquando accidit. Nam viri aliquot, & doctrina, & rebus gerendis prudentia non vulgari, inter orandum exciderunt, ſicuti ex populo Senenſi Bartholomæus nuper Sothinus, Juris, cum civilis, tum Pontificii, conſultiſſimus, qui Alexandro, Pontifici Maximo, ſuæ civitatis nomine gratulaturus, in media prope oratione excidit, quam illi Angelus Politianus dictaverat.* Quæ ſi vera ſunt, ſicut eſſe utique videntur, (multo enim veriſimilius, civium Senenſium nomine ab Oratore Senenſi, quam a Florentino, habitam Orationem, & ipſa ejus inſcriptio docet, *pro Oratoribus Senenſium* compoſitam,) meras fabulas venditare videtur

detur ALPHONSUS CIACONIUS, cum *Tom. III. Vitarum Pontif. Rom. p. 148*, POLITIANUM, Oratorem Senensem, comiter exceptum ab ALEXANDRO, perhibet. Verba ejus hæc sunt: *Igitur hic Alexander, Pontificatum iniens, Legatos Principum, salutandi sui causa Romam missos, comiter excepit, & inter ceteros, duos præclaros viros, Angelum Politianum, qui Senensium nomine ad eum orationem habuit, & Jasonem Mainum, magnæ existimationis Jureconsultum*, &c. Compositum hoc, quicquid est Orationis, A. 1492, inde patet, quod sacri Imperii hoc anno fastigium adscenderit ALEXANDER VI. Oratio ipsa gravis est & magnifica, quin talis prorsus, qualis ab homine, illis sacris initiato, poterat expectari. Jam supra *Sect. I. §. XIX. not (f)* laudes assentatorias, & vix dignas liberali ingenio, notavi, quibus hic cumulatam sacrosanctam Pontificis majestatem videas; sed condonabimus has partim muneri, quod sustinet hoc in loco Noster, partim sectæ, quam profitetur, eo sæpe abripienti bonos homines, ut, quæ ipsi in falsis reputant, cum vulgo affirment, quæ vera agnoscunt, semper dissimulent. Relinquamus igitur hæc Oratori, relinquamus coram ipso Pontifice dicenti, relinquamus ab unguiculis innutrito illis superstitionis sordibus, quibus purgatos nos esse per Dei gratiam, magnam felicitatis nostræ partem interpretamur. Ceterum in elegantia sermonis, & ipso dicendi genere, hic, quod desideres, nihil est. In *Operibus* POLITIANI *Oratio* hæc sequitur *Prælectionem in Suetonium.* Sed & locus ei datus inter *Orationes clarorum hominum, vel honoris officiique causa ad Principes, vel in funere de virtutibus eorum, habitis*, quæ primum *Venetiis, A. 1559*, 4, (vid. JO. JAC. LUCII *Catalogum Biblioth. Mœno-Francofurt. p. 155.*) post *Coloniæ, A. 1559*, (vid. *Catalogum Biblioth. August. p. 710,*) denique *Parisiis, apud Hieron. de Marnef, A. 1577, 12*, (editione hac ipse utor,) prodiere, item inter *Orationes gratulatorias, in electione, coronatione, nativitate, nuptiis, triumphis, &c. Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, &c. habitis a Legatis virisve suæ ætatis doctissimis, Hanoviæ, typis Wechelianis, A. 1613, 8*, publicatis, nec non inter *Orationes Procerum Europæ, eorundemque Ministrorum, &c.* a nobilissimo urbis nostræ cive, JO. CHRISTIANO LÜNIG, in tria

Volu-

Volumina, *formæ 8*, collectis *A. 1713*. Habes & *Orationem* istam, una cum tribus reliquis, de quibus postea dicemus, in libro *Orationum & Prælectionum* PHIL. BEROALDI, ANGELI POLITIANI, HERMOLAI BARBARI, & JOS. MAYNI, edito *Parisiis*, *A. 1494*, 4, (vid. TH. HYDE *Catalog. libr. Bibl. Bodlej. p. 81,*) ibidemque *apud Jo. Parvum*, *A. 1505*, 4, (vid. *Catalogum Biblioth. Jac. Saurin p. 118,*) & *apud eundem A. 1509* & *1511*, 4, (vid. MICH. MATTARII *Annal. Typogr. T. II. p 224,*) nec non *A. 1513*, 4, (vid. *Biblioth. Sarrazin. P. II. p. 161,*) & *A. 1516*, 4, *Basileæ* etiam *A. 1509*, 4, *apud Gregor. Bartholomai*, & *A. 1513*, 4, item *A. 1517*, (vid. *Catalogum Biblioth. August. p. 718,*) denique *Antverpiæ*, *A. 1510*, 4.

(r) Scripsit hanc Oratiunculam, tam brevem, ut vix paginam impleat, in Fæsulano Noster A. 1493, ut subnotatum sub ejus finem legitur. Dicta est publice a Prætore Florentino coram novo Florentinæ civitatis magistratu, id quod partim inscriptio *Orationis*, partim ipsum ejus argumentum, docet. Id enim illa tempestate moris fuit in Florentina civitate, ut, qui recens electi fuerant ad gerendam Rempublicam, hos Prætor Florentinus hortaretur ad justitiæ culturam, & solenni formula magistratu inauguraret. Talem formulam inauguralem ipsa hæc continet Oratio; de qua plura dicere vix attinet, ne Oratione ipsa longior sit commemoratio nostra. Editam esse cum BEROALDI *Orationibus*, sub *nota antec.* dixi.

(s) Nec hæc *Oratio* largam dicendi materiam suppeditat, perbrevis quippe, qualem coram Rege magno haberi omnino decuit. Composita est *pro Oratoribus Florentinorum*, qui dolorem suum de morte FERDINANDI, Siciliæ Regis, submississime testantur ALPHONSO, filio. Magnificis, quod facile putes, laudibus hic extolluntur FERDINANDI virtutes regiæ, & tanto dolori solatia petuntur a superstite filio, paternam gloriam æquante prorsus. Is FERDINANDUS cum e vivis excesserit ineunte anno 1494, patet hinc, eorum unum fuisse hunc partum, quos paucis ante mortem diebus enixus est POLITIANUS, eodem quippe, quo FERDINANDUS, anno ex hac vita egressus. Habes & hanc *Orationem* in Συλλογῇ *Prælectionum* BEROALDI & aliorum, cujus mentio facta est sub *not. (q)*.

(t) Coram

(t) Eodem tempore, quo illa altera, & coram ALPHONSO eodem, dicta hæc ab Oratoribus civitatis Florentinæ Oratio, qua gratulantur illi novo Regi ſuſcepti imperii auſpicia, & civitatem ſuam in tanti Principis clientelam tradunt. Præterea magnifice extollunt excelſas ALPHONSI virtutes, inprimis literarum amorem, cum propenſiſſima erga homines doctos voluntate conjunctum. Utut brevis ſit, multo tamen rerum & verborum ornatu condecorata eſt Oratio, ut vix dici quidquam coram tanto Principe gravius & majeſtate plenius potuerit. Adjectam video *Orationibus gratulatoriis, in electione Pontificum habitis*, quarum mentionem feci ſub *not. (q)*, nec non *Prælectionibus* BEROALDI & aliorum, ibidem indicatis.

(u) Recurrimus jam ad Latinas, quæ POLITIANI ſtudio debentur, Scriptorum veterum interpretationes, de quarum pretio ex inſtituto diximus *Sect. I. §. X.* Cavebimus igitur hoc in loco, ne quid eorum, quæ de præſtantia iſtorum operum ſupra commemoravimus, denuo hic legas. Id ſemel monuiſſe ſatis ſit, ne, ſi de ipſo interpretandi artificio, quo uſus eſt in unaquaque harum interpretationum ANGELUS, nihil legas in hac, & quæ ſequentur, Notis, negligentem me eorum dicas, quæ videbantur in præcipuis habenda. Quicquid igitur dicendum ſupereſt de parte hac ſcriptorum POLITIANI, id omne jam breviſſimis expediemus. In HERODIANI interpretatione quam vertendi rationem inierit, & quo genere dicendi uſus ſit POLITIANUS, quibus etiam invidorum obtrectationibus exceptus ſit labor iſte, ex inſtituto dictum meminiſti *Sect. I. §. X. not. (e)* & *§. XVII. not. (e)*. Itaque, quod non dictum ſit ante, parum reſtat. Ut vertendi hujus Scriptoris conſilium caperet, autor ei fuit ipſe INNOCENTIUS VIII, Pontifex Maximus, qui cum aliis nonnullis, Florentinæ civitatis nomine, ſacri imperii auſpicia ipſi gratulantem A. 1484, ut veterem aliquem Scriptorem Græcum, Romanorum Principum res geſtas enarrantem, in Latinum transferret, amice fuerat hortatus. Obtemperavit ſtatim Noſter honeſtiſſimo Pontificis conſilio, &, in quo vertendo curam ſtudiumque ſuum poneret, præ ceteris HERODIANUM delegit. Perfecit laborem, qua fuit ingenii dexteriate, intra tempus breviſſimum; ſed, ne ſtatim Pontifici offerret, inauſpicata temporum calamitas, & repentinæ turbæ, quæ ipſam tunc urbem Romam, & in ea maxime Pontificem,

Bbbb affixe-

afflixere, prohibuerunt ANGELUM. Quibus ſedatis paululum ſub initium anni 1487, jam commodum tempus nactus, HERODIANUM hunc ſuum, veluti præludium aliquod veri juſtique laboris, in ſacras Pontificis manus tradidit, eidemque gravi & magnifica Dedicatione inſcripſit. Vides hanc in ipſius partim interpretationis, partim in *Libri VIII Epiſtolarum* POLITIANI, fronte collocatam; unde, quicquid huc uſque diximus, partem maximam petitum eſt. Accepit librum fronte benigna Pontifex, literisque humaniſſimis, *(Lib. VIII. Epp.* POL. *Ep. 2,)* quibus ſubnotatus eſt dies 16 Auguſti anni 1487, pro gratiſſimo hoc munere gratias egit POLITIANO, eidemque, ut haberet ſtudii præclari aliquam mercedem, ducentos aureos per JOANNEM TORNABONUM exſolvi juſſit. Dedit & eodem tempore alias ad LAURENTIUM, Medicæum Principem, (*Lib. VIII. Epp.* POL. *Ep. 3,)* quibus induſtriam POLITIANI, *dilecti filii*, & *viri eruditiſſimi*, vehementer laudat, *futurumque apud ſe in magno honore Herodianum*, *Bibliothecæ* ſuæ *ornamentum*, *virtutis ac doctrinæ illius teſtimonium*, promittit. Hortatur præterea LAURENTIUM, ne deſiſtat autoritate ſua ad majores conatus excitare ingenium POLITIANI, utque, recluſos ei eſſe, unde ſtudiorum inſtrumenta petat, omnes Bibliothecæ ſuæ aditus, patiatur. Tantam Pontificis munificentiam, tantumque ſui ſtudium, grata mente agnoſcit POLITIANUS in *Epiſtola ad* INNOCENTIUM, *Lib. VIII. Ep. 4*, idque daturum ſe operam ſpondet, ut *tenuis iſte agellus* ſuus, *cui colendo tantum inſtrumenti ſuppeditet Innocentii munificentia*, *novos ſubinde proventus afferat* ipſius *ſanctitati.* Confecit igitur hanc interpretationem, confectamque ad Pontificem transmiſit, anno 1487; cujus anni indicium præbent Epiſtolæ INNOCENTII, quas dixi modo. Quo factum eſt, ut hujus Operis jam mentionem injecerit Noſter in libro *Miſcellaneorum*, quem, ſupra dixi, A. 1489 publicatum. Confecit, inquam, non in lucem exire juſſit, anno 1487 *Herodianum* ſuum; ſed factum id anno demum 1493, in urbe Bononienſi, cura ALEXANDRI SARTII, & ANDREÆ MAGNANIMI, cui petenti miſit POLITIANUS Codicem *Herodiani* manuſcriptum, *ut quam minimum degenerarent ab origine*, *quæ* apud

apud Bononienſes *formanda* tunc erant libri *volumina*. Habes enim in fronte hujus interpretationis POLITIANI ad hunc MAGNANIMUM *Epiſtolam*, ſcriptam *pridie nonas Majas anni 1493*, qua ei editionem libri enixiſſime commendat, ſimul vero omnem hujus operis, tanquam non ſatis elucubrati, defenſionem interdicit. Ibidem rogat MAGNANIMUM, ut cum interpretatione ipſa formis exſcribi patiatur *Annotatiunculas* illas, quas Codicis avtographi marginibus adſcripſerat. Sed aliter viſum eſt Bononienſi Editori; certe nihil iſtarum *Annotationum*, quotquot nobis ſunt ad manus, editiones *Herodiani* habent. Librum hunc, ſi quem POLITIANI alium, prelo repetitum conſtat ſæpiſſime, manifeſto argumento, communi doctorum virorum applauſu exceptum, dignumque judicatum, quem legant aſſidue, nec unquam manibus deponant, quoscunque Græcarum æque, ac Latinarum, literarum amor tenet. Harum editionum, omnium ac ſingularum, indicem contexere conatus eſt Anonymus quidam, (neſcio, an is ipſe, qui edidit *Bibliothecam*, JO. CHRISTOPH. FRANCK, Jurium Doctor,) in *Bibliothecæ noviſſimæ Obſervationum ac Recenſionum*, quæ Halæ prodiit ab A.1718 ad 1720, *Sect. IV. Obſerv. 3. p.164*. Sed nominavit is vulgares tantum & maxime cognitas, facile eo nomine palmam cedens verſatiſſimo in his ſtudiis Viro, JO. GOTTLIEB KRAUSIO, olim Lipſienſium doctori, jam in Academia Vitembergenſi magni SCHURZFLEISCHII cathedram ornanti, qui in *Novis Literariis*, Latine ſcriptis, & *Lipſiæ* olim editis, *Anni 1719 P. VI. p. 67 ſeq.* pleniorem longe inſtructioremque, &, ut nihil non accuratiſſime is explorare ſolet, certioribus ex fontibus petitam, harum editionum ſupellectilem congeſſit, optime ita ſive de Scriptore Græco, ſive de POLITIANO noſtro, ſive de his, qui rei literariæ, maxime vero librariæ, curioſi ſunt, meo judicio, promeritus. Quantumvis tamen diligentiæ hic animadvertas, ſat largum mihi poſt meſſem tam fœcundam ſpicilegium relictum video, ut perquirenti mihi varios Librorum Indices, qui ſuo jure in præſtantiſſimis habentur, editiones *Herodiani*, ſive Latini tantum, ſive cum Græco conjuncti, plus quam viginti obvenerint, quæ illos KRAUSII, quantumvis acute videntes, oculos effugerant. Habes igitur,

cur a me ipso, Lector, istarum editionum indicem locupletissimum omnium, nec a quoquam alio diligenter ita instructum, expectes. Quem daturus jam, primo loco eas, quæ Latinam tantum POLITIANI interpretationem exhibent, tum ceteras, in quibus cum Latinis conjuncta Græca leguntur, commemorabo, simulque, unde mihi compertum sit de unaquaque, testimoniis non omnino inutilibus docebo. Sed nolim, hic quæras *Operum* POLITIANI, conjunctim editorum, quibus & ipsis jure suo accessit *Herodianus* iste, indicium; quippe de quibus sub finem hujus §. speciatim dicendi occasio recurret. Prodiit POLITIANI labor primum omnium *A. 1493 prid. Cal. Sept. Bononiæ, pulcherrimis characteribus impressus a Platone de Benedictis, fol.* Habent editionem hanc MICH. MATTARIUS in *Annal. Typogr. T. I. p. 319*, & PEREGR. ANT. ORLANDI in *Orig. della stampa p. 113.* Fallitur igitur, qui primam *Herodiani* editionem dicit *Venetam anni 1495*, personatus ADOLPH. CLARMUNDUS in *Vitis clar. vir. P. III. Cap. 16. p. 166.* Primam illam subsecutæ sunt complures editiones, una eadem in urbe, eodemque anno, *prid. Cal. Oct. typis Bazalerii de Bazaleriis*, 4; (vid. eundem MATTARIUM *l. c.* & ORLANDUM *l. c.*) aliæ *A. 1495, Venetiis, fol.* (quam editionem non habet MATTARIUS in *ed. nov.* mihi vero ipse olim inspectam memini, etsi, cujus typographi labor sit, annotare tunc neglexerim, nec ullus postea librorum index me docuerit,) eodemque anno *Romæ*, 4; (nec hanc habet MATTARIUS, sed vid. ORLANDI *Orig. e progress. della stampa p. 389*,) *A. 1503, Venetiis, apud Aldum, fol.* cui editioni accessere *Xenophontis Omissa, quæ & Græca gesta appellantur, Georgii Gemistii, qui & Pletho dicitur, ex Diodori & Plutarchi historiis, de iis, quæ post pugnam ad Mantineam gesta sunt, tractatio, & Enarratiunculæ antiquæ & perbreves in totum Thucydidem*; (vid. *Biblioth. Marckian. P. I. p. 19*,) *A. 1513, Argentorati, ex ædibus Schurerianis*, 4; (vid. *Biblioth. Uffenbach. T. II. p. 345*, & *Gribner. p. 545*, nec non JO. ALB. FABRICII *Biblioth. Gr. T. VII. Lib. V. Cap. 7. p. 12*,) *A. 1523, Colmariæ, apud Amandum Farcallium, 8*; (est hæc in librorum meorum supellectile,) *A. 1529, Parisiis, ex officina Ludov. Blaublomii, Gandavi, impensis Simonis Colinæi, 8*, cui editioni adjecta sunt JAC. OMPHALII, *Andernaci, in singulos Herodiani libros Epitome*, item *Herodiani vita*, & *de Romana*

mana Historia quædam; (vid. MICH. MATTARIUM *l. c. T. II. p. 721,* & *Biblioth. Marckian. P. III. p. 101,*) *A. 1539*, in eadem urbe, apud eundem *Colinæum*, cum ejusdem OMPHALII *Epitoma, 8;* (vid. *Biblioth. Marckian. P. II. p. 35,* & MICH. MATTARIUM *l. c. T. III. p. 301*) & eodem anno, ibidem, cum iisdem acceſſionibus, *apud Reginaldum Calderium, 8*; (vid. eundem MATTARIUM *l. c. T. III. p. 172) A. 1544*, eadem in urbe, *apud Robertum Stephanum*, Typographum Regium, *8*, ubi, præter interpretationem POLITIANI, ne verbum quidem legas; (hac editione ipſe utor, & habet eam MATTARIUS *l. c. T. II. p. 486,* & *T. III. p. 365,)* eodem anno, *apud Henricum Stephanum, 8;* (vid. MATTARIUM *l. c. T. II. p. 537;* forſan hæc eadem eſt, quam ſine anno & loco editam dicit KRAUSIUS *l. c. p. 67,*) *A. 1551, Lugduni, apud Seb. Gryphium, 16;* (vid. *Biblioth. Marckian. P. II. p. 59,* & JO. ALB. FABRICII *Biblioth. Græc. l. c.) A. 1557, Cordubæ, ex officina Joannis Baptiſtæ, impenſis Alexii Cardennas, 12;* (liber, parum nitide excuſus, cui nec Præfationis quidquam a Typographo præmiſſum, in Bibliotheca mea exſtat,) *A. 1559, Lugduni, apud Sebaſt. Gryphium, 16,* quam perperam KRAUSIUS (mihi αὐτόπτῃ credendum,) inter editiones Græco-Latinas refert; *A. 1566, apud Chriſtoph. Plantinum, 16;* (vid. JO. ALB. FABRICII *Biblioth. Græc. l. c.* GEORG. DRAUDII *Biblioth. Claſſ. T. I. p. 1131, Indicem Biblioth. Franc. Barberini T. I. p. 533,* & *Biblioth. Uffenbach. T. I. p. 657;* nec hæc ipſa accurate ſatis inter Græco-Latinas collocatur a KRAUSIO,) *A. 1592*, inter *Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ, Voluminibus VII, apud Franciſcum le Preux, 8,* publicatis, ubi in partes diſſecta, & membratim immixta aliis Scriptoribus, (teſte KRAUSIO *l. c.* penes quem ejus rei ſit fides,) apparet hæc interpretatio; denique *A. 1685, Patavii, ex Typographia Seminarii, opera Petri Antonii Brigoncii, 8.* Editioni huic, quæ nuper demum venit in manus meas, acceſſit, præter Indicem locupletem, *Chronologia, Genealogia,* & *Geographica Imperii Romani Deſcriptio.* Cum Græco HERODIANI conjuncta, lucem adſpexit hæc interpretatio *A. 1523, Venetiis, apud Aldum, 8;* (vid. *Biblioth. Marckian. P. II. p. 5*) *A. 1524*, ibidem, apud eundem *Aldum,* & *Andream Aſulanum, ſocerum, 8;* (vid. *Biblioth. Tellerian. p. 278,* JO. ALB. FABRICIUM *l. c.* & MICH. MATTA-

RIUM *l. c. T. II. p. 650)* *A. 1535, Basileæ, apud Henr. Petrum, 8,* cui editioni ad calcem tantum adjecta sunt Græca; (vid. CONR. GESNERUM in *Bibl. univers. p. 318. B,* & MICH. MATTARIUM *l. c. T. II. p. 825,)* *A. 1543,* in eadem urbe, apud eundem *Henr. Petrum, 8;* (vid. JO. ALB. FABRICIUM *l. c. Biblioth. Marqu. Gudii p. 404,* & *Biblioth. Uffenbach. T. I. p. 630)*; *A. 1549,* ibidem, *8;* (vid. JO. ALB. FABRICIUM *l. c.* & *Indicem Bibliothecæ Augustanæ p. 776)* *A. 1553,* ibidem, *8,* curante JO. HUBERO, Medico Basileensi; (hujus indicium præbet KRAUSIUS *l. c.*) *A. 1563,* ibidem, *4;* (vid. JO. ALB. FABRICIUM *l. c.* & *Indicem Bibl. Franc. Barberini T. I. p. 533,)* *A. 1576, Antverpiæ, 12;* (hanc uni memoratam KRAUSIO inveni,) *A. 1581, Parisiis, in officina Henrici Stephani, 4 maj.* cum interpretationis hujus partim supplemento, partim examine, utroque margini adscripto, nec non cum ZOSIMI *Historiæ novæ libris duobus.* Præmisit huic editioni, quam inter libros meos servo, literis elegantissimis, ut STEPHANORUM omnia, excusæ, *ad Generosissimum Virum,* PHILIPPUM SIDNEUM, *Epistolam* HENR. STEPHANUS, quæ Dedicationis locum sustinet. Hanc sequitur ejusdem STEPHANI *Præfatio in suum Examen interpretationis Politiani,* de quo copiose actum est supra *Sect. I. §. X. not. (e).* Tum Græca HERODIANI legis, cum ipsa POLITIANI interpretatione, alteram paginæ partem occupante, cui ad marginem adjectæ sunt STEPHANI *in eandem interpretationem Annotationes criticæ, ad Politiani supplendum partim, partim emendandum,* laborem comparatæ. Ad calcem *Herodiani* legis HENR. STEPHANI *quædam eos in locos, de quibus Lectorem ad suas Annotationes remittit: donec eas non in hos solum, sed alios etiam quamplurimos, edat.* Eandem STEPHANI editionem, eodem anno *Genevæ* repetitam, habet *Catalogus Bibliothecæ Jac. Saurin p. 136.* Sed dubito, an hæc discrepet ab altera *Parisiensi,* quæ cum ipsius urbis nullum in fronte præbeat indicium, forte hinc factum, ut *Indicis Sauriniani* compilator, ignarus, qua in urbe officinam STEPHANORUM quæreret, infelici conjectura *Genevam* confinxerit. Pergimus jam ad ceteras, quæ supersunt, *Herodiani* nostri editiones. Vulgatus est uterque, HERODIANI & POLITIANI, labor

labor *A. 1590, Francofurti ad Mœnum*, in *Scriptorum Historiæ Romanæ*, quos, *sumtibus hæredum Andreæ Wechelii*, *Claudii Marnii, & Jo. Aubrii, tribus Voluminibus* publicavit FRID. SYLBURGIUS, *Volumine tertio*, cui adjectæ sunt illæ STEPHANI *Præfationes, Annotationesque criticæ; A. 1593, Ingolstadii, 8*; (editio, uni, quantum scio, KRAUSIO memorata,) *A. 1608*, eadem in urbe, *8*; (quam idem *l. c.* KRAUSIUS profert) *A. 1611, Lugduni, apud Viduam Antonii de Harsy, 8*, cum iisdem Additionibus, quæ STEPHANIANÆ accessere; (vid. JO. ALB. FABRICIUM *l. c.* JO. FABRICIUM in *Histor. Biblioth. Fabric. P. VI. §. 59. p. 233*, & GEORG. DRAUDIUM in *Biblioth. Class. T. I. p. 1131*,) *A. 1624*, ibidem, *8*, cum iisdem STEPHANI accessionibus, (vid. PETR. SCAVENIUM in *Designat. libr. Bibl. reg. Hafn. p. 258*, & *Biblioth. Sarraz. P. III. p. 59*,) *A. 1626, Francofurti, 8, cum Additamentis* PAREI; (habet hanc KRAUSIUS *l. c*) *A. 1627, Francofurti, 8, cum Emendationibus* PAREI, (vid. *Indicem Bibl. Franc. Barberini T. I. p. 533*) *A. 1630*, ibidem, *studio* DAN. PAREI, *8*; (vid. *Bibl. Marqu. Gudii p. 404*) *A. 1639, Londini, typis Thom. Harper, impensis Sam. Browne, 8, studio ejusdem* PAREI, qui & notulas perbreves addidit; (elegantissima hac editione ipse utor,) *A. 1643*, eadem in urbe, *8*, ex *recens.* ejusdem PAREI; (indicatur hæc KRAUSIO *l. c.*) *A. 1644, Argentorati, 8, cum Animadversionibus nonnullis* JO. HENR. BOECLERI; (vid. *Biblioth. Tellerian. p. 278*, & *Biblioth. Marckian. P. III. p. 101*,) *A. 1662*, eadem in urbe, *impensis & typis Josiæ Stædelii*, cum ejusdem BOECLERI Notis & Animadversionibus longe auctioribus; quam editionem, in omnium manibus versantem, BOECLERUS, rejectis, quæ STEPHANUS interpolandi causa addiderat, ad primam editionem *Bononiensem anni 1493* exprimi curavit; *A. 1678, Oxoniæ, cum Notis variorum, 8*; (hujus a KRAUSIO *l. c.* vide mentionem factam) *A. 1679*, ibidem, cum ZOSIMI *Historia, 8*; (ejus notitiam eidem KRAUSIO debeo,) *A. 1694, Argentorati, typis Josiæ Stædelii, 8, cum Notis* JO. HENR. BOECLERI; (editio ubivis obvia) *A. 1699, Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 8, cum* HENR. STEPHANI, ERICI MEMMII, FRID.

SYL-

SYLBURGII, & *aliorum*, *ad Herodianum, Notis*; (hanc nuper mecum communicavit Amici, mihi cariſſimi, humanitas) & in eadem urbe *A. 1704, 8*, cum eorundem *Notis*; (vid. *Biblioth. Sarraz. P. III. p. 59*, & *Biblioth. Marckian. P. III. p. 104*) denique *Edimburgi, A. 1724, 8, ſumtibus Joannis Patoni*, qui & Præfationem præmiſit, mihi ipſi inſpectam. Addit his KRAUSIUS, aliorum fide, *Francofurtenſem Wecheliorum*, 4, & ejusdem formæ aliam *Commelini*; ſed quarum nec ipſe annum indicat, nec mihi usquam obveniſſe memini veſtigium. A *Wechelii hæredibus* inter *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores* editum *Herodianum*, paulo ante dixi, quæ ſi nihil diſcrepat editio a KRAUSIANA illa, jam nobis de alia *Wecheliana* non laborandum amplius. Ceterum, & Gallice, ad Latinam POLITIANI interpretationem, prodiiſſe *Herodianum*, cura JO. COLINII, *Lugduni, A. 1541* & *1546, 8*, & cura BOISGUILHERTI, *Pariſiis, A. 1675, 12*, teſtis eſt Cel. JO. ALB. FABRICIUS in *Biblioth. Gr. l. c. p. 13*.

(x) De Latina *Epicteti* interpretatione quicquid dicendum videbatur, cum dictum ſit uberrime *Sect. I. §. X. not. (f)*, jam nihil ſupereſſe videtur, niſi ut, præmiſſam Operi copioſam ad LAURENTIUM MEDICÆUM Epiſtolam, qua huic dedicatur liber, ſimulque inſtituti ratio exponitur, ſubſidia & inſtrumenta indicantur, commemoranturque varia de EPICTETI vita pariter, ac dictione & philoſophandi genere, doceam Lectores meos, & interpretationis hujus, quotquot exſtant, in accuratum, quoad fieri poteſt, indicem collectas, editiones ſubnectam. Quo anno abſolverit laborem ſuum, dedicaveritque LAURENTIO, POLITIANUS, non aſſequi conjectura licet. Neque enim ipſa illa POLITIANI ad LAURENTIUM Epiſtola, neque aliæ aliorum, quæ hujus interpretationis, tunc primum editæ, mentionem faciunt, ſubnotatum habent anni indicium. Multo minus, quo tempore in lucem publicam exierit liber, compertum ego habeo. Non enim, quo anno dedicatus eſt LAURENTIO, eodem typis excuſus ſit, neceſſe eſt. *Herodianum* vidimus inſcriptum INNOCENTIO VIII A. 1489, publicatam anno demum 1493. Forte eodem modo comparatum eſt cum *Epicteto* noſtro. Quæ vivente POLITIANO in vulgus exierit, hujus operis editionem nec MATTARIUS, nec ulli

ulli Bibliothecarum Indices, exhibent. Igitur, si ab ipso editum POLITIANO contendas, quærendum puto librum in *Operum* POLITIANI Collectionibus, aut *Florentina anni 1482*, aut *Brixiana anni 1486*, quarum utramque indicari video MATTARIO. Sed nec de his certi quidquam definio, mihi quippe, ut libri ejus generis rarissime hic locorum sunt obvii, inspectis nunquam. Prima omnium, in quam incidi, *Epicteti* Latine redditi editio mortuo demum POLITIANO vulgata est *A. 1497 Bononiæ, apud Benedictum Hectoris, Bononiensem, fol.* indicantibus hanc MATTARIO in *Annal. Typogr. T. I. p. 634. edit. nov.* & ORLANDO in *Orig. e progress. della stampa p. 115.* Accessit huic CEBETIS *Tabula, interprete* LUDOVICO ODAXIO, *Patavino*, POLITIANI æquali & amico. Hanc aliæ secutæ sunt, *A. 1508, Argentorati, ex officina Matthiæ Schürerii, Artium Doctoris, forma 4*, cui THOMAS WOLPHIUS, Junior, D. perbrevem ad JACOBUM SCHMIDHUSERUM, Presbyterum, Epistolam præmisit, cui etiam accessere ATHANASII *in Psalmos Opusculum*, Latine versum a POLITIANO, BASILII *Oratio de Invidia*, PLUTARCHUS *de Differentia inter odium & invidiam*, & CEBETIS *Thebani Tabula*; porro *A. 1519, Argentorati, 4*; (vid. *Indicem editionum Epicteti*, præmissum *Epicteto*, cura HADR. RELANDI edito *Traject. Bat. A. 1711, 4*,) *A. 1520*, eadem in urbe, 4; (vid. JO. ALB. FABRICIUM in *Bibl Gr. T. III. Lib. IV. Cap. 7. p. 262*, item JO. HENR. BOECLERUM in *Comment. de Scriptor. Gr. & Lat. p. 54*,) eodem anno, *Selestadii, apud Lazarum Shurerium, 4*, ubi, præter *Epictetum*, legas CATONIS *præcepta moralia, recognita ab* ERASMO, variaque alia Opuscula moralia; (hujus olim notitiam vulgaris quidam librorum Index mihi suppeditavit, sed nuper in eam ipse incidi, ut mirer, prætermissam in illo Editionum *Epicteti* Indice, quem RELANDUS concinnavit,) *A. 1521, Lipsiæ, ex officina Jacobi Thanner, 4*; (nec istam habet Index ille Batavus, quam certissime exstare, mihi αὐτόπτῃ credendum,) *A. 1540, Parisiis, per Conradum Neobarium, 4*; (quæras & hanc frustra in Indice RELANDI, quem modo dixi, sed vide MATTARIUM *l. c. T. III. p. 314*) *A. 1553, Basileæ, 4*; (vid. *Indicem edit.* EPICT. *cit.*) *A. 1642, Argentorati, 16*; (vid. eundem *Indicem*) *A. 1651, Roterodami, 24*;

(vid. eundem *Indicem)* & *A. 1666, Rintelii, 18*, quam, aspectu sordidam, editionem ipse teneo, & in *Indice Editionum* EPICTETI lego. Præterea cum Græco EPICTETI lucem adspexit hæc interpretatio *A. 1528, Venetiis, typis Joannis Antonii & fratrum de Sabio*, 4, cui editioni accessit *Commentarius* SIMPLICII, Græce & Latine; (vid. *Indicem editionum* EPICTETI *cit.) A. 1531, Basileæ, apud Andream Cratandrum*, 8, qua ipse utor editione; *A. 1554, Basileæ, apud Joannem Oporinum*, 4, ubi, præter *Epictetum*, habes ARRIANI *de Epicteti Dissertationibus libros IV*, Græce & Latine, interprete JACOBO SCHEGGIO; (vid. *Indicem Biblioth. Lugd. Batav. p. 149*, & MICH. MATTARIUM *l. c. T. III. p. 638*,) *A. 1555, Salmanticæ*, 8, ubi easdem ARRIANI *Dissertationes* legis; (vid. JO. ALB. FABRICIUM *l. c. p. 264*, &, qui ex illo habere videtur, HADR. RELANDUM in *Indice editionum* EPICTETI,) *A. 1594, Genevæ, apud hæredes Eustathii Vignon*, 8, cum eodem ARRIANI *Commentario*, & *Indice accurato rerum notatu digniorum*; (est in manibus meis editio, non, quod miror, RELANDO memorata, cujus rubrum lectori Græcum contextum longe, quam ante prodiit, emendatiorem promittit,) *A. 1595*, in eadem urbe, apud eundem Typographum, cum iisdem Accessionibus, 8; (habet hanc CHRISTOPH. HENDREICH in *Pandect. Brandenb. p. 295*, & RELANDUS in *Indice edit.* EPICTETI, nescio, an ab altera *Genevensi* diversam,) *A. 1600, Lugduni*, 8, cum eodem ARRIANI libro; (vid. FABRICIUM *l. c.* ORLANDUM *l. c. T. I. p. 372*, & *Catalogum Biblioth. Marqu. Gudii p. 225*,) *A. 1655, Cantabrigiæ*, 8, quam editam a LUCA HOLSTENIO perhibet JO. HENR. BOECLERUS, sed vide, quæ eam in rem diximus *Sect. I. §. X. not. (f)*. Ab HADR. RELANDO ita inscriptam exhiberi video editionem, ut, hicne legas POLITIANI interpretationem, dubitari possit: *Epicteti Enchiridion, & Cebetis Tabula, cum Arriani Commentariis Epictetæis. Gr. Lat. ex interpretatione Latina, & cum Notis Hier. Wolfii. Porphyrius de abstinentia ab esu animalium: Vita Pythagoræ: Sententiæ*: &c. Jam sequitur editio *Lugdunensis, anni 1660, 8, cum* ARRIANI *Dissertationibus*; (vid. JO. ALB. FABRICIUM *l. c.*) & *Amstelodamensis, A. 1685, apud Janssonio-Waesbergios*, 8, *curæ*

cura NIC. BLANCARDI, *cum Versionibus Notisque* WOLFII, *&* MER. CASAUBONI, BLANCARDI *Animadversionibus*, ARRIANI *Tacticis*, & aliis nonnullis, edita. Librum *A. 1686* editum ait HADR. RELANDUS in *Indice edit.* EPICT. sed docet inspectio operis, in omnium manibus versantis, jam *A. 1483* publicatum.

(*y*) Libellus hic, de cujus pretio, quicquid dicendum videbatur, dictum est *Sect. I. §. X. not. (g)*, compositus a POLITIANO adhuc juvene circa finem anni 1477, aut subsequentis initium, (ut patet ex Epistola ejus ad PANDULFUM COLLENUCIUM, Pisaurensem Jureconsultum, præmissa PLUTARCHI *Amatoriis Narrationibus*, Latine a Nostro redditis,) sed eo demum exstincto, anno 1497, editus est a PETRO CRINITO, dedicatusque JO. FRANCISCO PICO, Mirandulano Principi, Epistola satis eleganti, Calendis Aprilibus anni 1497 scripta, quam in *Operibus* POLITIANI interpretationi huic subjectam vides. Docemur hic, suasu JOANNIS MAYNARDI, *magnæ in Philosophia sacris & autoritatis, & religionis, viri*, susceptum a CRINITO edendi hujus operis consilium, nec ita omnibus absoluta numeris hæc proferri, ut non *multa* iis, *si paulo plus in humanis egisset, vel additurus, vel inducturus*, addo, *priori Problematum* libro adjuncturus *alterum*, POLITIANUS videatur. Primam hanc, cura CRINITI publicatam, hujus operis editionem nec MATTARIUS, nec alii librorum Indices, habent; unde verosimile mihi videtur, additum id libelli aliis POLITIANI scriptis, quæ conjunctim prodierunt *Florentiæ A. 1497.* Non ita hæc dubitanter proferrem, si antiquissimæ hujus *Operum* POLITIANI editionis sors bona mihi usum indulsisset. Confirmat tamen conjecturam nostram JO. ALB. FABRICIUS in *Bibl. Græc. T. IV. p. 74*, ubi, additam *Florentinæ* illi *Operum* Collectioni hanc *Alexandri* interpretationem a CRINITO, diserte testatur. Primus, quantum scio, sigillatim hanc interpretationem, cum illa altera *Amatoriarum narrationum* PLUTARCHI, *Basileæ, A. 1520, mense Augusto*, edidit *Andreas Cratander*, 4, ut discas ex MICH. MATTARII *Annal. Typogr. T. II. p. 596.* Tum, cum ARISTOTELIS & M. ANT.

ZIMARÆ *Problematibus*, *Parisiis* liber prodiit *A.1552, 12.* Vid. *Indicem Bibliothecæ Universſ. Lugd. Batav. p. 156.* Cum iisdem ARISTOTELIS & ZIMARÆ *Problematibus* editus eſt *Amſtelodami A. 1650, 12,* ut docet JO. ALB. FABRICIUS in *Bibl. Gr. T. II. Lib. III. Cap. 6 p. 146.* Mihi etiam viſa eſt editio *Lipſienſis*, *ſumtibus Philippi Fuhrmanni*, *typis Jo. Jac. Bauhoferi*, *A. 1671, 12,* vulgata, & alia *Amſtelodamenſis*, *typis Janſſonio - Wæsbergiorum A. 1686, 12,* excuſa. Alias hujus operis, cum ARISTOTELIS *Problematibus* conjuncti, editiones, in Amici cujusdam, harum rerum curioſiſſimi, adverſariis annotatas vidi, quas, etſi nuſquam alibi mihi obſervatas, fide tamen illius Amici, hic ſubjungam: *Baſileenſem* nempe *anni 1544, 8, apud R. Winterum*, *Francofurtenſem anni 1548, 8, ex officina P. Brabantini*, ejusdem urbis aliam *anni 1554, 8*, *Colonienſem anni 1555, 12,* ejusdem urbis aliam *anni 1566, 12*, *Francofurtenſem anni 1568, 8*, *Colonienſem anni 1582, 12*, *Lipſienſem anni 1633, 12,* & *Amſtelodamenſem anni 1643, 12.*

(z) Eorum, quæ de Latina hac libelli amatorii, a PLUTARCHO ſcripti, converſione commemoravimus *Sect. I. §. X. not. (i)*, probe adhuc meminiſti, Lector. His jam nihil addo, niſi eodem tempore, quo ALEXANDRI *Problemata*, vel confectam hanc interpretationem a POLITIANO, vel editam a PETRO CRINITO, eſſe. Alterum POLITIANI ad PANDULFUM COLLENUTIUM, (vid. *not. antec.*) alterum CRINITI ad JO. FRANC PICUM, (vid. *eand. not.*) Epiſtola teſtatur. Ex eadem CRINITI Epiſtola apparet, junctim editam cura CRINITI interpretationem utramque, inter alia forſan POLITIANI *Opera*, quorum volumen integrum publicatum eſt *Florentiæ A. 1497.* Primam illam CRINITI exceperunt libelli hujus editiones aliæ, *Pariſienſis A. 1574, in ædibus Aſcenſianis*, *fol.* cui acceſſere CENSORINUS *de Natali*, CEBETIS *Thebani Tabula*, *in Latinum translata a* LUD. ODAXIO, *Patavino*, & quædam alia; (vid. MICH. MATTARIUM in *Annal. Typogr. T. II. p. 255*) *Baſileenſis*, *A. 1520*, *ex officina Andreæ Cratandri*, *4*, cui junxit Editor *Alexandri Aphrodiſienſis Interpretationem*; (vid. eundem MATTARIUM *l. c. T. II. p. 596*) ejusdem urbis aliam, *A. 1530*, *fol.* cui addita ſunt alia PLUTARCHI *Opuſcula*; (vid. *Catalogum Bibliotb. Auguſtan. p. 441*) tertiamque

que ejusdem urbis, *A. 1552, fol.* cui & *moralia* PLUTARCHI *Opuſcula* adjuncta vidi; *Geneventem, A. 1572, fol.* quæ cum *Amatoriis Narrationibus* reliqua omnia PLUTARCHI ſcripta exhibet; (vid. *Catalogum Biblioth. Auguſt. p. 609*) denique *Pariſienſem* ejusdem anni, *8*, cui Græca PLUTARCHI acceſſere.

(aa) Eſt & hujus interpretationis mentio facta *Sect. I. §. X. not. (l)*. Sitne hæc a POLITIANO ipſo, an ab alio quocunque, ſigillatim, an cum aliis POLITIANI ſcriptis junctim, edita, divinare mihi non licet. Nihil enim huic libello Præfationis præmiſſum in *Operibus* POLITIANI, nec, qui iſta doceat, Scriptorem novi. *Operibus* POLITIANI primum exiit libellus iſte *A. 1508*. quo ſeorſim excuſus eſt cum EPICTETI *Interpretatione Latina*, a POLITIANO adornata, & aliis nonnullis, ſupra *not. (x)* hujus §. indicatis, *Argentinæ, typis Matthiæ Schürerii*, *4*. Poſtea *A. 1522* idem liber, cum aliis ATHANASII ſcriptis editus eſt *Argentinæ, apud Joannem Knoblauchium, fol.* Vid. MICH. MATTARIUM *l. c. T. II. p. 625.* Excepere hanc editiones *Norimbergenſis, A. 1528*, (vid HERM. VON DER HARDT *T. II. Autograph. Luth. p. 149*) *Colonienſis, A. 1532*, cui cetera ATHANASII ſcripta acceſſere, (vid. eundem VON DER HARDT *l. c. T. III. p. 220*) & *Pariſienſis, A. 1546, 16*, cui præmiſit Editor, quisquis eſt, RAYNERII SNOYGONDANI *in Pſalterium Paraphraſin.*

(bb) De Dialogi PLATONICI interpretatione, & pauca ſunt, quæ dici poſſint, & hæc ipſa ſupra dicta ſunt *Sect. I. §. X. not. (k)*.

(cc) De Latina *Characterum* THEOPHRASTI converſione, non a POLITIANO ad umbilicum perducta, vide, quæ attulimus *Sect. I. §. X. not. (g)*; quibus jam, quod addam, nihil eſt.

(dd) Poeticam POLITIANI facultatem, quod probe meminiſti, Lector, ex inſtituto laudavimus ſupra *Sect. I. §. XIII.* Quo in loco, maxime *not. (d)*, *de Prælectionibus* etiam poeticis, *Sylvarum* nomine inſignitis, quarum prima eſt *Nutricia*, abunde diximus. Si quid igitur de his commemorandum reſtat, id hoc in loco addemus ſupplementi inſtar. Eſt hæc ipſa illa *Hiſtoria poetica omnium vatum*, quam, *uberiore vena* a ſe *decantatam*,

 ad

ad MATTHIAM, Pannoniæ Regem, mittit POLITIANUS *Lib. IX. Ep. 1;* nec, de eo cur dubitaret, habuit HENR. BRENCMANNUS in *Histor. Pandect. Lib. IV. Cap. I. p. 307.* Longum est, & multa cura expolitum, Carmen, cujus sive argumentum, sive veneres poeticas, spectes, vix, quod desiderare in eo possis, quidquam erit. Versatur hic Poeta in celebrandis laudibus non poetices tantum, dulcissimæ nutricis suæ, sed Poetarum etiam, quotquot inde ab orbe condito usque ad POLITIANI ætatem suorum venustate Carminum inclaruere, omnium. Mira igitur arte primum divinam poetices originem, tum dignitatem ejus, virtutesque varias, maxime vim permulcendi animos hominum, extollit. Inde ad Poetas ipsos conversus, non horum nuda tantum nomina, & argumenta Carminum, indicat, sed singulares etiam cujusque horum veneres, præcipuumque decus, explicat. Quod, ut magni res ingenii & artis fuit, ita, summæ virum doctrinæ multæque lectionis fuisse POLITIANUM, abunde docet. Dedicatum hoc Opus ANTONIOTTO GENTILI, S. Anastasiæ Presbytero, & Cardinali Auriensi, POLITIANI ad eum Epistola nos docet, ipsi Carmini præmissa. Cur titulum *Nutriciorum* fecerit labori suo, ipse nos causam docet in principio Carminis. Appellat enim poeticen nutricem suam, cui se Carmine hoc gratias referre ait pro alimentis beneficiisque præstitis. Sunt enim *nutricia* illa ipsa præmia, quæ dantur nutricibus, alendi munere defunctis. Habent vocabulum MANILIUS *Lib. III v. 133,* & *Lib. IV. v. 877,* nec non ULPIANUS *l. 1. §. 14. D. de extraord. cognit.* Olim placuerat POLITIANO *nutricis* vocabulum, sed abjecit illud, invento meliori, & ad rem ipsam accommodato magis, inprimis cum & Carminis STATIANI meminisset, cui simili modo inscriptum est *Soteria.* Docet hæc ipse in Epistola ad GENTILEM, de qua dictum modo: *Titulum Nutritia diximus. Qua figura & Statius Soteria. Plenior hic enim mihi visus, & argumento cohærentior, quam, qui olim placuerat, Nutrix.* Absolutum hoc Carmen in Fæsulano VIII Idus Octobris A. 1486, docet nota, ipsi Carmini subjecta. Forsan & editum eodem tempore cum aliis POLITIANI scriptis, junctim publicatis *Brixiæ A. 1486.* Sed de eo certi nihil definio. Neque enim hæc *Operum*

POLI-

POLITIANI, junctim vulgatorum, editio unquam visa mihi, nec, quæ in ea legantur scripta POLITIANI, habeo exploratum. Primum, quod scio, seorsim in lucem exiit hoc Carmen *Bononiæ A. 1491*, cujus editionis mentionem injectam video in ORLANDI *Orig. e progress. della stampa p. 389*, & in *Indice Biblioth. Franc. Barberini T. II. p. 228.* Hanc alia secuta est *Lipsiæ A. 1517*, 4, *ex officina Jac. Thanneri*, quam nominat JOACH. FRID. FELLERUS in *Monum. var. inedit. Trimestr. IX. p. 495*, & HERMANNUS VON DER HARDT in *Avtograph. Lutheri T. III. p. 3.* Addita est huic editioni perelegans ADAMI BANCKZENI in *Nutricia* POLITIANI Elegia, cujus partem ex libri HARDTIANI *l. c.* huc transferre, haud abs re fuerit:

Salve, quo toto nihil est felicius orbe,
Salveto, Angelica culte, libelle, manu.
Nam tu Mæonias dubio certamine Musas,
Ausus & Andinos æquiparare modos.
Cetera: Quid vultis? Vulgaris turba, Poetæ,
Cedite, vos albis ille præibit equis.
Hic Phœbo, & Musis, & cedro, digna locutus.
Cur igitur vatem non tibi, Lector, emis?
Quid verbis opus est? Nil huic, mihi crede, secundum:
Nil, quod non herbam porrigat, ipse leges.
Quid manet intactum! &c.

Cum aliis POLITIANI Carminibus conjunctam legis *Nutriciorum Sylvam* in *Carmin. illustr. Poet. Ital. T. VII. p. 294 seq.* In hoc opus suum, magno eruditionis apparatu instructissimum, ipse meditatus est *Commentarios* POLITIANUS, sed quos perficere ei non licuit, sive gravioribus negotiis, sive præmatura morte, impedito. At, quos ipse dare non potuit, dedit postea Germanus nobilissimus, JOANNES LUDOVICUS BRASSICANUS, ortu Tubingensis, si vera est conjectura CONR. GESNERI in *Biblioth. univ. p. 435. A*, Jureconsultus egregius, in aula Viennensi gravissimis muneribus admotus, &, ut rerum gerendarum peritia, ita elegantiorum literarum studiis, clarissimus, cujus scripta politissima nominatim refert CHRISTOPH. HENDREICH in *Pandect. Brandenb. p. 709.* Tulit eadem ætas

JOAN-

JOANNEM ALEXANDRUM BRASSICANUM, æque nobilem Grammaticum, cujus in Autores veteres Commentarii, aliaque ſcripta philologica, paſſim in pretio habentur. Huic perperam tribui, qui pertinent ad JOANNEM LUDOVICUM, in *Nutricia* POLITIANI *Commentarios*, video, a PAULO LEOPARDO *Lib. II. Emendat. Cap. XVIII*, CLAUSIO in *Vita Politiani Cap. XXI. p. 42*, & PETRO BÆLIO in *Dict. Hiſt. T. III. p. 2342.* Verius dici poſſit meditatus tale quid, quam in lucem protuliſſe, JOANNES ALEXANDER iſte, ſi quidem legas ejus in *Scholiis ad Patronium* verba, quæ profert *l. c.* BÆLIUS: *Meminit & Politianus in Nutriciis, ubi quidam nugator arrogantiſſimus noſtra ante nos dixit: expungendus jam & plane radendus e Philologiæ faſtis, quoniam, ut Cicero dixit, maluit improbe tollere, quam humaniter ſumere & agnoſcere.* Non ejus, quem petit hæc accuſatio, nomen addit. Ipſum JOANNEM LUDOVICUM dicerem, niſi alia omnia nobis perſuaderet autoritas viri, vix impugnanda telis iſtis. Quicquid ejus rei ſit, a JOANNE ALEXANDRO nihil unquam, quod ſciam, publicatum exſtat in *Nutricia* POLITIANI. At ſunt in manibus meis JOANNIS LUDOVICI BRASSICANI, *Juris utriusque conſulti, in Angeli Politiani Nutricia Commentarii, Norimbergæ, apud Jo. Petrejum, A. 1538*, (non *A. 1638*, ut habet *Biblioth. Marckian. P. II. p. 213*, niſi hoc ipſo anno denuo excuſam dicas,) 4, editi. Ornat frontem libri ROSINI cujusdam *ad Braſſicanum Epigramma*, etſi breve, feſtivum tamen & venuſtum ſatis:

Aonio Muſæ puerum te fonte rigarunt,
Hic tibi Pierii nectaris hauſtus erat.
Cynthius æterna merito tua tempora lauro
Induit, & clari nominis auxit ope.
Ergo pro meritis gratus Nutritia reddis,
Hinc celebris per te ſacra poeſis erit.
Tu Muſas igitur, Muſæ celebrare viciſſim
Te ſatagunt, ſic par extat utrinque Charis.

Inſcripſit Autor opus ſuum JOANNI PANNGARTER A PANNGARTEN, *Domino in Erenbach, Cæſareæ ac Regiæ Majeſtatis Conſiliario*, quem compellat Epiſtola gravi nec ineleganti, Viennæ data

Idi-

Idibus Februariis anni 1538, in qua cum *ingenii ſui fructus hoſce ante ſeptennium ferme a ſe editos* teſtetur, hinc jure tuo colligas, jam anno 1531 aut 1532 primum hoc opus luce publica donatum, ſed cujus editionis nuſquam mihi obveniſſe veſtigium recordor. Dedicationem excipiunt C. URSINI VELII, *Hiſtoriographi ac Pædonomi Regii, ad librum ipſum*, & THOMÆ VENATORII *ad Hieron. Holtzſchuherum, Senatorem Conſultiſſimum, Elegiæ*, illa virtutum & meritorum BRASSICANI, hæc BRASSICANÆ gentis, commendatrix publica. His more veteri ſubjecit Autor Catalogum tam Græcorum, quam Latinorum, Autorum, qui in hiſce *Commentariis* citantur; cui comitem dedit breviſſimam *ad Lectorem candidum* Epiſtolam, Viennæ Idibus Januariis, neſcio, quo anno, ſcriptam, in qua, *conſilio amicorum adductum ſe, ſeu potius quotidianis efflagitationibus perpulſum, noluiſſe*, dicit, *quicquid ex hoc opere ad ſtudioſos fructus ac utilitatis pervenire poſſit, diutius illis invidere.* Tum ipſum POLITIANI Carmen legimus, cum BRASSICANI *Commentariis*, de quorum pretio diverſa ſunt eruditorum hominum judicia. Contemtim de his CASP. BARTHIUS in *Animadverſ. in Statii Sylv. Lib. V. T. II. p. 1004: Alio tale poema enarratore opus habeat, quam habuit olim in Joanne Ludovico Braſſicano, ſi quidem nobis omnino deſint antiqui Scriptores, quibus enarrandis operam induſtriamque collocemus.* Contra *plenos eruditionis reconditæ Commentarios* vocat PAULUS LEOPARDUS *l. c.* nec id, meo quidem judicio, immerito. Quicquid enim obſcure, aut ſine teſtimoniis Scriptorum, quæ ipſa haud ſatis ferre videbatur poeticum ſcribendi genus, dictum in *Nutriciis* occurrit, copioſe hic diligenterque explanatur, atque firmioribus Græcorum æque, ac Latinorum, Scriptorum ſuffragiis corroboratur. Sed, ut in re critica errare facillimum, ita nec hos ipſos *Commentarios* macularum prorſus expertes dixerim, quarum & nonnullas collegiſſe *l. c.* LEOPARDUM video. An poſt annum 1538 denuo excuſum ſit opus, non ſatis mihi certo conſtat. Mentionem faciunt editionis novæ, *A. 1539, 4, Norimbergæ* publicatæ, JOACH. FRID. FELLERUS *l. c.* & CLAUSIUS *l. c.* ſed, unde de ea ipſis compertum fue-

 rit,

rit, nec addunt illi, nec ego conjectura assequor. Præter BRASSICANUM, FRANCISCUS SANCHEZ, præclarissimus in Academia Salamanticensi doctor, cujus in linguam Latinam merita passim in scriptis suis celebrat SCIOPPIUS, in *Nutricia* æque, ac in ceteras POLITIANI *Sylvas*, *Rusticum*, *Ambram*, & *Manto*, eruditas *Annotationes* scripsit, *A.* 1554, *Salamanticæ* forsan, publicatas. Earum notitiam suppeditant GEORG. DRAUDIUS in *Biblioth. Class. T. II. p.* 1593, & PETR. BÆLIUS *l. c.* At nec unquam hæ venere in manus meas, quantumvis mihi diligenter vestigatæ, nec, ubi locorum quærendæ sint, ullus Bibliothecarum Index me docuit. Præterea FRANCISCUM SYLVIUM, doctissimum illum *Epistolarum* POLITIANI Commentatorem, tale quid meditatum suspicatur CASP. BARTHIUS *l. c.* sed cui fidem habere uni, silentibus aliis omnibus, vix ausim ego. Et quam fidem mereatur is, quem ita sibi ipsi diffidentem videas: *Legisse alicubi puto, Franciscum Sylvium, doctissimum virum, in idem poema Commentarium scripsisse, qui & Epistolarum Politiani libros eo labore excepit. Nunquam vidisse doleo, & legerem utique aliquando, si liceret potiri, adeo Politiani rerum studiosus sum.* Simili conjectura NICOLAO BERALDO, cujus in *Rusticum* POLITIANI pleni bonæ frugis exstant *Commentarii*, in hanc ipsam *Nutriciorum Sylvam* opus *Annotationum* tribuit CONR. GESNERUS in *Biblioth. univ. p.* 518. *A.* Ita enim ille: *Fertur etiam* (BERALDUS) *in Politiani Nutricia scripsisse, si bene memini.* Sed nec harum quidquam in lucem unquam exiit, etsi in opere ejusmodi facile putes desudasse BERALDUM, si legas verba ejus in Epistola ad GERMANUM DEGANEIUM, *Commentariis in Rusticum* præmissa: *Hoc unum affirmare posse videor, Politianum cum antiquis non contendisse modo, sed etiam multos veterum præcessisse, sive maximam exactissimamque utriusque linguæ diligentiam, ac peritiam, sive egregia ejus monumenta, prosa ac vorsa oratione scripta, intueri, & ad Critolai (quod aiunt,) lateram appendere, libeat. Hoc nostris in alia ejusdem Autoris poemata Annotationibus, proximo biennio inchoatis, jamque fere ad umbilicum perductis, aperte aliquando, ut & spero & opto,*

opio, *indicabimus*. At in *Prælectione in Politiani Rusticum*, huic ipsi *Commentario* adjecta, laborem hunc ad *Sylvas Ambram* & *Manto* tantum restringit.

(*ee*) Laudavimus hanc *Sylvam* copiose supra *Sect. I. §. XIII. not. (d)*. Addimus jam alia, quæ nosse, Lectorum interest. Si mensuram Carminis species, proxime ad *Nutricia* accedit *Rusticus*. Composuit hunc Noster in secessu Fæsulano, cujus variæ amœnitates uberrimam carmini materiam dederunt. Ita enim sub finem *Rustici* Poeta:

> *Talia Fæsuleo lentus meditabar in antro,*
> *Rure suburbano Medicum* : &c.

Habes hic, quod vel ex rubro discas, suavissime decantatas vitæ rusticæ laudes, argumentum, ut ad Carmina aptissimum, ita jam olim præstantissimorum Poetarum versibus celebratum. Recitatum est publice hoc Carmen in *Hesiodi*, & *Georgicon Virgilii*, enarratione. Dicavit id Noster JACOBO SALVIATO, genero LAURENTII MEDICÆI, cujus *coactu* in vulgus prodiisse *Rusticum*, docet POLITIANI ad eum Epistola, Carmini præmissa. Unde disco, ipso vivente POLITIANO in lucem exiisse hanc *Sylvam*, etsi annus editionis nec Epistolæ, quam dixi, subnotatus, nec aliunde mihi sit cognitus. Mihi non antiquior ulla *Rustici* editio innotuit *Parisiensi* illa, cui accessere *Commentarii* NIC. BERALDI, de quibus paulo post dicemus. Præter hanc, & aliam *Basileensem*, cui addita est eadem BERALDI interpretatio, exstant *Lipsienses* binæ, altera *anni 1519*. *sumtibus Jacobi Thanneri*, *forma* 4, publicata, (vid. JOACH. FRID. FELLERI *Monum. var. ined. Trimestr. 9. p. 495*,) altera *anni 1521*, quæ, cura JOANNIS LANGII, Lembergensis, cujus in rubro libri tersissimum Epigramma legitur, *ex officina Valentini Schumanni*, eadem forma, prodiit. Exstat &, quam ipse vidi, *Jenensis*, *anni 1626*, *8*. *typis Tobiæ Steinmanni*, edita a SALOMONE KUSSELIO, ignoto homine, qui *Rustico* præmisit QUINTIANI STOÆ, (sed cujus nomen non hic indicatur a KUSSELIO,) tersissimi Poetæ, Epigramma :

Miserat in Latii juga Rusticon Angelus agri:
Ut daret excusso semina grata solo,
Ut manibus legeret flores, fructusque canistris,
Corbe uvas, segetes falcibus, igne favos,
Exigeretque hyemem flammis, ver cantibus, æstum
Sudore, autumnum commoditate meri.
Sed dabat obscuram caligo nigerrima frontem,
Cum staret furvis abditus in tenebris:
Unde sacros lavit candenti aspergine vultus
Nicoleos, talem ferre paratus opem.
Rusticus ecce nitet: cape, Lector, habebis in arvo
Lac, sata, vina, greges, robora, prata, favos.

Ad calcem Carminis Indicem addidit rerum & verborum insignium, ex NICOLAI BERALDI (BEROALDUM perperam dicit libri titulus,) ad *Rusticum* POLITIANI Commentariis excerptum. Editionem *Heidelbergensem, formæ 8,* sed nescio cujus anni, memini in vulgari *Bibliothecæ* cujusdam Indice me animadvertere. Præterea, cum recitatum sit hoc Carmen in HESIODI, Poetæ Græci, enarratione, & ad hujus quasi imaginem sit effictus, (satis enim apparet, librum secundum Carminis HESIODÆI ante oculos habuisse POLITIANUM,) hinc oportuno consilio adjunctum huic Scriptori *Rusticum* videmus in editionibus *Hesiodi Basileensibus, anni 1539, 8, apud Mich. Isingrinium* publicatæ, cui addita sunt ULPII, *Frunekerensis Frisii, Scholia & Latina versio metrica,* (vid. MICH. MATTARII *Annal. Typogr. T. III. p. 305,*) anni porro 1540, quæ, cum iisdem ULPII *Scholiis,* ex ejusdem *Isingrinii* officina exiit *forma 8,* (hanc passim exhibent optimi librorum Indices,) denique *anni 1553, 8,* cujus mentionem facit JOACH. FRID. FELLERUS *l. c.* Idem Carmen, ob argumenti cognationem, accessit RENATI RAPINI *Hortorum Libris IV,* primum *Lugduni Batav. A. 1668, 12,* (vid. P. JUL. NEGRI *Istor. degli Scritt. Fior. p. 47,*) postea *Ultrajecti A. 1672, 8,* (vid. eundem NEGRI, & *Biblioth. Uffenbach. T. IV. p. 374,*) editis, nec non CASP. DORNAVII *Amphitheatri Sapientiæ Socraticæ Jocoseriæ. Hanoviæ,*

A. 1619,

A. 1619, fol. vulgati, *Tomo I*, & *Carminum illustr. Poet. Ital. Tomo VII. p. 315 seq.* *Sylvæ* huic idem, qui *Nutriciis*, ab eruditis honor habitus, ut, in illustranda ea non inutiliter collocari operam, putarent. Publicavit enim eruditissimam *Rustici* POLITIANEI interpretationem NICOLAUS BERALDUS, nobilissimus Gallorum ineunte Seculo XVI Grammaticus. Prodiit hæc primum *Parisiis* ex officina *Jo. Badii Ascensii, forma majori, (fol.)* cum rubro: *Angeli Politiani Sylva, cui titulus est Rusticus, cum docta elegantissimaque Nicolai Beraldi interpretatione.* Anni typographus non addidit indicium; colligo tamen, ante annum 1518 vulgatum opus, quippe quo nova ejus *Basileæ* prodiit editio, quæ minime antecessisse *Parisiensem* illam videtur. In THOMÆ CRENII *Animadv. Philol. P. III. p. 55*, P. JUL. NEGRI *Ist. degli Scritt. Fior. p. 45*, *Bibliotheca Jo. Mulenii p. 592*, & *Bibliotheca Hulsiana T. I. p. 275*, ita exhibetur titulus libri, ut autor ejus dicatur BEROALDUS; a quo errore caveant sibi, velim, Lectores, ne cum BERALDO, Gallo, BEROALDUM, Italum, confundant. Habes hic primum BERALDI *ad observandum Patrem Germanum Deganeium, Aurelium Antistitem, Epistolam*, dedicandi operis causa, *Lutetiæ, idibus Juliis*, scriptam, ubi has *in Rusticum Enarrationes rudes adhuc & incohoatas* vocat, & in reliquas POLITIANI *Sylvas* similes *Commentarios* promittit. Subsequitur hanc QUINTIANI STOÆ, Brixiani Poetæ, *ad Lectorem* Carmen, idem illud, quod paulo ante ex editione *Rustici Jenensi, anni 1626*, attuli. Tum legis æque venustum GERARDI VERCELLANI *ad Lectorem* Carmen, dignum utique, quod huc transferatur integrum:

Olim colonis infrequens erat tellus,
Vates ut ajunt mythici,
Neglecta, dumis horrida, ac situ squallens,
Mali ferax juxta ac boni.
Urtica tactu noxia & malum gramen
In mollibus stabat rosis.

Suæ pigebat ſolitudinis divam ;
Quodque omnia agreſtis foret.
Ergo Prometheum , ſibi adſit , exorat,
Nec deprecatus eſt ſenex.
Nam, dum peritam exercet ad lutum palmam,
Viſu inſolens res fingitur.
Res pæne, quæ ſuum referret auctorem,
Membris figurata omnibus.
Sed nulla ſubmicabat aura vitalis,
Nec ullus ignis intimus.
Sic illa tantum, non homo , ex luto moles
Exſors jacebat ſpiritus :
Ni Pallas alma cœptum opus ſecundaſſet,
Plaſten juvans ſagaciter.
Nam poſſe Solis comminiſcitur flammam
Huc coelitus ſubducier,
Quod ergo plaſma ſpiret , atque ſit vivax,
Eſt munus almæ Palladis.
Sed prorſus iſta tam profuſa , quam priſca
Nobis refertur nænia !
Quisnam Prometheus hic ? Quis hæc erit Pallas ?
Hoc plaſma quodnam fingitur ?
Audi parumper, Lector optime , & diſces,
Quo noſtra tendit nænia :
Quem Ruſticum Politianus effinxit :
Quo nil putarim urbanius :
Tam cœca res tibi eſſet, ac Promethæum
Plaſma eſt ſine ipſa Pallade.
Ni noſter ille Nicolaus, ille, inquam,
Noſter Beraldus lampadem,
Quam Phœbus ipſi ſuggerit, coruſcantem
Admoſſet, ut pernoſceres.

Additum eſt JO. RAVISII TEXTORIS, non ignobilis Poetæ, *Phalecium ad Lectorem Carmen*, POLITIANI æque, ac BERALDI, laudibus dicatum:

Si

Si dulces numeri tuos ocellos,
Agrestesque animum juvant Camœnæ,
Aut si dulciculis satas rosetis
Quæris melle rosas suaviores :
Aut si ruris opes petis beatas :
Lector, candidulum vide libellum.
Est, est, angelica satus Minerva,
Phœbææ redolens chelym poesis,
Est tersus, nitidus, venustulusque,
Quem nudum inspiciens vagumque doctus
Donavit nivea toga Beraldus.
I nunc, ad Latios redi penates,
Ornatus niveo, libelle, cultu.
Et, si te Latia satum Camœna
(Quod Gallum rutilans feras amictum,)
Quisquam forte neget, latres, reclama,
Dic Gallos Italis pares Camœnis.
Quod si Roma suos tibi Poetas
Pomposo objiciat superba fastu,
Commendes etiam tuum Beraldum.
I nunc, ad Latios redi penates,
Vestitus niveo, libelle, cultu.

Hendecasyllabos hos sequitur *Index rerum notabiliorum*, per hos *Commentarios* passim dispersarum, concinnatus a JOSMARIO, Parisiensi librorum correctore, cui BERALDUS ille in notula adjecta honorifico nomine *Servius Aurelius* dicitur. Hunc excipit BERALDI *Prælectio in Angeli Politiani Rusticum*, habita *Lutetiæ* in Tricorensi Gymnasio. Hic, quantis eruditionis divitiis instructum esse oporteat Poetarum interpretem, ostendit Autor, nec intelligi posse absque gravissimarum scientiarum cognitione Poetas veteres, contendit. Inde ad *Rustici* enarrationem progressurus, hunc vehementer commendat auditoribus suis, ita inprimis honorifice de eo pronuntians : *Profecto, si Politiani ingenium, linguarum peritiam singularem, incredibilemque eloquentiam ac nitorem, & latentem in Sylvæ hujus non modo versibus, sed (pæne*

(pæne dixerim,) ſingulis verbis, reconditamque doctrinam, non populari trutina expendemus examinabimusque; dignus videbitur, qui multis veterum non conferatur modo, ſed etiam præferatur. Promittit in eadem, ſe ſuas propediem in *Sylvas Manto & Ambram Annotationes* editurum; quod an factum ſit poſtea, dubitare me jubet aliorum Scriptorum ſilentium. *Prælectioni* huic ſubjunctum eſt ipſum Carmen POLITIANI, cum ampliſſimo BERALDI *Commentario,* in quo, judice JO. LUD. VIVE *Lib. III. de Trad. diſcipl. p.m. 544, multum habet Autor ex Philologia bonarum rerum, accurate depromtarum.* Eſt is labor mere criticus, nec verba tantum, ſed res ipſas etiam, ex priſcis Scriptorum monumentis illuſtrat, & brevius, ſeu obſcurius, dicta clariori luce perfundit. Verbo: ea cura breve hoc recentioris Poetæ Carmen illuſtratum eſt, qua vix antiquiorum Poetarum præſtantiſſima quæque. Claudit librum breve BERALDI *ad Lectorem monitum*, quo incautius ſcriptorum veniam Lectores rogat, quod *per occupationes alias hæc ipſa, ex idiographis transſcripta, ne ſemel quidem relegere potuerit.* Addit, *plagiariorum cauſa hæc publicanda tandem fuiſſe,* quorum novam aliquando editionem expectare jubet Lectores, *ſi potiora vel lectio poſterior excogitaverit, vel otium liberius ſuppeditaverit, vel benevoli cujusdam lectoris diligentia admonitum ſuppleverit.* Calcem libri gemmularum inſtar ornant bina JO. RAVISII TEXTORIS *Epigrammata;* alterum *in Ruſticum Politiani*, Dialogi habitu indutum, quo *Ruſticus* & *Politianus* ſermones miſcere finguntur:

R. *Angele dormitas?* P. *Quis tu?* R. *Tua Ruſticus.* P. *Obe*
Vix puto R. *Compoſitas inſpice Ruris opes.*
P. *Ruris opes ſaturi quamvis in limine portes:*
Tu tamen es proprio diſſimilis domino.
R. *Cur?* P. *Quoniam gemmæ te circumquaque venuſtant.*
Sed dominum modicæ non niſi Ruris opes.
R. *Miraris?* P. *Miror. Sed quid peregrina vagaris?*
R. *Me profugi quærit Solis uterque locus.*
P. *Cur?* R. *Cum grata viris. Nam Commentarius iſte,*
Quo cingor, numeris convenit Angelicis.

P. *Quis*

P. *Quis tibi, Ruris opes & agreste poema gerenti,*
Regales potuit tradere divitias ?
R. *Calliopes sponsus, doctæ conviva Minervæ,*
Castaliæ potus rore Beraldus aquæ.
P. *Quæ tulit hunc tellus ?* R. *Aurelia ?* P. *Delphica tellus,*
Si Phœbi quæras dogmata, Phœbus adest.

Alterum *in Stephanum Josmarium, Ligvolianum, hujus operis emaculatorem :*

Cultor arat, seges exoritur, lolium occupat agros,
Ablatis tribulis germina pura nitent.
Angelus excoluit, sevit sua grana Beraldus,
Privabit lolio semina Josmarius.

Primam hanc *Parisiensem Commentarii* BERALDINI editionem secuta est altera *Basileensis A. 1518, ex officina Joannis Frobenii, forma 4*, sed cui novi, quod sciam, additum est nihil. Venit hæc ipsa nuper in manus meas, & ad alteram *Parisiensem* accuratissime expressam cognovi. Præter BERALDUM, eruditissimus *Rustico* POLITIANI Commentator contigit, JOANNES MURMELIUS, ortu Rurimundensis, in variis Germaniæ urbibus, vergente Seculo XV, & ineunte XVI, literarum elegantiorum doctor clarissimus, cujus complures argumenti Grammatici libelli elegantes & eruditi exstant. Is in *Rusticum* POLITIANI scripsit *Annotationes criticas*, teste PETRO BÆLIO *l. c.* JAC. GADDIO *T. II. de Scriptor. non Eccles. p. 44*, sed qui male rem exprimit, ita scribens : *Jo. Murmelius, Rurimundensis, scripsit — — in Rusticum Ang. Politiani, & in ejusdem Sylvam.* Quasi vero diversum a *Rustico* exstet Carmen aliquod POLITIANI, cui *Sylvæ* nomen datum, nec, qui in *Rusticum* commentatus est, is simul commentatus sit in *Sylvam.* Forsan ignoravit bonus Scriptor *Sylvarum* indolem, &, ab argumento sylvestri has ita dici, sibi persuasit. Magis corrupte GEORG. DRAUDIUS in *Biblioth. Class. T. II. p. 1557 : In Rusticum & Sylvanum Jo. Murmelius* (commentatus est). Nihil enim exstat Carminis POLITIANEI, cui

 Sylva-

Sylvani nomen. Ubi locorum vulgatus ſit libellus MURMELII, non addit GADDIUS; nec mihi ita eſſe felici licuit, ut aliunde venerim in hujus rei notitiam. Novi bene, latere opus in nobiliſſima civis cujusdam mei Bibliotheca; ſed, venire id in manus meas, ad hunc diem invidia poſſeſſoris vetuit. Fuiſſe & FRANCISCI SANCHEZ quædam in POLITIANI hoc Carmen merita, teſtimonio BÆLII & DRAUDII ſub *not. antec.* docui.

(ff) Nihil eorum, quæ de pretio Carminis, cui *Mantus* nomen, *Sect. I. §. XIII. not. (d)* diximus, jam, ut denuo expromam, poſcis, Lector. Alia, eaque pauca, hic commemoranda ſuperſunt. Eſt hæc *Sylva* publice a POLITIANO dicta coram Florentina juventute ſub auſpiciis *Prælectionum* in *Bucolica Virgilii.* Docet id nota brevis, ipſi *Sylvæ* inſcripta. Materiam carminis dederunt laudes VIRGILII, Poetarum Romanorum principis, cujus & vitam eleganter canit Poeta, & libros *Carminum* exquiſitis laudibus, poetica conditis gratia, proſequitur. In eo inprimis magnam Poeta artem oſtendit, quod argumenta VIRGILIANORUM Carminum in brevi velut tabula ſpectanda exhibeat, hisque, per ſe jucundis ſatis, majorem gratiam conciliet novis fictionum coloribus. Opus utroque Poeta, & qui canit, & qui canitur, digniſſimum. *Manto*, unde dictum Carmen, eſt Thebana illa, quæ civitati Mantuanæ nomen dedit, Thereſiæ, vatis Thebani, filia, mater Ocni, conditoris Mantuæ, quam, ut notum eſt, patriam habuit VIRGILIUS. Ipſe de ea POLITIANUS:

Venit & Helyſio venturi præſcia Manto,
Manto, quæ juvenem fluvio conceperat Ocnum,
Ocnum, qui matris dederat tibi, Mantua, nomen.

Dedicavit opellam ſuam Poeta LAURENTIO MEDICI, non illi nutritori ſuo, cujus tam frequens nobis mentio injecta, ſed PETRI FRANCISCI filio, *nobili, & probo, & ſui amanti adoleſcenti*, ut vocatur ipſi in Epiſtola brevi, Carmini præmiſſa. Hujus *coactu edere ſe*, ait, *Carmen* hoc *inconditum, & quod in publico ſemel pronuntiatum, nimis fuiſſe impudens, viſum ſit.* Scripta eſt Epiſtola *Florentiæ IV Non. Novembr. A. 1482.* Itaque, hoc

hoc anno primum in lucem exiisse laborem hunc POLITIANI, nullum est dubium. Sed, eam editionem, non est Scriptor ullus, qui nominatim indicet; ut hinc colligam, publicatum hoc opus cum aliis ejus scriptis, quae conjunctim edita *Florentiae A. 1482* perhibentur a MATTARIO. Ab eo tempore quicunque *Opera* POLITIANI, redacta in unum corpus, vulgavit, laborem hunc addendum reliquis putavit; sicut & adjectus est reliquis Poetae *Carminibus* in *Carmin. illustr. Poet. Ital. T. VII. p. 330 seq.* Seorsim tamen in manus eruditorum venire ei, quod sciam, nunquam contigit. Prodiisse in hanc *Sylvam Annotationes* FRANCISCI SANCHEZ, Hispanorum Grammatici, jam dictum meministi sub *not. (dd)* hujus §. Eodem loco, quid in Carmen hoc parturiverit NIC. BERALDUS, *Rustici* eruditus Commentator, hujus ipsius verbis indicavimus. Addimus hic, quod ad *Sylvam Manto*, alia ejusdem verba in *Commentar. ad Rust. p. 80. edit. Basil.: Nos de hoc plura in Mantus expositione, quam propediem cum aliis quibusdam nostris Annotamentis in lucem dabimus.* Num steterit promissis, me quidem fugit; certe nihil tale indices librorum exhibent.

(gg) Et ultimam hanc *Sylvarum* POLITIANI, quod satis est, laudavimus supra *Sect. I. §. XIII. not. (d)*. Pronuntiata est publice in Poetae HOMERI enarratione, eiusdemque Poetae laudes ex instituto persequitur. Inprimis argumenta carminum HOMERICORUM in summam contracta exhibet, &, quicquid in his grave & sublime est, vivis coloribus depingit. Inscripsit Poeta carmen suum LAURENTIO TORNABONO, gente Medicaea oriundo, discipulo suo, *ut sit amoris sui monumentum, & ad studia literarum, praesertim Graecarum, incitamentum.* Sunt haec verba ejus in Epistola ad LAURENTIUM, *Florentiae pridie nonas Novembres A. 1685* scripta, quam legis in fronte Carminis. Quod ad titulum operis, nolim, intelligi hic, putes, cibum delicatissimum, quem ambram vocant, sed hunc honorem haberi scito praedio LAURENTII, Medicaei Principis, cui Ambrae nomen, non amoenissimo tantum, sed omnibus etiam naturae bonis instructissimo. Ita enim Noster in principio Epistolae ad TORNABONUM, quam dixi

 modo:

modo: *Debetur hæc Sylva tibi, vel argumento, vel titulo. Nam & Homeri ſtudioſus es, quaſique noſter conſectaneus, propinquus Laurentii Medicis, ſummi præcellentisque viri: qui ſcilicet Ambram ipſam Cajanam, prædium (ut ita dixerim) omniferum, quaſi pro laxamento ſibi delegit civilium laborum.* Et ſub ipſius finem Carminis:

> *Et nos ergo illi grata pietate dicamus*
> *Hanc de Pierio contextam flore coronam,*
> *Quam mihi Cajanas inter pulcherrima nymphas,*
> *Ambra, dedit patriæ lectam de gramine ripæ:*
> *Ambra, mei Laurentis amor,* &c.

Prodiit primum opella, ut ex Epiſtola ad LAURENTIUM patet, anno 1485, neſcio vero, an ſeorſim, an, quod malim credere, cum aliis POLITIANI ſcriptis, *Brixiæ A.1486* publicatis. Mihi nusquam obvenit Carminis hujus ſigillatim excuſi editio, etſi id habeant, quotquot exſtant *Operum* POLITIANI, junctim editorum, collectiones, nec non *Carmin. illuſtr. Poet. Ital. Tomus VII p. 341 ſeq.* Quid *Annotationum* in hanc *Sylvam* ſcripſerit FRANCISCUS SANCHEZ, quid meditatus ſit NIC. BERALDUS, jam dictum eſt ſub hujus *§. notis (cc) & (dd).*

(hh) Legimus *Prologum in Menæchmos Plauti* in Epiſtola POLITIANI ad PAULUM COMPARINUM, *Lib. VII. Ep. 15*, nec is, quod ſciam, uſquam exſtat alibi. Scripſit hunc Noſter rogatu COMPARINI, cujus auditores acturi erant publice fabulam hanc PLAUTI. Servavit hic idem genus verſiculorum, quo & veteres Comœdiarum ſcriptores, & in his maxime PLAUTUS, uſi ſunt Quo ſpectet argumentum Carminis, Epiſtola, quam dixi, docet. Primum hoc agit, ut animos ſpectatorum ad audiendum ſpectandumque erigat; tum PLAUTI genus ſcribendi, & hujus maxime ſuavitatem Fabulæ, commendat; denique falſe quosdam ætatis ſuæ ſcriptores Comœdiarum notat, quorum fabulas, nulli metro adſtrictas, artis omnis elegantiæque expertes dicit. Id utique legenti cuivis apparet, ingenium veterum tam feliciter expreſſum a POLITIANO, ut facile hæc ſcripta ab ipſo PLAUTO putes. Sed, ut ipſe ſcribit in Epiſtola ad COM-

PARI-

PARINUM, compoſuit hæc *celeriter, nec ſatis habens otii, Romam tum maxime proficiſcens, itinerique jam paratus atque accinctus.*

(*ii*) Adjecit hanc *Elegiæ* Græcæ CALLIMACHI interpretationem, elegis Latinis adſtrictam, Noſter *Miſcellaneorum Capiti 80*, ubi & Græca CALLIMACHI, ſed deſtituta accentibus, leguntur. Poſtea eam cum ſua *Hymnorum* CALLIMACHI converſione NICODEMUS FRISCHLINUS edidit *Genevæ A. 1577*. Vid. *Catal. Biblioth. Auguſt. p. 765*. Iſte liber denuo lucem adſpexit *Baſileæ, apud Wendelinum Hommium, A. 1589, 8*. Eandem ſuæ *Hymnorum* CALLIMACHI editioni, *Antverpiæ, apud Chriſtophorum Plantinum, A. 1584, 12*, publicatæ, adjecit BONAVENTURA VULCANIUS. Video & locum ei datum inter JO. ANT VULPII *Carmina, Patavii* edita *A. 1725*. Quid de pretio ejus aut alii ſenſerint, aut ipſe ſentiam, fuſe dictum eſt *Sect. I. §. X. not. (p)*. Ipſe nos docet *Cap. LXXX. Miſc.* ſuſceptum id operis ſuaſu IO. PICI, ſibi familiariſſimi, qui eo tempore, quo ipſæ hæ *Miſcellaneorum* plagulæ prelum ſubierant, extemporalem hanc operam ſuſcipere invitum juſſit.

(*kk*) Egimus jam bis de MOSCHICI *in Amorem fugientem* Carminis interpretatione, *Sect. I. §. III. not. (f)*, & *§. X. not. (o)*. Nihil jam reſtat, quam ut, adjectum id laboris primum *Epiſtolæ* POLITIANI *ad* ANTON. ZENUM, poſtea libro *Epigrammatum*, tum MOSCHI & BIONIS *Idylliis, Brugis Flandrorum A. 1565* editis, (vid. *Catalogum Biblioth. Auguſt. p. 719*,) nec non ELIÆ CÜCHLERI *Centuriæ II Florilegii diverſorum Epigrammatum p. 164 ſeq.* doceamus Lectores noſtros.

(*ll*) De *Carminis Sibyllini* interpretatione, vide, quæ dicta ſunt ſupra *Sect. I. §. X. not. (q)*. Legitur hæc in *Miſcellan. Cap. LVIII*, nec, quod ſciam, uſquam alibi. POLITIANI en de ea *l. c.* judicium: *Cur autem non & Latinos eos* (verſus) *tentemus reddere, ſi non eleganter, utpote extemporales, ex fide tamen, ſervato etiam, quantum liceat, incomtæ illius, ſed venerandæ, vetuſtatis colore nonnullo, aut ſqualore potius.*

(*mm*) Quid venerum poeticarum insit huic Elegiæ, suo loco dictum est *Sect. I.* Lugubre ejus argumentum, quippe destinatum laudibus ALBIERÆ ALBITIÆ, venustissimæ, omnique virtutum genere condecoratissimæ, fœminæ, SIGISMUNDO STUPHÆ, nobilissimo viro, desponsatæ, sed ante nuptias immatura morte exstinctæ. Habes hanc in principio libelli *Epigrammatum*, nunquam, quod sciam, sigillatim editam. At, cum longe ea excedat formam Epigrammatis, quippe aliquot paginas implens, hinc nec male a me factum putarim, quod peculiarem ejus hic mentionem injecerim. Propius ad Epigrammatis ingenium accedunt illa *in ejusdem Albieræ præmaturam mortem* Carmina brevissima, numero septem, quæ in eodem *Epigrammatum* libello locum invenerunt. Nam, quod illic multis amplissimisque elegis, hic uno saltem aut duobus Distichis, complectitur Poeta. Elegiam, de qua dixi, cum aliis POLITIANI *Carminibus* adjectam legis *Carmin. illustr. Poet. Ital. Tomo VII. p. 358.*

(*nn*) De pretio horum *Epigrammatum* aut nostrum, aut aliorum, judicia attulimus, quod meministi, *Sect. I. §. X. not. (g).* Debetur horum pars maxima ipsius ingenio POLITIANI, etsi non desint, quæ ex vetustissimis Græcorum Carminibus translata in Latinum legantur. Hujus generis sunt MOSCHI *in Amorem arantem*, & *in Amorem fugitivum*, PLATONIS *in Archeanassam*, ANTIPATRI *in Homerum*, ANONYMI *in Ptolemæi Geographiam*, & *in Herculem & Antæum*, Epigrammata, SAPPHUS *in Timadem Epitaphium*, & breves aliquot versus, ex THEOCRITO & HESIODO excerpti. Cetera varii sunt generis, pro occasione scribendi varia. Alia laudes amicorum, alia inimicorum probra, canunt. Nec raro in rem quamque obviam ludit Poeta, seria jocosis, læta tristibus, commiscens. Nec desunt *Hymni ad Deum*, testantes, meo judicio, animum POLITIANI ab impietate, cujus accusatur vulgo, alienissimum. In multis mireris extemporalem industriam; adeo promtum Nostro ad poesin ingenium fuit. Quisquis breviora hæc POLITIANI Carmina primus in ordinem & fasciculum redegit, in conquirendo, quod facile patet, studium singulare adhibuit, neque tamen ita omnes loculos

culos excussit, ut non effugerint industriam ejus talia nonnulla, quæ omnium maxime digna posteritate videantur. In his primo loco nominamus tersissimam POLITIANI *in Horatium*, seu potius *in editionem Horatii, a Christoph. Landino publicatam, Oden dicolon tetrastrophon*, cujus initium: *Vates, Threicio blandior Orpheo*, præmissam *Horatio*, a LANDINO *Florentiæ* primum *A. 1482, fol. typis Antonii Miscomini*, (vid. MICH. MATTARIUM in *Annal. Typogr. T. I. p. 433. edit. nov.*) edito. Eandem additam *Horatio* LANDINI *A. 1483 Venetiis* vulgato, refert BERNARDUS DE LA MONNOYE in *Memoir. liter. T. I. p. 251.* Forsan eam editionem intelligit, quam exiisse ex officina *magistri Reynaldi de Novimagio Almani, fol.* memorat MATTARIUS *l. c. p. 445.* Nam, quæ est in manibus meis, eodem anno *Venetiis, per Joannem de Forlivio & Socios*, forma majore (*fol.*) vulgata, ipsi ignota MATTARIO, tale prorsus nihil habet. Integram hanc *Oden*, inde ex *Horatio Landiniano* excerptam, proferunt MICH. MATTARIUS in *Annal. Typogr. T. I. p. 433. not. 1. edit. nov.* & JO. ALB. FABRICIUS in *Biblioth. Lat. T. II. Lib. I. Cap. 13. p. 328 seq.* unde petat, per me licet, qui cupit. Suo jure hanc *bellam* dicit FABRICIUS *l. c.* & in laudanda ea tam liberalis est PETRUS DAN. HUETIUS, ut dignam antiquissimorum Poetarum ingenio, & cum elegantissimis Venusini vatis Carminibus comparandam, dicat. Discas id ex verbis ejus, quæ sunt in *Huetian. Cap. VII. p. 19*: *Cette Ode est un chef d'oeuvre, & j'ose l'egaler aux plus belles d'Horace. Le tour, le nombre, les ornemens, l'élegance, tout cela est digne de la plus noble antiquité.* Huic jungimus venustissimam POLITIANI *in exilium Ovidii Elegiam*, Distichorum XX, in cujus principio Poeta:

Et jacet Euxini vates Romanus in oris,
Romanum vatem barbara terra tegit.

Hanc ab interitu vindicavit, & operis *de Poetis Latinis Libro III. Cap. 46. p. m. 462* primus publicavit PETRUS CRINITUS, POLITIANI discipulus. Quod dum facit, simul honorifice de ea scribit: ***Permulti Scriptores, cum veteres, tum juniores, deplorarunt obitum illius, ut indignum atque miserabilem, habita***

bita detestatione tam sævæ, tamque calamitosæ, relegationis. Sed eleganter inprimis & copiose (ut ego existimo,) Angelus Politianus id fecit his versibus: &c. Inde migravit ea in varias *Carminum* OVIDIANORUM editiones, ut *Lugdunensem* DAN. CRISPINI, *anni 1689*, 4, *Amstelodamensem* NIC. HEINSII, *anni 1661*, *12*, & ejusdem loci BURMANNIANAS duas, *anni 1719*, *12*, & *1727*, 4. Forsan & his plures eam habent; sed quas pervestigare singulas, vix operæ pretium videtur. Expressit hanc *Elegiam* versibus Gallicis LINGENDESIUS, Poeta in Gallis præstantissimus, ut docet BERNARDUS DE LA MONNOYE in *Mem. de liter. l. c.* Porro ad prætermissa in libello *Epigrammatum* pertinet funebre illud *in Hermolaum Barbarum*, quod supra legendum dedimus *Sect. I. §. XVI. not. (d)*, nec minus tria illa *in Franciscum Salviatum*, *conjurationis Pactianæ complicem*, Epigrammata, adjecta *Historiæ conjurationis Pactianæ*, quam *Operibus* POLITIANI, *Basileæ A. 1554* editis, adjunxit NIC. EPISCOPIUS. Denique frustra inter Carmina POLITIANI, cum reliquis ejus scriptis publicata, quæras illam XIII Distichorum *in Thomam Baldinottum, eximium Poetam, Elegiam*, quam *Carminibus* POLITIANI adjectam video in *Carmin. illustr. Poet. Ital. T. VII. p. 383*, nescio, an ex schedis MStis, an aliunde, huc translatam. Singula hæc, quorum jam mentionem feci, Carmina, per se patet, non negligenda esse futuro, si quis unquam extiterit, *Carminum* POLITIANI Editori. Ea, quæ jam in unum collecta volumen extant, ad calcem *Operum* POLITIANI, ubicunque editorum, (certe earum omnium editionum, quæ inde ab anno 1498 publicatæ sunt,) leguntur. Sunt vero & sigillatim edita *Parisiis A. 1577*, *12*, ut me docuit MStus Regiæ Berolinensis Bibliothecæ Catalogus. Præterea eorum copiam nobis fecere RANUTIUS GHERUS (JAN. GRUTERUS) in *Delic. Ital. Poet. T. II. p. 256 seq.* MATTHÆUS TOSCANUS in *Carmin. illustr. Poet. Ital. Vol. II*, & Editor *Carminum illustr. Poet. Italorum Florentiæ A. 1720 Voll. X, 8*, editorum, *Tomo VII a pag. 294 ad 404*, sed qui varia hic exulare jussit Epigrammata, quæ certissime a POLITIANO composita constat, etsi jacturam hanc quodammodo compensaverit *Elegiis* duabus *in exilium Ovidii*, & *in Thomam Baldinottum*, quæ, ut

paulo

paulo ante diximus, non ſunt obvia in vulgari *Epigrammatum* libello. Habes & *Epigrammatum* POLITIANI nonnulla, eaque præ ceteris venuſta & eximia, admixta paſſim PAULI JOVII *Elogiis*, A QUERCU *Carminum Parti primæ*, OTHONIS MELANDRI *Jocis atque Seriis*, JOANNIS BEBELII *Selectis Epigrammatibus Græcis, a variis Latine verſis*, quem librum, *A. 1529* editum, indicat MICH. MATTARIUS in *Annal. typ. T. II. p. 344. not. (b)*, PETRI ANDREÆ CANONHERII *Floribus illuſtr. Epitaphiorum*, CASP. DORNAVII *Amphitheatro Sapientiæ Socraticæ jocoſeriæ*, THEODORI BEZÆ *Poematibus, editionis ſecundæ*, & ELIÆ CÜCHLERI *Florilegio diverſorum Epigrammatum.* Unum id addo, Epigramma ANGELI *in Carolum Aretinum* non eſſe in CAROLUM patrem, ut fruſtra putat POCCIANTIUS in *Catalogo Scriptor. Flor. p. 35*, (mortuus enim eſt ARETINUS ille POLITIANO nondum nato,) ſed in illius filium, doctrina & meritorum fama patri æqualem. Conf. *Giorn. de' Letter. d'Ital. T. X. p. 486 ſeq.*

(oo) Ita olim, in Italia præſertim, moris fuit, ut, ſi quis doctrinæ & in literas meritorum fama præ ceteris inclaruiſſet, librosque edidiſſet communi orbis eruditi plauſu exceptos, ejus, aut adhuc viventis, aut mortui, quæcunque elucubraſſet unquam, in unum collecta volumen ſcripta ederentur, conſervatura ita æternam Autoris, doctrinæque ejus, in poſterorum animis memoriam. Taceo jam aliorum exempla, quippe non ignota iis, quibus familiare eſt, vetuſtiores libros manibus tractare. De POLITIANO jam dicam, cujus ſcripta politiſſima, vel Græce, vel Latine compoſita, quanti fecerint omnium ætatum viri eruditi, vel illud eſſe documento poteſt, quod his in unum corpus redigendis, conjungendisque eleganter, laborem ſumtusque variis temporibus varii impenderint. De Græcis & Latinis tantum dicimus; nam, quæ vernaculo ſermone ſcripſit Noſter, nunquam, quod meminimus, cum ceteris conjunctim prodierunt. Exſtat Collectionum iſtiusmodi, inter ſe & loco, & tempore, & ipſa forma, diverſarum, tantus numerus, ut dubitare mihi liceat, ſitne ulli unquam eruditorum, recentioris maxime ætatis, tantus honor habitus. Unde nec mirandum adeo, in deſignandis his

 diſtin-

diſtinguendisque varios variorum lapſus animadverti. Patebit ex accurato Collectionum iſtarum indice, quem deinde dabimus, non accurate ſatis in *Catalogo Bibliothecæ Sarrazinianæ P. I. p. 176 Operum* POLITIANI editionem omnium primam dici *Florentinam anni 1499, fol.* falli etiam CONR. GESNERUM, qui *Opera* Noſtri primum edita ab ALDO *Venetiis*, poſt *Lutetiæ A. 1519* a JOD. BADIO ASCENSIO, tradit in *Biblioth. univerſ. p. m.* 44, nec minus WERNERUM JAC. CLAUSIUM, qui editionem primam illam ALDI *Venetam anni 1498*, ſecundam *Florentinam anni 1499*, perhibet in *Vita Polit. Cap. 10. p. 24*, denique ab Autoribus Diarii *Hiſt. crit. de la Rep. des lettr. T. III. p. 256* vulgata primum hæc *Opera* ab ALDO *Venetiis A. 1502, fol.* poſt a BADIO *Pariſiis A. 1519*, per errorem dici. Ego vero inprimis gaudeo, aſſidua Scriptorum aut Bibliothecarum perveſtigatione illud me aſſecutum, ut his meliora longe & magis certa communicare cum eruditis poſſim. Expromam igitur in commodum Lectorum, quæ mihi jam ſuppetit, inſtructiſſimam Collectionum iſtarum ſupellectilem, in quibus etſi non deſint eius generis nonnullæ, de quibus, an viderint omnino lucem publicam, diligentius ſit disquirendum; non putavi tamen, earum hic mentionem omittendam, ut, ſi qui Lectorum de his reddere nos certiores poſſint, hi jam ſua rogati in commune proferant. Collectionum iſtarum antiquiſſima omnium, quantum mihi conſtat, prodiit *Florentiæ A. 1482, fol.* Indicat eam *Catalogus Bibliothecæ Jani Rutgerſii pag. 66. n. 55*, & ex eo MICH. MATTARIUS in *Annal. Typogr. T. I. p. 438 ed. nov.* Huic titulus: *Opera omnia Angeli Politiani, & alia quædam lectu digna.* Opera omnia promitti vides, ſed quæ, per ſe patet, non excedere annum 1482. Itaque nihil minus hic legis, quam POLITIANI *Opera* omnia. Apparet enim ex iis, quæ de ſcriptis POLITIANI per totam hanc *Sectionem II* commemoravimus, maximam illorum partem, ea præſertim, quæ ſunt omnium præſtantiſſima, *Miſcellanea* intelligo, *Hiſtoriarum Herodiani*, & *Alexandri Problematum*, interpretationes Latinas, magnam *Epiſtolarum, Prælectionum, Sylvarum*, & reliquorum Carminum copiam, poſt annum demum 1482 aut compoſita eſſe a POLITIANO, aut certe lucem vidiſſe publicam. Num vero cetera omnia, quæ ſcripta

ſunt

ſunt ante annum 1482, Collectione hac, quisquis eam curavit, complexus ſit, cum iis omnibus, quibus non inſpectum eſt opus rariſſimum, nos quidem ignoramus. Idem fere dicendum de *Operum* Collectione *Brixienſi anni 1486, fol.* cujus notitiam debemus ADR. BAILLETO in *Jug. des Sav. T. II. P. I. p. 394 ed. nov. Catalogo Biblioth. publ. Univ. Lugd. Bat. p. 255*, &, qui ex eo habere videtur, MICH. MATTARIO in *Annal. Typogr. T. I. p. 780.* Non enim, qui hanc tenet, *Operum* omnium ac ſingulorum ab eo ſupellectilem teneri, docet librorum, ſub vitæ demum finem a POLITIANO editorum, aut ſcriptorum ſaltem, cumulus. Ceterum, cujus cura aut impenſis iſta æque, ac prior illa F*lorentina*, in vulgus exierit, is demum nos doceat, qui ſuis utramque manibus tractaverit. *Brixienſem* ſequitur Collectio *Veneta, typis Aldi Manutii* publicata *A. 1494, fol.* cujus indicium facit *Bibliotheca Frid. Adolphi Hanſen ab Ehrencron pag. 162*, ubi notulam addidit Editor: *C'eſt la meilleure edition, & la moins commune.* Neque tamen abnuerim, ſi cui error typographicus hic ſuboleat, legendumque pro 1494 videatur 1498. Non enim in *Annalibus typographicis* MATTARII, quem, ut eſt in his rebus oculatiſſimus, non eam editionem, ſi unquam publicatam putaſſet, fuiſſe omiſſurum putarim, quique diſertis verbis, *A. 1498* primum id operis vulgatum a MANUTIO, nos docet in *Annal. Typ. T. I. p. 85. ed. nov.* nec usquam alibi, *Aldinam* hujus anni Collectionem nominari video. Singularis tamen quædam, nec robore ſuo deſtituta, ratio editioni huic aliquem inter Collectiones *Operum* POLITIANI tribuendum locum ſuadet. Nimirum ex Præfatione ALDI, Collectioni *Operum* POLITIANI, quam is edidit *A. 1498*, præmiſſa, quæque ipſa ab editione *anni 1494*, ſi qua exſtitit re vera, abeſſe minime potuit, illud haud obſcure colligas, primam omnium Collectionum, quæ ſunt in lucem editæ, fuiſſe ab ALEXANDRO SARTIO, cive Bononienſi, POLITIANI amico, adornatam. Ita enim ALDUS: — — *ſcito, non eſſe hæc edita ab ipſo* (POLITIANO), *ſed ab amicis, & praecipue ab Alexandro Sartio, Bononienſi, literatis omnibus pergrato viro, qui amiciſſimi viri, quæcunque habere potuit, opera, multum ac diu & accurate quæſita, imprimenda curavit.* Addo luculentum PETRI CRINITI teſtimonium

in *Epist. ad* ALEX. SARTIUM, *Lib. XII. Epp.* POL. *Ep. 21: Scripseram pridem ad te, Alexander, tum & illud monueram, ut, quos collegisti adhuc Politiani labores, pro túa nunc diligentia in bonorum usum proferendos curares. Ut enim, quod omnes jam norunt, sive Politiani manibus hoc debeas, sive debere te putes, hoc totum in te oneris reclinasti, ne quid omnino ab eruditis desideretur, quod ingenio partim Politiani & industria effectum est, rem profecto & te dignam, & in qua laudem tuo nomini haud immerito amplam concilies. Atque, ut tu quidem, Alexander, Politiani noctibus & vigiliis prospiciendum putasti: ita hercle crediderim & studiosorum ingenia plurimum tibi debitura, qui unus sis autor, ne tot, tam variæ, tam multiplices, eruditorum lucubrationes intereant.* Jam vero, si ALEXANDER primus fuit eorum, qui post mortem POLITIANI *Opera* ejus junctim publicarunt, nec dubitandum, quin *Venetiis* prodire hæc jusserit, quippe ejus urbis tunc civis; necesse est, ante annum 1497 Collectionem ejus publicatam, quod exstet ejus anni alia *Florentina*, quæ subsecuta est *Sartianam*. Unde recte colligas, *A. 1494* ex *typographia* ALDI primum exiisse *Opera* POLITIANI. Sed nihil hic certi definimus, quin potius ejus rei fidem esse penes *Bibliotheeæ Ehrencronianæ* Editorem jubemus. Certius de *Florentina*, quam modo dixi, edita *anno 1497*, *fol.* compertum habemus. Habent hanc CORNEL. a BEUGHEM in *Incunab. Typogr. p. 102*, ORLANDUS in *Orig. e progr. della stampa p. 589*, JO. ALB. FABRICIUS in *Biblioth. Græc. T. IV. p.* 74, & MICH. MATTARIUS in *Annal. Typogr. T. I. p. 656 edit. nov.* qui titulum Operis hunc exhibet: ANGELI POLITIANI *Opera omnia recusa*, male quidem, quandoquidem non satis recte is FABRICII, quo ipso utitur teste, verba accepit. Ita enim ille *l. c.:* POLITIANI *Opera Florent. 1497 fol recusa Venet. 1498;* ubi satis apparet, vocem *recusa* non ad editionem *Florentinam*, sed ad *Venetam*, spectare. Inter Scriptores illos, quos dixi, non est ullus, qui nomen vel editoris, vel Typographi, nos doceat, aut operum, hic collectorum, indicium faciat. Mihi vero, ut Opus ipsum, quippe sub incunabula Typographiæ editum, propius intuerer, nunquam esse adeo felici licuit Itaque, quantumvis cupiam hic copiosus esse, silere me jubet dicendorum penuria.

ria. Illud tamen ex FABRICII *l. c.* discimus, Collectioni huic accessisse *Problematum* ALEXANDRI interpretationem, cura PETRI CRINITI, qui an omnem ejus Collectionis curam susceperit, an cum alio quocunque partitus sit, is demum certo definierit, cui Operis ipsius propius inspiciendi copia facta fuerit. Excipit ordine *Florentinam* hanc *Veneta* ALDI MANUTII, *A. 1498, fol.* edita, quam nos ipsam in librorum nostrorum supellectile servamus, tanquam praeclaras superiorum temporum & ALDINARUM elegantiarum reliquias. Puto, nihil hanc discrepare ab ALDINA *anni 1499*, quam exhibet *Bibliotheca Menars. p. 145. n. 1878*, errore forsan numerorum, quem in his rebus facile committi posse, quotidie experimur. Idem mecum sentit MICH. MATTARIUS *in Annal. T. I. p. 690. not. 2.* Fuit ALDUS iste in amicissimis POLITIANI, ut satis apparet ex mutuis horum Epistolis, quae sunt *Libro VII. Epist.* POLIT. *n. 7 & 8.* Neque adeo ad publicanda haec *Opera* alio accessit animo, quam ut memoriam hominis sibi conjunctissimi, quantum posset, ab oblivione vindicaret. Titulum Operi praefixit ALDUS: *Omnia Opera Angeli Politiani, & alia quaedam lectu digna, quorum nomina in sequenti Indice videre licet.* Quaeris, quid sibi velint illa *alia*, POLITIANEIS addita? Intelligi hic scito partim eruditissimorum virorum ad POLITIANUM *Epistolas*, partim, quae *Libro XII Epistolarum* accessere, HERMOLAI BARBARI nonnulla, *Epistolas* nempe, in quibus eruditissima *de Ferculis*, & Graecae d ae ad JUSTINVM TODEMADYUM & ANTONIUM PYROPYLUM, leguntur, porro *in Paraphrasin Physices Themistii Praefationem ad Ant. Galateum, in Paraphrasin Themistii, Peripatetici, Praefationem ad Sixtum IV, Pont. Max. in Castigationes Plinianas ad Alexandrum VI, Pont. Max.* & *in libros Aristotelis, Praefationes*, denique *ad Fridericum, Imperatorem, & Maximilianum, Regem Romanorum, Orationem.* Praemissa est Operi tersa & vere *Manutiana* ad MARINUM SANNUTUM, LEONARDI *Filium, Patricium Venetum, Epistola*, & Dedicationis, & Praefationis, locum sustinens. Patet hinc, SANNUTI hujus potissimum hortatu in proposito edendi operis confirmatum MANUTIUM; colligendis his POLITIANI

 scri-

ſcriptis ab ALEXANDRO SARTIO, Bononienſi, exſtincto jam POLITIANO, operam navatam; digniſſimum hinc venia POLITIANUM eſſe, ſi quid in ejus ſcriptis deprehendatur maculæ, quandoquidem emendaturus, ſi licuiſſet, fuerit. Præterea commemorantur hic multa de SANNUTI partim, partim POLITIANI, in literas præclaris meritis, hujusque ſcripta nominantur varia, aut inchoata ſaltem, aut pleniſſime perfecta, ſed a malevolis morienti ſubducta, &, ut aliquando ederent pro ſuis, occultata. Ipſa POLITIANI ſcripta *Voluminibus duobus* continentur, quorum *priori* legis *Epiſtolarum libros VII; Præfationem in Charmidem Platonis, e Græco in Latinum translatum*, cum ipſa *interpretationis* hujus parte, quanta inveniri potuit; *Miſcellaneorum Centuriam;* altero *Herodiani Hiſtoriam, e Græco in Latinum converſam; Epicteti Enchiridii interpretationem Latinam; Defenſionem pro Epicteto ad Bartholomæum Scalam; Alexandri Aphrodiſiei Problemata, Latine verſa; Plutarchi Amatorias narrationes, Latine redditas; Prælectionem, cui titulus: Lamia;* aliam, *Panepiſtemon; de ira, in pueris optimæ ſæpe indolis argumento, Epiſtolam ad Laurentium Medicæum; Præfationem in Homerum;* aliam *in Quintilianum & Statii Sylvas;* aliam *in Suetonium; Orationem pro Oratoribus Senenſium, ad Alexandrum VI, Pont. Max.;* aliam *pro Oratoribus Florentinorum, ad Alphonſum, Regem Siculum;* aliam *pro Oratoribus Florentinorum, ad eundem Alphonſum;* aliam *pro Prætore Florentino, ad Dominos Florentinos; Athanaſii Opuſculum in Pſalmos, e Græco in Latinum translatum; Dialecticam; Prælectionem de Dialectica;* aliam *in Perſium; Sylvas, Nutricia, Ruſticum, Manto, Ambram; Epicedion in Albieram; Librum Epigrammatum Latinorum;* denique *Epigrammatum Græcorum libellum.* Exulant igitur hac Collectione THEOPHRASTI *Characterum Latina interpretatio, Conjurationis Pactianæ hiſtoria*, & leviora nonnulla alia, ſed quorum forte tunc copia haberi non potuit. Eadem deſiderantur in reliquis omnibus, quæ poſtea ſecutæ ſunt, *Operum* Collectionibus, prorſus ad hanc *Aldinam* adornatis, niſi quod in *Baſileenſem anni 1553* primum migravit *Conjurationis Pactianæ hiſtoria.* Nitorem literarum, & chartæ elegantiam, ſi ſpectes, neſcio, an ulla præferenda ſit *Aldinæ* huic; quod facile credent, quibus *Aldinorum*

rum operum elegantia vel aliunde ſatis eſt cognita. Non diſſimulamus tamen, erroribus operarum nimium corruptam fœdatamque eſſe, ut vel uno hoc nomine Lectoribus meis alias omnes potius, quam *Aldinam* hanc, legendas ſuadeam. Mirum id iis videbitur, qui emendatiſſimæ ſcripturæ cauſa editiones *Aldinas* vulgo commendari præ aliis omnibus meminerint; qui ipſi tamen, ubi ad lectionem horum *Operum* acceſſerint, a reliquis omnibus unam hanc degeneraſſe valde, agnoſcent, puto. *Aldinam* hanc ſubſecuta eſt altero anno poſt, nempe *1499*, *Florentina*, *typis Leonardi de Arigis de Geſoriaco*, *forma majori*, *(fol.)* excuſa; cujus notitiam ſuppeditant ADR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T. II. P. I. p. 394*, ORLANDUS in *Orig. e progr. della ſtampa p. 379*, & MICH. MATTARIUS in *Ann. typ. T. I. p. 690. ed. nov.* Eam nec videre mihi unquam contigit; nec, cujus ſit pretii, aut quid librorum contineat, ullus eſt Scriptorum, qui nos doceat. Cum *Aldina* in omnibus conſentientem dicis? Non abnuo, modo non id pertinacius contendas. Etenim *Aldinam* illam & *Florentinam* hanc editionem tam breve temporis intervallum interceſſit, ut alteram vix ante oculos habere potuiſſe editor alterius videatur. Certe utriusque hanc diſcrepantiam notat MATTARIUS in *Annal. typ. T. I. p. 104*, quod Græca, quæ leguntur in ſcriptis POLITIANI, in *Florentina* absque apicibus & accentiunculis ſint exſcripta, cum eas minime negligendas putarit ALDUS, niſi in verſibus *Sibyllinis*, *Cap. LVIII Miſc.* obviis, & Græca CALLIMACHI *Elegia*, quam *Miſc. Cap. LXXX* legimus, quibus in locis, diſerte POLITIANUS, abeſſe eas in codicibus vetuſtis, teſtatur. Jam novam *Aldinam Operum* iſtorum editionem *anni 1502 fol.* memorant Autores Diarii *Hiſt. crit. de la Rep. des lettr. T. III. p. 256*, ſed de qua nihil habent ſcriptores alii, ut veroſimillimum ſit, per errorem, neſcio an Autorum, an operarum, pro anno *1498* in Diario illo legi *1502*. Accedimus potius ad Collectionem *Pariſienſem anni 1512*, a JODOCO BADIO ASCENSIO, nobili & erudito Typographo, majoris formæ *Voluminibus duobus* vulgatam. Hujus, quam noſtris ipſi manibus verſavimus, *Volumen alterum Epiſtolas & Miſcellanea*, *alterum* ſcripta POLITIANI reliqua, complectitur. In omnibus editionem hanc BADIUS ad *Aldinam*

nam

nam effinxit, ipſamque in ejus fronte MANUTII ad SANNUTUM Epiſtolam collocavit. *Priorem* operis partem NICOLAO BERALDO, *Aurelio, Jurisperito & conſultiſſimo, & diſertiſſimo, poſteriorem* LUDOVICO DE BERQUINO, *clariſſimis natalibus, ſpectatiſſimis moribus, & cultiſſimis literis, prædito juveni*, ſingulis eleganti, nec indocta, Epiſtola inſcripſit. At, externum operis habitum, & ductum literarum, ſi reſpicias, jam omnibus cognitum eſt, quantum *Aldinis Badiana* cedant. Poſt aliquod temporis intervallum, *A. 1519*, idem BADIUS de nova, eaque auctiore quodammodo, horum *Operum* editione cogitare cœpit. Prodierat ipſius cura *A. 1517* FRANCISCI SYLVII, Ambianatis, *in Epiſtolas* POLITIANI *Commentarius*, de quo ſupra copioſe diximus. In easdem, & *in Miſcellanea*, ipſe *Annotationes*, etſi SYLVIANIS multo breviores, ſcripſerat, de quibus & ipſis mentionem ſupra fecimus. Præterea JACOBUS TUSANUS, Trecenſis, doctiſſimus juvenis, poſtea publicus Græcæ linguæ Profeſſor Pariſienſis, qui *Græcas* BUDÆI *Epiſtolas*, nec non quædam ex THEODORI GAZÆ *Grammatica*, Latine vertit, (vid. CONR. GESNERI *Biblioth. univ. p. 365. B.)* non inutilem laborem ſuſceperat, in Latinum transferendi, quæcunque in *Operibus* POLITIANI Græca legerentur, ipſa etiam *Epigrammata Græca*, integro libello edita. Nihil horum abeſſe debere ab *Operum* POLITIANI editione nova, judicavit BADIUS. Exiere igitur denuo hæc *Opera* ex officina *Aſcenſiana* anno, quem dixi, 1519, non ſcriptis POLITIANEIS, ſed SYLVII & BADII *in Epiſtolas Commentariis*, & TUSANI *Latina Græcorum interpretatione*, denique & *rerum ac verborum notabiliorum, in Epiſtolis ac Miſcellaneis obviorum, Indice*, ab ipſo BADIO contexto, qui editionem hanc *Aldina* quodammodo efficere commendabiliorem poteſt, locupletata. In ceteris omnibus, ſive formam, ſive ordinem ſcriptorum, ſpectes, poſterior hæc editio cum priori convenit. Mihi hic facile credes, qui utramque teneo, utramque inſpexi diligenter. Rubrum poſteriori hoc dedit ASCENSIUS: *Omnium Angeli Politiani Operum (quæ quidem exſtare novimus) Tomus prior, quo ſunt Epiſtolarum Libri XV, cum quibusdam addititiis, quæ ſequenti indi-*

indicabuntur tabella: Charmides Platonis, a Politiano Latinitate donatus, opus imperfectum: Miscellaneorum Centuria prima. Accessit omnium, quæ in toto Opere Græca sunt, accuratissima Jacobi Tusani interpretatio: Epistolarum & Miscellaneorum explanationes, cum earum Indice. Cetera ejusdem Opera vel Opuscula in posteriore indicabuntur Tomo vel Particula. Dedicavit librum BADIUS LUDOVICO RUSÆO, *integerrimo & longe prudentissimo Suppræfecto civili, a civilibus videlicet Judiciis locum Regium in inclyto Parisiorum tribunali tenenti,* quem compellat Epistola illustri ac pereleganti, data *XV Cal. Mart. A. 1518.* Subjecit huic Epistolas quatuor, unam ad ANTONIUM COBERGERUM, *Norimbergensem civem, virum integerrimum, atque literariam rem gerentium laudatissimum,* cui *Epistolas* POLITIANI *A. 1499*, alteram *ad* NICOL. BERALDUM, cui, ut dixi, editionis *Operum, A. 1412* publicatæ, *Partem priorem*, tertiam ad LUDOVICUM de BERQUINO, cui ejusdem editionis *posteriorem Partem*, quartam denique ad FRANCISCUM HALOINUM, *Ambianorum Antistitem*, cui *Epistolas* POLITIANI, cum *Commentariis* FRANC. SYLVII *A. 1717* sigillatim editas, inscripserat. Ad calcem Operis adjectum est *Privilegium Regium, quo cautum est, ne quis hæc Opera triennio proximo imprimeret præter Badium, aut impressa in regnum Francorum inferret.* Interpretationem TUSANI quod attinet, habet hæc simplicitatis gratiam, & ad id inprimis comparata est, ut, quorum lectio habere aliquid difficultatis videretur, ea, additis Latinis verbis, planiora evaderent. Artis veroquam parum studiosus fuerit TUSANUS, patet inprimis ex Carminibus POLITIANI Græcis, quæ ipsa non sunt versibus, sed prosa oratione, prorsus ad verbum, latine reddita. Pergimus ad SEBASTIANI GRYPHII, prænobilis Lugdunensium Typographi, Collectiones, sed quarum nec ipsi certo definire numerum audemus. Harum tres tantum numerat Autor Diarii *Hist. crit. de la Rep. des lettr. T. III. p. 256, unam A. 1539, alteram A. 1545, tertiam A. 1550*, publicatam. Sed fefellit hunc calculus, exstatque major longe editionum numerus, quarum alias ipse vidi, alias aliunde didici. Harum *prima A. 1528* prodiit, mihi ipsi inspecta, & in JO. CHRISTOPH. BECMANNI *Catalogo Biblioth. U-*

niv. Francof. p. 231, nec non in MICH. MATTARII *Annal. Typogr. T. II. p. 710*, obvia. Hanc ſecutæ ſunt novæ *A. 1533*, quam exhibet *Bibliotheca Marckiana P. II. p. 56*, *A. 1536*, quam legis in *Biblioth. Telleriana p. 410*, & in *Catal. Biblioth. Traj. Bat. p. 134*, *A. 1537*, quam nos ipſi manibus verſavimus, *A. 1539*, quam & ipſam in librorum noſtrorum penu ſervamus, *A. 1545 & 1550*, quam ſervat *Bibliotheca Uilenbroukiana P. III. p. 208*. Poſtremam hanc, etſi diverſis annis editam, unam tamen eandemque puto, ita quidem, ut *Tomus I A. 1545*, poſteriores *A. 1550*, prodierint. Cujus rei indicium facit *Bibliotheca Uilenbroukiana*, ubi uni editioni uterque annus ſubnotatur. Forſan æque comparatum eſt cum aliis, quas nominavimus, inprimis quæ *A. 1536* & *1537* prodiere, quas, ſi breve temporis intervallum reſpicias, vix conjungendas dubites. Septemne igitur, an ſex, an his pauciores forte, *Collectionis Gryphianæ* editiones exſtent, vix docere nos niſi illi liceat, qui ſingulas ante oculos habuerit. Quotquot demum illarum prodierint, omnes & forma, quam octavam vocant, & *Voluminum* numero, inter ſe conveniunt. *Tribus* enim *Tomis* ſcripta POLITIANI diſtinxit GRYPHIUS, quorum primo *Epiſtolæ* & *Miſcellanea*, altero Latinæ Scriptorum Græcorum interpretationes, tertio reliqua, quæ ſcripſit, omnia, continentur. Eo nomine laudandus præ ceteris GRYPHIUS, qui ſcripta POLITIANI, pro variis horum generibus, in varias partes congeſſit. Quod vero ad numerum ſcriptorum POLITIANI, non eſt GRYPHIANA Collectio ditior ALDINA. Commode tamen acceſſere illi Index rerum, in *Epiſtolis* & *Miſcellaneis* notabiliorum, nec non margini appoſitæ breviores notæ, aut rerum ſummam continentes, aut loca difficiliora enodantes. Præterea ex BADIANA Collectione adjunctam videmus Latinam TUSANI eorum, quæ ſunt Græca in his ſcriptis, converſionem, etſi de ea ne verbo quidem mentionem fecerit GRYPHIUS, nec uſquam legatur TUSANI, autoris, nomen. Id forſan male habeat lectores, Præfationis nihil præmiſſum a GRYPHIO, quo fit, ut inſtitutum Editoris, niſi perveſtigato toto Opere, cognoſci vix poſſit. Eam vero Collectioni huic præ ceteris tribuendam laudem puto, quod & mole externa ad uſum Lectorum apta inprimis, & *Aldinis* mendis purgatiſſima,

&

& ipsa literarum elegantia maxime sit commendabilis. Jam *Basileensem anni 1542, fol.* Collectionem memorari video in *Biblioth. Marckian. P. I. p. 169*, sed de qua, nihil est, quod proferam; adeo tacent de ea alii aut Scriptores, aut Bibliothecarum Indices. Unde prope ab eo absum, ut numerorum hic errorem agnoscam, nec aliam indicari Collectionem putem, quam quæ prodiit *Basileæ A. 1553 apud Nic. Episcopium, juniorem, fol.* Hæc, etsi tempore ceteris posterior, inter rarissimas tamen numeranda videtur; adeo pauci sunt, qui vel visam sibi, vel saltem cognitam, testentur. Et ipse diu hanc frustra vestigavi, spemque ejus obtinendæ deposueram fere, cum nuper demum vix opinanti tale quid forte fortuna in manus incideret. Habet ea præ ceteris omnibus præcipuum hoc ac singulare decus, quod accessit ei *Conjurationis Pactianæ historia*, nec, quod meminimus, seorsim antea, nec cum aliis POLITIANI scriptis conjunctim, edita. Reliquorum vero, quæ sunt in ALDINA Collectione, scriptorum hic prorsus nihil desideres. Nec frustra hic quæras JACOBI TUSANI *Interpretationem Græcorum, quæ sunt in scriptis* Nostri *obvia*, etsi non sub ipsius TUSANI, sed sub *cujusdam* tantum *Studiosi*, nomine compareat. Patet enim ex collatione hujus cum illa TUSANI, nihil has inter se discrepare, sed Autorem agnoscere unum eundemque. Præterea ad calcem Operis accessere *Indices tres*, unus *Autorum, in Politiani lucubrationibus citatorum*, *alter locorum, ex Autoribus a Politiano vel explicatorum, vel a mendis purgatorum*, tertius *rerum verborumque, in lucubrationibus Politiani omnibus obvenientium.* Copiosus inprimis est postremus hic, qui, cum in scripta POLITIANI omnia ac singula confectus sit, qualis non exstat usquam alibi, & ipse huic *Collectioni* singularem quandam præ ceteris gratiam conciliat. Titulum ei præfixit Editor: *Angeli Politiani Opera, quæ quidem exstitere hactenus, omnia, longe emendatius, quam usquam antehac, expressa: quibus accessit Historia de conjuratione Pactiana in familiam Medicam, elegantissime conscripta: quorum omnium ordinem post Politiani Elogia invenies: addito una Indice memorabilium copiosissimo.* Dedicavit Opus suum EPISCOPIUS Clarissimo Jurisconsulto, D. CAROLO HARSTO, *Principis Guilielmi, Ducis Clivensis,*

ſis, &c. Conſiliario. Compellat hunc in fronte Operis Epiſtola non ineleganti, unde diſcimus, librum hunc eorum omnium, quos prelo ſuo exire juſſit EPISCOPIUS, junior, fuiſſe primum. Facete eam in rem ipſe: *Orſus ſum autem hanc negotiationem literariam optimo jure ab eo, qui, ſi non primus, certe cum primis, rem literariam, per mille annos peſſundatam a barbaris, tanta ſua cum laude cœpit reſtituere integritati priſtinæ hoc noſtro felice Seculo, ut, cum patrum ætate una cum Hermolao Picoque majore triumviratus honorem adeptus ſit omnium eruditorum calculis, ita, ut pro impudente alienoque a Muſis ſimul & Gratiis exploderetur, quisquis contra mutire auderet, eam exiſtimationem etiam fato functus retineat apud poſteros, &, quamvis in hodiernum usque ſecuta ſint multa præclara lumina, tamen conſtanter ſuum gradum teneat, & inter primores cenſeatur.* Annectit huic *Epiſtolæ* honorifica aliquot doctiſſimorum virorum, JOVII, CRINITI, ERASMI, STROZII, filii, & *Incerti cujusdam*, de doctrina POLITIANI teſtimonia. *Epiſtolis* POLITIANI additæ ſunt ad marginem notæ breviores, rerum ſummam continentes, & ad uſum lectorum ſatis accommodatæ. Ceterum, typorum non eam hic eſſe, quam in *Aldina* & *Gryphiana* Collectione, elegantiam, facile ferent ii, qui externa hæc parum curant. Ultima, quam novi, *Operum* POLITIANI *Collectio* in lucem exiit *Antverpiæ A. 1565, 8, typis Philippi Nutii*, quam Amici cujusdam, olim Lipſienſis, nunc Gottingenſis, humanitate mecum communicatam gaudeo. Ejusdem *Collectionis* mentionem faciunt GEORG. DRAUDIUS in *Biblioth. Claſſ. T. II. p. 1436*, & Editor *Bibliothecæ Tellerianæ p. 410*, ſed quorum alter annum *1566*, alter *1567*, ei natalem dicunt, ut neſciam hinc definire certo, ſitne ab his error admiſſus in numeris, an Collectionis hujus editiones una plures prodierint. Adhæc, cum Operis iſtius non niſi *Tomus primus*, continens *Epiſtolas* & *Miſcellanea*, venerit in manus meas, nec quidquam præterea Scriptoribus, quos nominavimus, proferri videam, dubitationi hinc locus relinquitur, an Opere hoc univerſa POLITIANI ſcripta complexus ſit Editor, exiſtetque inter eruditos *Collectionis* hujus *Volumen alterum.* Quicquid ejus rei ſit, niſi in animo fuiſſet Editori, univerſam ſcriptorum ſupellectilem in unum corpus cogere,

cogere, non video causam, cur, quicquid est hujus operis, *Tomum primum* inscripserit. Præfixit enim hunc libro titulum: *Angeli Politiani Operum Tomus primus, Epistolarum libros XII, ac Miscellaneorum Centuriam I, complectens.* Editoris nomen nec in fronte Operis, nec usquam alibi, apparet. Nec Præfationis quidquam præmissum, unde de Collectionis hujus instituto constare possit. Accommodatissimum ad usum Lectoris Opus faciunt TUSANI partim *interpretatio Græcorum*, partim nonnullæ, margini adscriptæ, notæ breviores, partim denique *Index rerum & verborum* copiosus. Nec elegantiæ nihil habet externus Operis habitus, quem typorum nitor, & chartæ bonitas, satis commendare eruditis possunt. Est hæc, quod dixi, Collectionum, quæcunque prodierunt unquam, ultima, quam brevi, ut ex literis fratris mei, CAROLI OTTONIS, disco, excipiet nova, eaque, quod spero, ceteris omnibus multo auctior & elegantior, quam Florentiæ, jam in eo est, ut paret insignis doctrinæ vir, ALEXANDER POLITUS, quem, ut hoc pariter opus, ac præclara alia, quæ meditatur, inprimis *Eustathium* suum, urgeat, &, quam primum id fieri possit, perficiat, publico nomine, & literarum causa, obtestamur.

§. 3.

Hactenus, quæ sunt ante oculos omnium exposita, omniumque manibus versantur, POLITIANI scripta nominavimus. Quorum, etsi per se patet, & copiam insignem, & admirabilem doctrinam, esse, ut hæc præcipuam POLITIANO inter eruditos videantur famam dignitatemque comparasse; auget tamen mirifice hanc gloriam eorum numerus, quæ sunt scripta verius ab ANGELO, quam luce donata publica, quæque, communi quodam laborum præstantissimorum fato, aut periere prorsus incuria hominum, aut, magno literarum incommodo, ad hunc usque diem

remotiſſimis Bibliothecarum carceribus detinentur. (*a*) In hoc genere ſcriptorum POLITIANI numerantur Latinæ librorum aliquot Homeri, (*b*) Quæſtionum naturalium Alexandri Aphrodiſienſis, (*c*) Aphoriſmorum Hippocratis, & in hos Commentarii Galenici, (*d*) Xenophontis de memorabilibus Socratis, (*e*) Demoſtheneæ de Syntaxi Orationis, (*f*) interpretationes, porro Miſcellaneorum Centuria altera, (*g*) in Statium Annotationes, (*h*) in Errores linguæ Latinæ liber, (*i*) in Ariſtotelis Librum de animalibus Commentarii, (*k*) Ulyſſis ad Achillem Oratio, (*l*) Carmina etiam de ſanguinaria Juliani, Medicæi Principis, cæde, (*m*) de Diis gentilium, (*n*) & in gentis Medicææ laudem, (*o*) præterea in Faſtos Naſonis Commentarius poeticus, (*p*) denique varii generis Emblemata & cantiunculæ, aut ingenii cauſa, aut pro amicis, compoſitæ. (*q*) In quibus cum nihil ſit, de quo non magna omnia nos judicare illuſtris ejus Autor jubeat; facile hinc intelligimus, quantam ab eruditis gratiam ſit initurus, ſi cui, unum horum aut alterum ſordidiſſimis aliquando tenebris protrahere, purgatumque vetuſtatis mucore, in priſtinam reſtituere elegantiam, contigerit.

(*a*) Cum in varias, easque nobiliſſimas, Europæ Bibliothecas ſcripta POLITIANI, poſt mortem ejus, plurima translata ſint, ut ex his, quæ deinde dicentur, unusquisque facile intelliget; tum præ cete-

ceteris præclara hæc cimelia servant Florentiæ *Martiana* & *Medicæa* Bibliothecæ, utraque hoc, dignior tanto deposito, quo suaviorem olim POLITIANO suo secessum præbuerat. Habuere enim in *Medicæa* maxime Bibliotheca Musæ POLITIANI continuum suum velut domicilium, unde egregia ipsis studiorum instrumenta & subsidia venere. Ea de re supra *Sect. I* dictum copiosius. Hinc facile credas, vel ipso annuente POLITIANO factum, ut iis in locis, unde venerant primum, reposita sint doctrinæ illius ingeniique monumenta selectissima. Firmat hanc conjecturam FRANC. ROBORTELLUS, qui, eorum librorum, quibus usus est POLITIANUS, multos asservari in illustrissimis his Bibliothecis, diserte testatur in libro *de Arte corrigendi: Quanta, obsecro, fides in Politiano, cujus intueri licet adhuc Florentiæ in Medicæa & Martiana Bibliothecis MStos libros; ubi publice asservantur, quibus usus est.* Mittit & PETR. CRINITUS nonnulla ALEXANDRO SARTIO in *Epist. ad* eundem, *Lib. XII Epp.* POL. *Ep. 22*, quæ *ex Medicæa Bibliotheca inter Politiani libros inventa* ait. In his *Prælectiones* nominat, sed quæ postea a SARTIO cum aliis POLITIANI scriptis junctim sunt editæ. Præcipue vero ad ea, quæ lucem adhuc publicam expectant, pertinent *Carmina* POLITIANI vernacula, quorum insignem copiam, dignam forte, quæ in lucem aliquando publicam exeat, custodiri adhuc in *Medicæa* Bibliotheca, jam supra CRESCIMBENII testimonio docuimus Lectorem.

(*b*) De Latina *Homeri* interpretatione poetica bis commemoravimus *Sect. I. §. III. not. (s)* & *§. X. not. (n)*, idque tam copiose, ut jam, quod addi his possit, supersit nihil. Saltem, quod hujus loci est, moneo, non exstare hujus laboris ullum hoc tempore vestigium, nec dubium videri, quin commune jam dudum rerum humanarum fatum sit expertus. CLAUSIO tamen in *Vita Politiani Cap. XXIV. p. 48* si fides habenda, tale quid olim in Bibliotheca sua FRANC. HESSELIUS, in Roterodamensi Athenæo Historiarum & Eloquentiæ Professor, servavit. At, cum ille petitam sibi hanc notitiam tradat ex HESSELII *ad Ennii Fragmenta Notis*, quales, quod mihi constat, prodiere nunquam, nec in HESSELIANA editione *Ennii*, *A. 1707* vulgata, additisque ei HIER. COLUMNÆ & aliorum *Notis*, tale quidquam commemoretur, hinc

hinc, donec certiora aliunde nobis liceat cognoſcere, ea de re merito nos dubitamus.

(c) Differunt hæ *Naturales Quæſtiones* a *Naturalibus Problematibus* ALEXANDRI, quorum Latinam interpretationem exſtare in *Operibus* POLITIANI, omnibus eſt notum. Græce inſcriptæ ſunt hæ *Quæſtiones:* Φυσικῶν σχολίων ἀπορίων καὶ λύσεων βιβλία, δ. Latine igitur diceres *Phyſicorum ſcholiorum per dubitationes & ſolutiones Libros quatuor.* Sed compendiis verborum ſtudens POLITIANUS, contracte *Quæſtiones naturales* dixit. Uſus eſt hac loquendi ratione in *Miſcellan. Cap. I,* ubi nexus verborum docet, non alium POLITIANO, quam illum *Scholiorum,* librum intelligi; id quod obſervavit etiam JO. ALB. FABRICIUS in *Biblioth. Græc. T. IV. Lib. IV. Cap. 25. p. 72.* Eundem *Quæſtionum naturalium* librum, ſi non integrum, ex parte tamen, a ſe Latine redditum, POLITIANUS docet in Epiſtola ad HIERON. DONATUM, *Lib. II. Ep. 13*, ubi ita ille: *Equidem nonnullas Alexandri hujus peracutas in Philoſophia Quæſtiones anno jam tum ſuperiore Latinas feci.* Scripta eſt Epiſtola anno 1490; unde patet, laborem hunc ſuſceptum a POLITIANO A. 1489. Quod ſi ita eſt, vel hoc ipſo argumento manifeſtum evadit, diverſam eſſe hanc interpretationem ab illa *Quæſtionum naturalium*, quippe quam perfectam a POLITIANO anno jam 1477, aut circa ſubſequentis initia, diximus *§. antec.* Recte igitur JAC. PHILIPPUS BERGOMENSIS in *Supplem. Supplementi Chronic. p. 435: Vertit Alexandri Aphrodiſii Quæſtionum libros quatuor, itemque Problemata ejusdem Alexandri* &c. niſi forte dubitandum putes, an univerſum *quatuor Librorum* Opus verterit POLITIANUS. Minime quidem POLITIANI id verba docent, qui nonnullarum ſaltem *Quæſtionum* mentionem facit; nec aliunde de hoc POLITIANI labore quidquam conſtat. Quo Scriptorum ſilentio eo adducor, ut, periiſſe libellum hunc, luce digniſſimum, aut certe, inſcio orbe erudito, injuſtis Bibliothecarum vinculis detineri, ſuſpicer. Utrumque vero damnoſum & prorſus fatale accidiſſe literis, quis eſt, qui non intelligat?

(d) Fuiſſe & *Aphoriſmos* HIPPOCRATIS, cum *Commentariis* GALENI, laudabili inſtituto, in Latinum translatos a POLITIANO,

TIANO, & JACOBI PHILIPPI BERGOMENSIS in *Supplem. Supplementi Chron. p. 435*, & præ ceteris PETRI CRINITI in Epiſtola ad JO. FRANC. PICUM, Mirandulanum, adjecta POLITIANI interpretationi *Problematum* ALEXANDRI, teſtimonio conſtat. Et CRINITUS quidem, ejus laboris tantum partem inventam in ſchedis ANGELI, nos docet, ſed eam ita comparatam dicit, ut, plurimum POLITIANO in hoc Opere laboris ſtudiique poſitum fuiſſe, hinc appareat. *Jam nec illud*, inquit, *humaniſſime Princeps, omiſerim, quod Oracula quoque ex Hippocrate, cum Claudii Galeni Commentariis (ita enim τὰς ἀφορισμὰς appellabat,) Latini homines legerent. Nam & pars adhuc aliqua exſtat, ac plurimum in ea re laboris & vigiliarum, quod is olim mihi referebat, exhauſit. Sed hunc laborem quidam e charis ſuppleruunt.* Ex his colligas, perficiendo publicandoque huic libro operam navaſſe quosdam ex amicis POLITIANI; quam cur poſtea dimiſerint curam, (nuſquam enim tale quid vulgatum legimus,) cauſam ego non aſſequor. Nam, ſi plurimum, quod ait CRINITUS, *laboris* POLITIANUS *& vigiliarum ea in re exhauſit*, facile hinc exiſtimari poteſt, quam id ex commodo rei literariæ accidiſſet, ſi Scriptoris in arte medica principis interpretationi tam limatæ, tamque diligenter confectæ, venire in manus hominum doctorum contigiſſet. Dolemus igitur operis præſtantiſſimi, ſi id periit, jacturam, ſi Bibliothecarum tenebris ſepultum jacet, ſiniſtrum fatum; utque egregio huic ingenii tam excellentis monumento inter nos verſari liceat in poſterum, per ipſam literarum & artis medicæ dignitatem vehementer optamus. Illud miror, a POLITIANO laboris hujus, cui tantum ſtudii impenderat, ne verbo quidem in ſcriptis ſuis mentionem injectam.

(*e*) Librum XENOPHONTIS, *de memorabilibus Socratis*, unus eſt JAC. PHIL. BERGOMENSIS, qui e Græco in Latinum translatum a POLITIANO doceat. Vid. ejus *Supplem. Suppl. Chronic. p. 435.* Intelligit ſine dubio librum XENOPHONTIS, quem is inſcripſit Ἀπομνημονευμάτων Σωκράτους βιβλία δ, quemque imitaturus ARRIANUS, Nicomedienſis, ſcripſit *Libros quatuor* Ἀπομνημονευμάτων Ἐπικτήτου. In hoc libro Latine vertendo deſudarunt, quod conſtat, BESSARION,

Cardinalis, & JO. LEUNCLAVIUS; de POLITIANI interpretatione altum eſt Scriptorum ſilentium. Itaque ſit fides ejus rei penes BERGOMENSEM, quem alioquin vera ſcripſiſſe de POLITIANO, animadvertiſſe nobis videmur. Quicquid ejus rei ſit, id certum eſt, prodiiſſe nunquam librum, addo, in eorum numero habendum, quos prodituros unquam, tenuis valde ſpes eſt.

(*f*) *Orationis* DEMOSTHENEÆ, cui titulus: Συμβουλευτικὸς, ἤτοι ὁ περὶ τῆς συντάξεως, interpretationem Latinam, a POLITIANO adornatam, memorat PHIL. LABBÆUS in *Nova Bibliotheca MStorum Librorum Suppl. X. p. 372*, ubi, communicatum ſecum, refert, ab ISAACO HERALDO, DESIDERII filio, Catalogum librorum aliquot MStorum, quos, ex Anglia in urbem Pariſienſem jam pridem translatos, comparaverit ſibi A. 1652 Nobilis quidam Germanus, ſed cujus hic tacetur nomen. In his, præter alia POLITIANI, de quibus paulo poſt, fuit *Codex* hujus *Orationis* (verbis LABBÆI utimur,) *elegantiſſima manu exaratus, cum interpretatione Politiani, ejusdemque notis perquam eruditis, in quibus pleraque Demoſthenis, & aliorum Scriptorum, loca emendata ſunt & illuſtrata.* Præclarum & dignum luce opus, ſi tale re vera fuit, quale nobis commendatur a LABBÆO. Quo magis gratulamur Germaniæ noſtræ, quam præſtantiſſimo hoc munere locupletavit generoſa civis ſui liberalitas. Sed, cum ab illo inde tempore, quo hæc ſunt invecta in Germaniam, (ſi quidem invecta ſunt a Germano illo,) fere ſeculum effluxerit, nec intra hoc tempus quisquam noſtrorum hominum hæc viſa ſibi teſtetur, multum timemus, ne quid mali his interea acciderit, aut in manus iſtarum rerum parum curioſas pervenerint, unde evadendi vix unquam ſe offerat occaſio. Quid vero lætius contingere bonis Muſis poſſet, quam ſi nihil tale expectantium oculos illuſtre hoc DEMOSTHENEÆ POLITIANEÆque eloquentiæ aliquando monumentum paſceret?

(*g*) *Miſcellaneorum* POLITIANI *Centuria* jam, quod omnes norunt, non niſi una exſtat. Harum tamen plures animo conceperat Noſter, edidiſſetque ſine dubio, ſi per fata licuiſſet. Quicquid enim ipſe in veteres Autores, tam Græcos, quam Latinos,

nos, Annotationum collegerat, in has cogere *Centurias*, & Capita ſingula ſingulis animadverſionibus implere, deſtinaverat. Quarum cum ipſi, in his rebus diligentiſſimo, magna copia ſuppeteret, haud dubie, ſi annos aliquot vixiſſet, intra breve tempus *Centuriam alteram*, forſan & *tertiam*, in aciem eduxiſſet. Patet id quodammodo ex his, quæ ſub initium *Præfationis Miſcellaneorum* profert: *Cum tibi ſuperioribus diebus, Laurenti Medices, noſtra hæc Miſcellanea inter equitandum recitaremus, delectatus, arbitror, novitate ipſa rerum, & varietate non illepida lectionis, hortari cœpiſti nos, ut unam ſaltem ex eis Centuriam* (*nam centenis libri ſinguli Capitibus explicantur,*) *publicaremus.* Inde factum, ut, quæ legitur jam publice, *Centuriam primam* inſcripſerit Noſter, huic, ſi viveret, *alteram tertiam*que additurus. Et, quod ad *alteram* quidem, hanc prorſus abſolutam a POLITIANO, ex verbis CRINITI diſcas in *Ep. ad* ALEX. SARTIUM, *Lib. XII. Epp.* POLIT. *Ep. 21: Dixi alias tecum, quemadmodum Politianus alteram centuriam abſolverat, quod ab eo, te prope hortante, factum eſt, qui tantopere ſuis favebas laboribus.* Sed interceptum eſt publicandi conſilium morte viri; ceſſitque tunc præſtantiſſima hæc & auro omni carior ſupellex, cum aliis POLITIANI ſchedis, in prædam hominum aut invidorum, aut ex alieno labore gloriam quærentium. Vehementer indignatur ignobili huic hominum generi PETRUS CRINITUS *Lib. XI. de Honeſta diſciplina Cap. 13. p. m. 187*, ubi ita: *De hoc a Politiano relatum eſt & in ſecunda Centuria, ſed ejus Commentarii magna ex parte ab his retinentur atque occultantur, qui meliores literas & antiquitatem impudentiſſime contemnunt.* Idem in Epiſtola ad SARTIUM, modo allegata: *Dequeri nunc boni juvenes poſſunt, quod hoc publicum munus quidam privati juris fecerunt; in eorumque manus devenerit, qui aut talia non agnoſcunt, aut, ſi agnoſcunt, diſſimulant.* Et paulo poſt: *Ego, dum ſingula reſpicio, dum ex ipſa ſtellographia majora quædam, quam antea, concipio, vix me comprimo, vix retineo, quin ſtudioſos nunc omnes adhorter, ut milite collecto Fidentinos in iſtos & plagiarios impetum faciant.* Jungo his querelas ALDI MANUTII in *Præfat. Operum* POLITIANI: *Utinam & ſecundam Centuri-*

turiam Miscellaneorum, — — & alia quamplurima, ex quibus vel centum facere Centurias potuisset, habuissemus. Prodiissent & illa in publicum, profutura hominibus, quæ, ut audio, quidam Florentiæ occultant, ut edant pro suis, sed stulte quidem. Nam id profecerint, ut, si quid ipse unquam dignum scitu invenerint, ediderintque, magis Politiani, quam eorum, esse, docti omnes, qui suppressa quam plurima Politiani esse opera a quibusdam, quos alienis pennis se valere nihil pudet, obnixe contendent. Qui fuerint latrones illi literarii, vix divinatione assequare; fuisse tamen viros dignitate illustres, & prorsus BARTHOLOMÆO SCALÆ similes, facile ex illis CRINITI in *Epist. cit.* conjicias: *Erit satius aliquam velut notam retexere, ut ex iis & rerum jactura consideretur, ac furta quorundam deprehendi facilius possint, si hæc aliquando, qui togati obambulant, pro suis deproment.* Eorum ut perversis consiliis obicem poneret CRINITUS, nec auderet alienis plumis ornatus rapax aliquis vultur prodire, binis ipse *Epistolis*, ad seram posteritatem venturis, ALEXANDRO SARTIO, & suo, & POLITIANI, amico, summa *Centuriæ secundæ* argumenta, aut ex schedis POLITIANI collecta, aut olim ex ipsius ore accepta, indicavit, auctorque, ut videtur, exstitit eidem SARTIO, ut ipsis POLITIANI scriptis adjunctas has *Epistolas*, venire in notitiam eorum omnium, qui famæ POLITIANI bene cuperent, juberet. *Futurum* enim putabat, (sunt verba ejus in altera Epistolarum) *ut ex rerum saltem indiciis facilius istis plagiariis pudor imponeretur, si quando talia pro suis sint edituri.* Habes utramque *Libro XII Epistolarum* POLITIANI, abunde, quam lachrymabilem hoc opere jacturam fecerint literæ, testantem. Enodaverat hic POLITIANUS impeditissima veterum Autorum, maxime Latinorum, & in his PLINII & SUETONII, loca, hisque, Manuscriptorum partim codicum, partim criticæ interpretationis, ope, lucem accendit clarissimam. Præterea in ipsis Juris civilis, & veterum Philosophorum, libris quædam parum ceteris intellecta annotaverat. Rem gratam his, qui rei literariæ sunt studiosi, facturus videor, si ipsa rerum argumenta, a POLITIANO pertractata, prout a CRINITO

per

per compendium indicantur, hic brevissimis subjecero. Ita nempe CRINITUS in *Epistola priori: Inter cetera, quæ in Centuriam secundam retulerat, hæc olim mecum Politianus, cum ad Arni forte præripia ageremus: de Thalamego navi; Trechedipna veste; Callimachi æthiis; sed & de Poeta Dorsenno; de Amabæo versu; de Caprotinis; de nodo Herculeo. Ceterum, ut ingenio fuit parato, memoriaque ad cuncta expromta, aliatum permulta commemoravit. Sed illud inprimis scito, quod, quæ in Suetonio quidem Tranquillo, Plinioque, ac nostris, habentur, secus multa exposuit. Jam & locos ex Jure Civili multos, præteraeque ex ipsis Philosophiæ agris quæpiam, parum ceteris intellecta, annotaverat. — — — Hæc igitur Politiani manu inter exchartabula quædam deprehendimus, quæ & noster Fabianus cum legit, injuriam factam Politiani manibus non ferendam inclamavit. Subjiciam autem, ut in pagella erant, ad hunc modum. Capita Centuriæ secundæ. De divinatione, Stratocles, Sybotes, Mansuetiores, Manupretium, Osiris, Erinna, Oculatissimus, Flaccus, umbræ, Pausanias: pro Plinio contra reprehensores, castratio, Poliphemus, quadrupes nodus apud Terentium, decussare, Cresphontes, Taras apud Statium, sororiantes mammæ*, (de hoc argumento *Centuriæ secundæ* idem CRINITUS mentionem facit *Lib. XI. de Hon. discipl. Cap. 13. p. m. 187,) Phrine meretrix. Et hæc, Alexander, aliaque permulta, a Politiano in secunda Centuria explicata sunt.* His eadem in Epistola CRINITUS unius alteriusque pleniorem explicationem addit, ostendens ex adversariis POLITIANI, quæ fuerit ejus de *Thalamego navi, Trechedipna veste, æthiis Callimachi, Dorsenno, poeta*, & *Nonis Caprotinis*, sententia. Sub finem *Epistolæ* nos docet, etiam de *Amystide Threicia Horatii* actum a POLITIANO, nec non de *Pytismate Juvenalis* novam ab eo sententiam propositam, diversam ab ea, quam in *Centuria prima* defenderat. In *altera Epistola* telam, paulo ante cœptam, pertexit, proferens reliqua, quæ in promtu ipsi fuerant, *Centuriæ secundæ* argumenta. Ita enim hic pergit: *Subjiciam ex Politiani autographis, quæ multi etiam e charis legerunt. Hæc igitur sunt: de periochis Terentianis; de Pygmea matre apud Ovidium; de Lyde Antimachi; de servis orcinis;*

cinis; quid diribitorium; quid Augusti clavis; quid tintinnabulum & pædagogia, quæ apud Suetonium contra reliquorum sententiam explicaverat. Ita enim ipse Politianus mihi retulit, atque illi hoc itidem sciunt, qui pudore sequestrato seclusa hæc domi detinent. Istud autem teneo, quod & verbum hoc, quod est novissimum, contra Gellii sententiam apud Tullium observarat. — — Sed ad Politianum redeo; is apud Terentium observavit, argumenta illa, quæ senariis constant, ac initio fabularum apponuntur, haudquaquam esse poetæ Terentii, ut multis fere persuasum, sed Apollinaris Sulpicii. Supersedemus reliqua huc transscribere, in quibus, quid de *Pygmea matre Ovidii*, quid *de Lyde Antimachi*, commentatus sit Noster, copiose exponitur. Habes nomina & titulos argumentorum; sed quorum, nisi memoriam, nihil ad nos pervenire, in fatis fuit. Quis vero non multa alia illius temporis, quam unam hanc *Centuriam*, periisse malit, inprimis cum vel ex *prima Centuria* pateat, quam feliciter POLITIANO successerit emendandi Autores veteres negotium, quam paratum ei ad conjecturas criticas ingenium, quam reclusa omnium Autorum intima penetralia fuerint.

(*h*) Cum nullus fere sit Autorum veterum, Latinorum maxime, cui non illustrando operam navaverit POLITIANUS; tum in his præ ceteris industriam ejus exercuit P. STATIUS, Poetarum veterum nobilissimus, in quem & auditoribus suis *Annotationes* publice prælegit, & MSto Codici breviora *scholia* adscripsit, & privata industria *Commentarios* amplissimos conscripsit. Et, quod ea quidem attinet, quæ publice coram juventute Florentina prælegit, sunt hæc ab auditoribus ejus calamo excepta, &, inscio, forsan & invito, POLITIANO, venditata publice. In ea forte fortuna incidisse se scribit TYDEUS ACCIARINUS in *Epistola ad* POLITIANUM, *Lib. VII. Epp.* POL. *Ep. 3*, &, an suum agnoscat hunc partum, ex Nostro quærit. *Inciderunt*, ait, *in manus nostras veluti mutilata ramenta quædam interpretationum tuarum in Papinii Sylvas, quibus aut intacta a Domitio explicas, aut explicata ab eo meliora reddis, Angele, vir eruditissime. Hæc ego diligentissime pensitata, non potui non vehementer probare, sumque coactus & ingenium tuum suspicere, & doctrinam singularem tuam mirificis laudibus persequi.*

ſequi. Non æque honorifice ipſe de his POLITIANUS ſentit, nec aliquod in his ſtudium ſuum agnoſcit. Reſpondet enim in Epiſtola illam ſubſequenti : *De interpretationibus noſtris, quas ais, in Papinii Sylvas, caſu quodam perveniſſe ad te, ſic habeto, neque dictatas fuiſſe a nobis, neque compoſitas. Studioſus forſan eas aliquis, enarrante me, (qua licuit) orationis curſum calamo ſubſecutus, exceperit.* Nec fefellit tunc POLITIANUM conjectura; quandoquidem poſtea apparuit, fuiſſe hæc, quorum mentionem fecerat ACCIARINUS, notata olim in ſcholis POLITIANI a FRANCISCO PUCCIO, ejus diſcipulo, unde, neſcio quo fato, in manus TYDEI, forſan & aliorum, venerint. Cognoſcimus hæc ex Epiſtola ANGELI ad PHIL. BEROALDUM, *Lib. VI. Ep. 1*, in qua de pretio harum *Annotationum* multo, quam ante, benignius: *His (ut arbitror) longe ſunt & plura, & meliora, quæ quarto decimo fere abhinc anno nobis, easdem publice Sylvulas enarrantibus, excepta ſunt. In quæ ſe diu jam caſu incidiſſe, vir admodum literatus, Tydeus Acciarinus, quo Conſentiæ tempore profitebatur, eleganti nobis Epiſtola ſignificavit. Nactus autem fuerat, ut mihi poſtea renuntiatum eſt, quæ Franciſcus Puccius, Florentinus, collegiſſet, auditor ille quidem noſter olim,* &c. Puto, ex harum *Annotationum* genere eam eſſe, quam in *Sylvulæ* primæ verſum protulit Noſter *Miſcellan. Cap. LXV;* de ceteris quid actum ſit, & quorſum illæ pervenerint poſtea, non eſt, unde poſſis cognoſcere. Diſcrepant ab his aliæ, quas margini Codicis domeſtici adſcripſerat Noſter, multo illis breviores, nec eandem lucernam olentes, ſed ad id unice comparatæ, ut DOMITII CALDERINI, magnum illa tempeſtate inter Criticos nomen occupantis, in STATIO interpretando oſcitantia & inſcitia notaretur. Contigit & his ipſis longe lateque circumferri per Italiam, non conſilio POLITIANI, ſed clandeſtino familiaris cujusdam furto, qui hæc ſubducta POLITIANO, tanquam ex ejus avtographo transſcripta, obvio cuique commendaverat. Venit id hominis Bononiam, ubi venalem obtulit hanc mercem viris ejus civitatis doctiſſimis, id ſuum putantibus, ut ea de re certiorem per literas POLITIANUM facerent. Is, non parum commotus hoc nuntio, ſcribit ad PHIL. BEROALDUM, *Lib. VI. Ep. 1:*

Certio-

Certiorem me per literas jam diu multi fecerunt, venisse istuc ad vos quendam, qui nostras Annotationes venditet in Statii Sylvulas, easque se jactet ex nostris avtographis descripsisse. Puto esse autem, non quas, me prælegente, studiosi exceperunt, sed quas ego adolescens, vivente adhuc Domitio, marginibus domestici codicis adscripseram: videlicet offensus jam tum, quod multa ille jam tum parum perspecte prodidisset, quæ fere omnes tamen quasi cœlitus demissa mirabantur. — — — Fere autem sunt hactenus, quæ notavimus adolescentes in libri nostri margine, quibus iste nos homo nimium familiaris circumduxit. — — Itaque nihil institor ille vester aut magnum circumfert, aut novum, — — Tu, — ubi res tulerit, imponas (quæso) plagiariis pudorem. Ne vero, cujus generis fuerint *Annotationes* istæ, ignoraret quisquam, nec aliena a mente ipsius venditarentur publice, harum summa argumenta ipse POLITIANUS eadem, quam modo dixi, ad BEROALDUM Epistola complexus est, obviam iturus ita obtrectationibus aliorum, si qui forte, injuriam factam DOMITIO, nec satis dextre explicata Poetæ carmina, clamitaverint. *Visum est*, inquit, *Annotationes istas, qualescunque sint, his ad te literis, quasi quibusdam characteribus, insignire, ne vel aliena forte mihi tribuantur, vel propria subripiantur. Scribere autem ad te potissimum libuit, ut major in teste foret autoritas: præsertim quoniam vulgari ista primum Bononiæ cœpta sunt, qua tu in civitate jure tuo principem locum tenes inter nostri ordinis Professores.* Supersunt igitur hæc *Annotationum* quasi lemmata; de *Annotationibus* ipsis, perierintne cum aliis POLITIANI schedis an Bononiæ forsan lateant, hoc tempore nihil constat. Editas fuisse Bononiæ a latrone illo literario, putant Autores Diarii *Histoire crit. de la Rep. des lettr. T. III. p. 252*, sed nihil hujusmodi docet, unde omnem hujus rei illi hauserant notitiam, Epistola POLITIANI. Quin, si legas PHILIPPI BEROALDI ad POLITIANUM literas, *Lib. VI. Epp.* POL. *Ep. 2*, dubitare possis, an sint *Annotationes* ejusmodi venditatæ unquam Bononiæ. Ita enim PHILIPPUS: *Quod scribis, nescio quem perinde ac fugitivum istinc huc migrasse, tuasque, vel potius sub nomine tuo, Annotationes in Sylvulas Statii venditare: quis hic sit, haud equi-*

quidem novi, neque quispiam est hac nota notabilis: nemo prorsus apud nos visitur, qui aliquid invulget, aut nomini tuo obfuturum, aut eruditioni derogaturum. Annotatiunculæ autem illæ tuæ breves, & concisæ, quas ad me dedisti, quibus subnotantur magis, quam explicantur, loca reconditiora Sylvularum adversus Domitii interpretamenta, effecerunt, ut Sylvulas veluti in transcursu legerem. Jamque & ipse in sententiam tuam non tam pedibus eo, quam assensu literario. Nihil potest esse verius, nihil pensitatius. Inprimis vero dolendum, non in lucem exiisse amplissimos illos, & omni posteritate dignissimos, *in Statium Commentarios,* quos prelo habere se paratos, ipse scribit POLITIANUS in *Ep. cit. ad* BEROALDUM: *Vides, ut notavi locos, non explicavi. Sane, quoniam Commentarios non faciebam, sed epistolam, quæ meo quasi pecori notas inureret, mox, ut spero, Commentarios quoque in easdem Sylvas publicaturus, brevissimas illas quidem, sed tamen prorsus (ut Plautinum verbum pene amissum revocetur) amussitatas.* Scripsit hæc paucis ante mortem mensibus, ipsis *Calendis Aprilibus anni 1494,* ut mirum non sit, cur fidem publice datam non servaverit POLITIANUS. Horum jacturam *Commentariorum* multum dolet assiduus ille POLITIANEÆ doctrinæ admirator, CASP. BARTHIUS, in *Animadvers. ad Præfat. Sylv. Statii p. 8. Vellem,* inquit, *haberemus Politiani Commentaria.* Similia sunt vota ALDI MANUTII in *Præf. Operum* POLITIANI: *Utinam & — — in Statium — — ingeniosas & doctas Annotationes habuissemus.* Jam vero, sicubi latent literaria hæc cimelia, illinc ut prodeant tandem in eruditorum, quibus curæ sunt humaniores literæ, insigne commodum, serio vehementerque nos optamus.

(i) De libro hoc, quem, si scriptus est re vera a POLITIANO, omnium maxime publicatum vellem literarum causa, nihil habeo, quod dicam, nisi in scriptis POLITIANI numerari hunc a JO. TRITHEMIO in *Catal. Script. Eccles. p. 166. B,* nec non P. ANGELO ROCCHA A CAMERINO in limine *Bibliothecæ Apostolicæ Vaticanæ, Romæ A. 1591* editæ, & P. JULIO NEGRI in *Istoria degli Scritt. Fior. p. 46.* Neque ab his memoratur tantum, sed ita etiam memoratur, liber, ut in editis ponendus videatur. Tantum mihi de Opere, si argumen-

Iiii tum

tum ſpectes, nobili & erudito, conſtat; alia, ſi potes, aliunde diſcas. Mihi, POLITIANI mei cauſa tot Scriptorum monumenta perveſtiganti, nunquam hujus libri, quantumvis memoratu digni, animadvertere me veſtigium memini. Nec eſt, quod ipſa POLITIANI, aut æqualium ejus, ſcripta te doceant. Itaque parum abeſt, quin hic agnoſcam errorem TRITHEMII, communicatum deinde cum ROCCHA & NEGRIO. Neque tamen me fugit, quam ſit difficile, in his rebus accuſatorem agere. Putarem, librum *Miſcellaneorum* intelligi TRITHEMIO, niſi eodem in loco, quo operis *de erroribus Latinæ linguæ* mentionem facit, *Centuriam* is *Miſcellaneorum* nominaret; quod idem a ROCCHA & NEGRIO factum. Quodſi vero, an ſcriptus ſit unquam liber talis, dubitamus; quanto minus editum putabimus, tacentibus & MATTARIO, &, qui librorum indices nobis dederunt, aliis omnibus!

(k) Unus eſt, qui horum mentionem faciat, hosque cum interpretatione THEODORI GAZÆ editos a POLITIANO dicat, JAC. PHILIPPUS BERGOMENSIS in *Suppl. Supplem. Chronic. p. 435. Commentarios*, inquit, *in Ariſtotelem de Animalibus, notasque interpretationes Theodori Gazæ, edidit.* Cui an ſit ea in re habenda fides, aliquantum dubito. Nam, quod editos dicit hos *Commentarios*, id qui perſuadere nobis poſſit, cum nec FABRICIUS in *Bibliotheca Græca*, nec MATTARIUS in *Annalibus Typographicis*, nec ſi quis eſt alius librorum ſolers inveſtigator, proferant editionem? Magis dubiam rem facit error ille alter, quo THEODORI GAZÆ *interpretationes Hiſtoriæ Ariſtotelicæ de animalibus* primum editas a POLITIANO tradit. Ut taceam enim, hunc honorem vix habiturum fuiſſe ANGELUM ei operi, cujus furta multa accuſantem legimus *Miſcellan. Cap. XC;* certius longe conſtat, hanc editæ *interpretationis* gloriam deberi LUDOVICO PODOCATHARO, Cyprio, *Hiſtoriæ patriæ* ſcriptori. Prodiit enim primum, ut FABRICIUS teſtatur in *Bibl. Græc. T. II. p. 134*, id operis *Venetiis A. 1476, fol.* cujus editionis rubrum nobis exhibet MATTARIUS in *Ann. typ. T. I. p. 366 ed. nov.*: ARISTOTELIS *de Animalibus libri: Latine, Theodoro Gaza interprete; quos Ludovicus Podocatharus, Cyprius, ex archetypo ipſius Theo-*

Theodori fideliter & diligenter auscultavit, & formulis imprimi curavit; per Joannem de Colonia, sociumque ejus, Joannem Manthea de Gherretzen. Altum hic de POLITIANO silentium; quo fit, ut ab errore vix dici immunis possit BERGOMENSIS ille. Forsan æque comparatum cum *Commentariis in Aristotelem;* certe, quoquo te vertas in POLITIANI sive *Miscellaneis*, sive scriptis reliquis, nusquam *Annotationum in Historiam animalium* quidquam legas. Si quid tamen exstet ejus generis scriptorum, (neque enim id affirmare certo, nec negare, ausim,) nemo non intelligit, quanto cum literarum Græcarum damno, præstantissimo hoc superioris ævi monumento careamus.

(l) De *Oratione Ulyssis ad Achillem*, non esset, quod memorari posset, nisi in scriptis POLITIANI numerari eam viderem JOSIÆ SIMLERO in *Accessionibus ad Biblioth. Gesneri p. m. 52.* Sed is opellæ hujus non nisi nomen nobis indicat, nec simul, unde ejus sibi comparaverit notitiam, Italicane, an Latina, prosa, an vorsa, oratioue sit composita, nos docet. A nobis igitur, nolim, plura expectes. Nec conjecturis hic locus, utpote in re tam vaga, ubi divinandum magis sit, quam conjectandum. Ex SIMLERO id operis proferunt ANT. TEISSIERUS in *Elog. des hommes sav. T. I. p. 168*, & BERN. DE LA MONNOYE in *Memoires de Literat. T. I. p. 250*, sed qui de ejus indole aut pretio ne verbum quidem addunt. Et eorum postremus quidem, cum *Orationi* huic locum dandum in nova, si qua usquam preditura sit, *Operum* POLITIANI Collectione suadeat, præclare sine dubio fecisset, si, unde hoc peti possit, simul indicasset Editori *Operum* futuro.

(m) Scriptum esse hoc Carmen a POLITIANO, certius constat, quam quid fati expertum sit, quasve in terras migraverit. Recitavit id olim Noster anno circiter 1483 coram HIERON. DONATO & HERMOLAO BARBARO, admirantibus elegantiam & venustatem Carminis. Ejus rei certissimus testis est ipse DONATUS in *Epistola* ad ANGELUM, *Lib. II. Epp.* POL. *Ep. 11*: *Meminisse te suspicor, fere enim quinquennium agitur,* (scripta est Epistola A. 1488,) *cum apud nos versabaris, te Hermolao, ac mihi, tunc parentis & patrui morte squallido, ac pullato, Carmen illud aureum de sacrilega ac sanguinaria Juliani cæde recitasse. Ex quo nunquam apud me eruditorum hominum mentio facta est, quin mihi ex omnibus primus occurreres,*

reres. Non hinc discas, vernaculo, an Latino, sermone sit compositum; puto tamen, Latino: quod, dimisso hoc Carmine, statim *Rustici* mentionem faciat DONATUS. Nihil de eo nec POLITIANUS ipse, nec illius ætatis scriptores alii. Nam, quæ scripta a POLITIANO exstat *Conjurationis Pactianæ historia*, prosæ orationis opus est, nec quidquam carminis admixtum habet, præter tria *in Salviatum* Epigrammata, quæ minime habent justi carminis mensuram. Perieritne igitur præstabile hoc opus, an in Medicæa forsan Bibliotheca asservetur, hariolando non assequimur. Quodsi *aureum* dici meruit DONATO; per se patet, dignissimum fuisse, quod cum reliquis Poetæ nostri Carminibus in lucem conspectumque publicum veniret.

(*n*) Refert HENR. BRENCMANNUS in *Hist. Pandect. Lib. IV. Cap. I. p. 308*, in *Catalogo* MSto Bibliothecæ Gaddianæ, quæ est gens in Florentinis nobilissima, relatum se vidisse inter Poetas *formæ majoris (fol.)* POLITIANI *Carmen de Diis gentilium*, opus tamen ipsum invenire non potuisse. Dolemus sortem viri boni, cui si propius inspicere libellum ipsum licuisset, haberemus nos forte, quæ de argumento pretiove operis proferre in commune possemus. Jam horum ignari nos esse jubemur, usque dum, quod BRENCMANNO non licuit, alius quispiam sive peregrinator doctus, sive civis Italus, nos doceat. Ab ipso JACOBO GADDIO, qui diligentissime agit de Politiano in opere *de Scriptoribus non Ecclesiasticis*, miror nullam hujus Carminis mentionem factam, ut hinc, si nihil aliud, certe illud videatur posse colligi, exstincto demum GADDIO id Carminis in Bibliothecam GADDIANAM translatum; quæ ipsa est conjectura HENR. BRENCMANNI in *priori ad Cornelium van Bynckerboek Epistola MSta.*

(*o*) Nominat *Carmina, in universam gentem Medicæam* tam vernaculo, quam Latino, sermone scripta a POLITIANO, FRANC. VINTHA in *Elegia in Medicææ domus & Angeli Politiani laudem, ad Joannem Mariam Paulotium*, quam legis in *Carminibus quinque Hetruscorum Poetarum, Florentiæ A. 1562* editis, *p. 34*, ubi ita:

Perdocte tamen Hetruscis, rhythmisque Latinis,
Jam pridem hos cecinit Politianus avos.
Atque adeo ornate, ut vates laudarit uterque,
Admirans illum sedibus Elysiis.

Qui

Qui, nisi vernaculum illud *in equestres Juliani ludos* Carmen, & breviora nonnulla *in Laurentium Epigrammata* Latina, in libro *Carminum* ejus obvia, intelligat, quod ipsum non videtur verosimile legenti *Elegiam* VINTHÆ integram, in qua non LAURENTIUS tantum, aut JULIANUS, sed illustrissimi quique Medicææ gentis heroes, nominantur, ignota nobis, nec ulli alii Scriptorum memorata, Carmina intelligit.

(*p*) Quid hoc Carminis? dices; carmen carmine expressit, vastæ molis opus majore *Commentario*, eoque poetico, illustravit ANGELUS? Fateor, rem mihi ipsi miram videri & singularem, nec, quid hoc sit operis, satis intelligi. Non dubitandum tamen, tale quid scriptum a POLITIANO; quandoquidem in promtu est testimonium hominis POLITIANO amicissimi, eidemque æqualis, MICHAELIS VERINI, cui non nominatur tantum, sed vehementer etiam laudatur, hoc Carmen in Epistola ad PETRUM MEDICEM, cujus partem profert JAC. GADDIUS in operis *de Scriptor. non Eccles. T. II. p. 136.* Dabo integra GADDII verba, Lector, unde appareat, jam ante nos plures hujus operis notitia fuisse destitutos. *Politiani*, inquit, *opus, a me non visum, laudat magni judicii adolescens, Michael Verinus, Epistola Petro Medici, Laurentii filio, cujus dimidium non piget exscribere: Non sine magna voluptate, vel potius admiratione, Politiani tui poema, alterum Nasonis opus, legi. Dum enim fastos, qui est illius divini vatis liber pulcherrimus, interpretatur, alterum nobis pæne effinxit, carmen carmine expressit, tanta diligentia, ut, si titulum non legissem, Ovidii etiam putassem.* Nolim vero, cuiquam veniat in mentem, Ethruscam hic Latini Vatis interpretationem indicari; non enim hanc dicere *alterum Nasonis opus* potuisset VERINUS, nec in vernacula poesi similis unquam OVIDIO evasisset ANGELUS. Malim igitur, poeticum hic quasi Commentarium intelligi; quem cum longissimi ambitus fuisse oporteat, mirari satis nequeo, cur tanti spiritus, tantæque commendationis, poema nec sit additum reliquis POLITIANI, nec cujusquam Scriptoris, præter VERINUM illum, laudibus sit celebratum.

(*q*) Occupatissimum fuisse POLITIANUM in cantiunculis, næniis, versiculis, emblematibus, amantium, aut lugentium, aut joculantium

 nomi-

nomine componendis, hisque levioris momenti negotiolis ſæpiſſime a curis gravioribus avocatum, ipſe, querelarum & indignationis plenus, nos docet in Epiſtola ad HIERON. DONATUM *Lib. II. Ep. 13:* *Et occupatiunculæ,* inquit, *vel trichæ potius ineptæ quædam, moleſtæque nimis, otium omne meum pæne inter ſe ſcrupulatim partiuntur. Nam, ſi quis breve dictum, quod in gladii capulo, vel in annuli legatur emblemate, ſi quis verſum lecto, aut cubiculo, ſi quis inſigne aliquod, non argento dixerim, ſed fictilibus omnino ſuis, deſiderat, illico ad Politianum curſitat, omnesque jam parietes a me, quaſi a limace, videas oblitos argumentis variis, & titulis. Ecce alius Bacchanalibus Feſcenninorum argutias, alius conciliabulis ſanctas ſermocinationes, alius citharæ miſerabiles nænias, alius pervigilio licentioſas cantilenas, efflagitat. Ille mihi proprios amores ſtultus ſtultiori narrat. Ille ſymbolum poſcit, quod ſuæ tantum pateat, ceterorum fruſtra conjecturas exerceat. — — Quare adeo mihi nullus inter hæc ſcribendi reſtat, aut commentandi, locus, ut ipſum quoque horarum ſacerdotis officium pæne (quod vix expiabile credo) minutatim concidatur. Poſtremo, cum nihil faciam, nunquam ſum tamen otioſus, imo, dum cujusvis eſſe compellor, nec meus eſſe plane, nec cujusquam, poſſum.* Male ſit iis omnibus, quorum inſanus furor tantum boni otii, melioribus muſis deſtinati, non POLITIANO magis, quam bonis literis, abſtulit. Sed communem habuit hanc ſortem Noſter cum iis omnibus, quorum magna eſt ingenii ac doctrinæ opinio; quorum plenas eſſe domos hominum ſuo ſtupori opem petentium, quis eſt, qui mirari poſſit? Iſtiusmodi ſchedarum num ad poſteros venerint reliquiæ, non ſatis mihi cognitum; ſpectare tamen huc videtur verſiculorum par, in conclavi quodam montis Fæſulani manu POLITIANI inſcriptum, quod ſupra afferre me memini *Sect. I. §. II. not. (y).* Præterea ex hoc genere ſcriptorum eſſe puto maximam partem carminum vernaculorum, nondum editorum, quorum permagnam copiam Romæ in *Bibliothecæ Chiſianæ Codice 1295* aſſervari, teſtatur JO. MARIA CRESCIMBENI in *Iſtor. della volg. poeſ. Lib. I. p. 39,* & in *Commentar. alla volg. Poeſ. Vol. II. P. II. Lib. III. p. 187.* Similes nonnullas cantiunculas in Codice quodam MSto illuſtris, quæ eſt Florentiæ, Bibliothecæ Laurentianæ legi, paucasque alias in manibus eſſe ALEXANDRI POLITI,

TI, Florentinorum nobiliſſimi, docent me fratris, CAROLI OTTONIS, teſtis αὐτόπτȣ, literæ.

§. 4.

Neque vero horum tantum, quæ cum ſtudio excudit, & parata prelo habuit POLITIANUS, jacturam dolemus, ſed illud etiam grave luctuoſumque bonis literis accidit, quod his ſimilia non pauca, quæ animo conceperat vir bonus, forſan inchoaverat etiam, non, per mortem immaturam, ipſi licuit perficere. Suſceperat enim præclaros, utilesque publice, labores multos, quorum nobis veſtigia aut ipſe paſſim in ſcriptis ſuis POLITIANUS, aut inventa poſt mortem ejus adverſaria, (*a*) præbent. In nobiliſſimis his inſtitutis nominari præ ceteris merentur præſtantiſſimi ejus in Jus Civile, (*b*) Medicos, (*c*) & Philoſophos (*d*) veteres, artes liberales quascunque, (*e*) & Prælectionem poeticam, quam Nutricia inſcripſit, (*f*) Commentarii, porro Imperatorum Romanorum, (*g*) Joannis, Luſitanorum Regis, (*h*) & Vicecomitum Mediolanenſium, (*i*) Hiſtoriæ, de Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus Diſſertatio, (*k*) denique veterum, tam Græciæ, quam Latii, Scriptorum Emendationes, & ad hos Annotationes, (*l*) rem Græcam & Latinam, ſi prorſus elucubratæ prodiiſſent, luce haud dubie clariſſima colluſtraturæ.

(*a*) Quantus ſchedarum apparatus, unde præſtantiſſima quæque expectari orbi erudito potuiſſent, in ædibus defuncti repertus ſit, vel unius teſtimonio CRINITI, cui hæc inſpecta omnia, ſatis conſtare poteſt

eſt. Is in Epiſtola ad ALEXANDRUM SARTIUM, *Lib. XII. Epp.* POL. *Ep. 21*, commemoratis iis, quæ *Miſcellaneorum Centuriæ ſecundæ* deſtinaverat POLITIANUS, ſubdit tandem verba: *His ſeptus anguſtiis, vix otium ad Autores reſpiciendi ſum nactus, nedum ſchedulas omnes Commentariaque prope innumera liceat evolvere.* Nec id mirum quidem; cum præclara multa conſilia animo volverit POLITIANUS, deſtinaveritque nobis Opera egregia, quorum, ſi nihil aliud, certe materiam & inſtrumenta, collegerat. Plura de his ex inſtituto poſtea dicentur. Forſitan etiam in his ſchedis magna congeries fuit eorum, quæ incertis, neque, præter ipſum, cuiquam cognitis, characteribus notaverat. Ita enim in more fuiſſe Noſtro, ut, ſi quid ipſi notatu dignum obveniret, id, compendii cauſa, forſan etiam, ne inſcio ſe publicari poſſet, occultis literis aut notis in codicillos ſuos referret, docemur a MARSIL. FICINO in *Epiſt. ad* GERMANUM DE GANAI, quæ legitur inter *Epiſtolas* JO. PICI, *Cizæ A. 1682* editas, *p. 161*: *Multa quotidie ad elegantiam neceſſaria incertis, ſicut Picus, characteribus annotabat* (POLITIANUS), *ut in utroque gravior literarum jactura contigerit.* Quicquid demum fuerit iſtarum ſchedularum, profecto haud levem inde, ſi vixiſſet Noſter, fructum res literaria tuliſſet. Et vere ALDUS MANUTIUS in *Præfatione Operum* POLITIANI: *O immaturam & crudelem mortem, quæ maxime ſævit in ſumma ingenia! O jacturam ſemper dolendam! quando multa vir ille ſcitu digniſſima poſteris reliquiſſet, quæ fortaſſe nunquam ſcientur.*

(*b*) De *Commentariis in Jus Civile*, quos meditatus eſt POLITIANUS, ſatis dictum eſt ſupra *Sect. I. §. XV. not. (k)*. Illis, nunc nihil habeo, quod addam, niſi dubiam videri JAC. PHILIPPI BERGOMENSIS narrationem, qui, editam a POLITIANO *Emendationem brevemque expoſitionem Digeſtorum, quæ contulerat cum Piſana litera*, perhibet in *Supplem. Suppl. Chronic. p. 435*. Emendavit utique, & cum Piſano Codice contulit, Pandectas Noſter, *Annotationes* etiam in univerſum Jus Romanum parturivit, quarum nonnullas & in *prima Miſcellaneorum Centuria* legimus, & *ſecundæ* deſtinatas dicit PETRUS CRINITUS in *Epiſt. ad* ALEX. SARTIUM, *Lib. XII. Epiſt.* POL. *Ep. XXI*; at nihil horum

rum eo cum titulo, quem profert BERGOMENSIS, unquam a POLITIANO publicatum ſcimus. Certius enim conſtat, & ſupra *Sect. I. §. XV not. (e)* oſtendimus, quæcunque in Jus Civile commentatus eſt Noſter, ipſas etiam Codicis Piſani collationes, aut exſtincto, aut adhuc vivente, POLITIANO, in Bibliothecam Mediceam illatas, ubi aſſervatæ diu, doctiſſimis ſuperioris ævi Jureconſultis, LUD. BOLOGNINO, ANT. AUGUSTINO, PETRO VICTORIO, forſan & aliis, in emendando Jure Civili occupatis, minime ſpernendum uſum præſtiterunt.

(c) Occupatus fuit Noſter in ampliſſimis in veteres Medicinæ Scriptores *Commentariis*, ſed iis criticis tantum, rem Græcam & Latinam illuſtraturis, minime vero in uſum Medicorum inſtructis. Exponit ipſe luculenter ſatis conſilium ſuum in *Prælectione Lamia*, ubi, *Rogo vos*, inquit, *adeon' eſſe me inſolentem putatis, aut ſtolidum, ut, ſi quis Juriſconſultum me ſalutet, aut Medicum, non me ab eo derideri prorſus credam. Commentarios tamen jam diu (quod ſine arrogantia dictum videri velim,) ſimul in Jus ipſum Civile, ſimul in Medicinæ Autores, parturio, & quidem multis vigiliis, nec aliud inde mihi nomen poſtulo, quam Grammatici.* Neque vero ipſos Autores, de quibus præclare ita ſit meriturus, nominat. Forſan in his fuit HIPPOCRATES, ſi quidem interpretandis etiam hujus *Aphoriſmis*, quod BERGOMENSIS tradit, operam impendit ANGELUS. Forſan & in his CELSUS ac DIOSCORIDES fuere, quippe quorum Codices, ut poſtea dicemus, diligenti manu verſavit, non alio, quod puto, animo, quam ut linguæ utriusque divitias ex his excuteret.

(d) Indicat nobis iſtos in veterum Philoſophiam *Commentarios* POLITIANUS in *Appendice Miſcellaneorum*, ubi, magna omnia promittens, *ſic igitur verſare*, inquit, *altiora quæpiam animo ſtudia* (Philoſophica), *& operæ gravioris, inſtitui, quæ ſuo & ipſa tempore (ſi lecta potenter erit res) in publicam utilitatem, quo magis argutatoribus iſtis oculi doleant, apparebunt.* Forſan & huc reſpiciunt verba ALDI MANUTII in Præfatione *Operum* POLITIANI: *Cœperat etiam feliciter & miro ſucceſſu a barbaris Philoſophiam ipſam aſſerere.* Dubito tamen, an magnam hujus operis partem abſolverit, cum vergente demum ætate, ut ex eodem *Miſcellaneorum* loco, & *Prælectione Lamia*, apparet,

totum ſe dare Philoſophiæ cœperit. Aliquas tamen ejus operis particulas paratas habuit, quibus locum deſtinaverat in *Miſcellaneorum Centuria ſecunda.* Ita enim CRINITUS in Epiſtola ad ALEX. SARTIUM, *Lib. XII. Epiſt.* POL. *Ep. 21*, ubi *Centuriæ* hujus ſumma capita exponit: *Jam & — — ex ipſis Philoſophiæ gyris quæpiam, parum ceteris intellecta, annotaverat.*

(e) Ceperat conſilium POLITIANUS, artes liberales, quæcunque eo nomine vocari ſolent, juſto quodam *Commentario* illuſtrandi, harumque inter ſe nexum & diverſam rationem explicandi. Idque præſliturum ſe, ſi viveret, intra decem annorum ſpatium, publice fidem dederat. Docet id ALDUS MANUTIUS in *Præfat. Operum* POLITIANI: *Pollicebatur quoque intra decennium liberaliſſimas artes omnes & viva voce, & ſcriptis, ſe luculentiſſime enarraturum.* Iisdem plane verbis, niſi quod decem annorum mentionem omittat, tecto ALDI nomine, eam rem memorat JAC. PHIL. BERGOMENSIS in *Supplem. Suppl. Chronic. p. 435.* Vagum, & ingenio humano, ſi quid ſcio, majus, inſtitutum; quod, minime mirum, ſucceſſu ſuo caruiſſe. Jam olim tamen ejus operis formam ſcripſerat POLITIANUS in libello, quem *Panepiſtemona* dixit, ſuo loco plenius a nobis memorato.

(f) De Carmine, *Nutricia* inſcripto, diximus, quod ſatis eſt, *§. II. hujus Sect. not. (ee).* In eo cum & Poetices, & omnium inde ab Urbis initiis ad recentiſſima usque tempora Poetarum hiſtoriam, docte ſuaviterque canat, ſeque in veterum Poetarum lectione verſatiſſimum oſtendat, ut, quæ penes Scriptores priſcos copioſe enarrata leguntur, in compendio hic legas; facile hinc eſt judicatu, ſi, quos in id Carmen meditatus eſt, perfeciſſet *Commentarios*, quam præclarum id plenumque bonarum rerum opus futurum fuiſſet. Sane, ſi quid valet ipſius POLITIANI de labore ſuo teſtimonium præſagiumve, didiciſſent demum, lectis his *Commentariis*, de ipſo Carmine magno omnia exiſtimare eruditi. Satis enim de his magnifice ille in Epiſtola ad MATTHIAM, Pannoniæ Regem, *Lib. IX. Ep. 1: Ut autem guſtum ſumere aliquem jam nunc vigiliarum noſtrarum poſſis, en poema tibi, multa lima cruciatum, quod laudes poeticæ, quod hiſtoriam continet omnium fere vatum. Sed & mittam Commentarios paulo poſt in id opus copioſiſſimos, in quibus, quicquid de varia multiplicique lectione*

lectione condidimus, explicabitur. Ac (nisi me dulcissimus amor suscepti laboris fallit) tantas ex hoc libello, velut e thesauro, divitias proferemus, ut magna ex parte studiosæ juventutis quædam veluti inopia relevetur: ac tum denique, puto, quivis intelliget, quam multis ista mihi lucubrationibus constiterint.

(g) Scribit Noster in Epistola ad FRANC. PICCOLOMINEUM, *Lib. VIII. Ep. 9: Nos ad Historiam de Romanis Principibus conscribendam magno spiritu atque animo aggressi sumus. Et, quamvis oram nuperrime solverimus, paulumque adhuc a portu promoverimus, tamen faventem nacti ventum, æquo pede provehimur.* Respondet PICCOLOMINEUS in Epistola illam subsequenti: *Quod autem de Romanis Principibus aggressus es opus: erit, puto, absolutum, quia tuum erit. Expectamus ultimam ejus manum: quam fore non dubitamus consummatissimam.* Hæc legens JODOCUS BADIUS ASCENSIUS, in eam, nec id temere, conjecturam venit, in *Historiæ Romanæ* opere magno & diffuso desudatum a POLITIANO. Ita enim ille in *Notis* ad PICCOLOMINEI *Epist. cit.: Romanam Historiam hanc mors nobis invidit. Sabellicus non pœnitendam quidem, sed ea, quam Angelus moliebatur, ut opinor, inferiorem, ad tempora utique nostra perpetuo filo deduxit.* Sed noluit huic BADII conjecturæ assensum præbere BERNARDUS DE LA MONNOYE, qui, illis POLITIANI verbis non nisi Latinam HERODIANI interpretationem indicari, serio contendit in *Memoires de Literat. T. I. p. 252.* Non addit sententiæ suæ rationem ullam; sed, si quid mihi suspicari licet, in hanc opinionem illud maxime induxit scriptorem Gallum, quod scriptæ sint POLITIANI ad PICCOLOMINEUM literæ anno 1485, eodem nempe, quo probabile est vertendi HERODIANI ab INNOCENTIO VIII, Pont. Max. curam ei delegatam. Dixi enim supra *Sectionis* hujus *§. II. not. (u)*, absolutum id operis A. 1487; tresque annos ante jussu INNOCENTII id susceptum, patet ex literis POLITIANI ad Pontificem, interpretationi ipsi præmissis. Forsan & hoc accessit, quod mirum visum BERNARDO, non in lucem exiisse opus, nec ejus unquam in scriptis suis mentionem fecisse POLITIANUM, cum anno jam 1485, hoc est, novem ante mortem suam annos,

curam ad id operamque converterit. Non hæc nullius ponderis, fateor, sed quibus manifesta POLITIANI obstare verba putem. Qui enim dicere is poterat, conscribi a se *Historiam*, quam in Latinum transferendam saltem susceperat; cum nosset optime, multum intercedere discriminis inter scriptorem & interpretem? Vanitatis id fuisset, cujus nulla cadit in virum optimum suspicio. Nec sane de HERODIANI interpretatione, sed de composita *Romanorum Principum historia*, verba POLITIANI ipse PICCOLOMINEUS accepit, si quidem recte interpretor verba Epistolæ, quibus profecto nihil esse clarius potest. Præterea insigne BADIANÆ sententiæ robur accedit ex Epistola POLITIANI ad INNOCENTIUM VIII, Pont. Max. ipsi HERODIANI interpretationi præmissa, ubi talia legas, quæ laborem hunc a majori & elaboratiori Opere haud obscure distinguunt. Sic enim Noster: *Ergo & vetera edere in publicum, & nova procudere, jam libet, unde aliqua modo vel tuo sacratissimo nomini celebritas, vel nostris temporibus claritas, vel studiosis etiam hominibus utilitas, pariatur. Ceterum Herodianum hunc nostrum, donec majora tibi, ac fortasse meliora, parturimus, veluti præludium aliquod veri justique laboris, læta, rogamus, fronte excipias, Summe Pontifex*, &c. Quid aliud *verus justusque labor*, cui præluserat *Herodiani* interpretatio, quam ipsum illud *Historiæ Romanæ* Opus, cujus in illis ad PICCOLOMINEUM literis mentionem fecerat? Itaque, si verisimilitudinis habenda ratio, rectissime interpretatus POLITIANI verba BADIUS videtur, nec, quem in ceteris oculatissimum fuisse constat, hic satis acute vidit DE LA MONNOYE. Quoquo tamen modo se res habeat, ex præclaro hoc POLITIANI instituto nihil ad posteros commodi redundavit, nec tale quidquam repertum constat inter schedulas POLITIANI, ut, quæ ratio fuerit consilii tam illustris, quo successu inchoatus aut confectus labor, nostra ætate vix cuiquam Italorum sit cognitum.

(h) Plena fuit, ut inter omnes constat, rerum maximarum historia JOANNIS II, cognomento *Magni*, Lusitanorum Regis. Quam ut æternis literarum monumentis commendaret, incredibili se desiderio inflammatum scribit ANGELUS in amplissima ad ipsum JOANNEM Epistola, *Lib. X. Ep. 1.* Ibidem rogat submisse Principem,

cipem, si qui exstent inter Lusitanos rerum ab ipso gestarum Commentarii, hos diligenter descriptos perferri ad se Florentiam jubeat, illustrissimi operis materiam hinc petiturum, usurumque iisdem in summi Principis gloriam. Videtur autem inprimis suscipiendi laboris tam praeclari autor POLITIANO exstitisse LAURENTIUS, Medicaeus Princeps, conservandae memoriae tanti Regis, quem sibi ipse maxime amicum noverat, cupidissimus. Loquuntur id Epistolae POLITIANI verba ultima: *Innutritus autem pæne a puero sum (si quid hoc ad rem facit) castissimis illis penetralibus magni viri, & in hac sua florentissima Republica principis, Laurentii Medicis: qui, cum sit ipse quoque inprimis tui cupidissimus, etiam me verbis aliquando suis in istius amorem virtutis ita inflammavit, ut dies noctesque de tuis cogitare præconiis non desistam: nec omnino quidquam nunc exoptem magis, quam ut ea mihi vis, ea facultas, ea denique detur occasio, qua nomen tuum, cœlesti prædicatione dignissimum, qua pietatis, integritatis, innocentiæ, religionis, continentiæ, prudentiæ, judicii, qua justitiæ, fortitudinis, providentiæ, liberalitatis, animique magnitudinis, qua postremo tot operum, tot illustrium facinorum tuorum, testimonia sic etiam per me fidelibus seu Græcæ, seu Latinæ, linguæ consecrentur monumentis, ut nulla humanarum rerum vicissitudine, nullo unquam fortunæ variantis incursu, nullo etiam squalentis ævi senio, deleantur.* Respondet humanissima Epistola JOANNES, gratiasque agit ANGELO pro consilio tam nobili, & honesto, curaturumque se spondet, ut rerum suarum annales, quos vulgari & patrio sermone scribi moris est penes Lusitanos, in Florentinum aut Latinum sermonem translati, proxime ad eum deferantur. Quod num factum sit postea, operique manum admoverit POLITIANUS, non est, unde nobis liceat cognoscere. Scriptae sunt Epistolae sub finem anni 1491, cui cum breve tempus fuerit superstes Noster, quantam & hac ex parte immatura ejus morte jacturam fecerit res literaria, unusquisque intelligit.

(i) Non tam ipse meditatus est *Vicecomitum Mediolanensium historiam*, quam edendorum GEORGII MERULÆ, Mediolanensis literarum doctoris, *Commentariorum* saltem consilium ceperat POLITIANUS. Nam, cum in eo opere diu desuda-

tum nosset a MERULA, ejusque editionem boni viri mors intercepisset; indignum ratus, sordidissimis hæc tenebris in posterum sepulta jacere, honestissimo consilio evulgandis his studium ipse operamque suam obtulit. Eo nomine literas dedit ad LUDOVICUM SFORTIAM, Mediolanensem Principem, *Lib. XI Ep. 11*, submisse hunc rogans, pateretur & hos ipsos MERULÆ *Commentarios*, & alios vetustissimos libros, haud ita pridem repertos, quibus lucem vitamque MERULA destinaverat, sua jam cura, & cum *Præfationibus* suis, in conspectum eruditorum publicum exire. Audiamus formulam rogantis: *Nunc autem, quando ille Historiam familiæ vestræ, luculenter scriptam, librosque item quosdam vetustissimos, auspicio tuo repertos, quoniam mors prævertit, publicare non potuit, rogamus te, Princeps, quicunque in studiis literarum versamur, ut ista latere diutius non patiaris. Quod si tibi ad utramque editionem, quamvis doctissimis hominibus abundes, conferre aliquid tamen nostra quoque mediocritas valet, utere, quæso, audacter, non dicam ingenio & doctrina, sed labore industriaque nostra. Nam cum defungi hoc ultro tam honesto munere cupio, tum vero tibi, quem merito plurimi facio, gratificari: profiteorque, si velis, me historiæ, vel antiquis publicandis codicibus, Præfationes additurum, cum tua (quod primum est) illustri gloria, sic tamen, ut ne Merulam quidem nostrum debito ipsius doctrinæ diligentiæque testimonio fraudemus.* Id bonum factum interpretatur LUDOVICUS SFORTIA in Epistola, qua respondet Nostro, *Lib. XI. Epp.* POL. *Ep. 13*, significans ei verbis humanissimis, gratissimam sibi fore in edendis MERULÆ scriptis operam ipsius, minime vero maturandum opus, sed tempus oportunum, & a curis gravioribus magis liberum, expectandum. *Quod monumenta ejus*, inquit, *mones, ne perire patiamur, & operam tuam offers, sive in historia eam, sive in vetustis Codicibus, Merulæ diligentia inventis, desideremus: agnoscimus in eo bonitatem tuam, ac magnæ nobis voluptati est, quod vir literatissimus tantopere & famam nominis nostri, & rei literariæ causam, curare videatur. Nos vero, etsi minime neglecturi sumus, quod ad utramque rem pertinet, tamen, quia recens casus amissi Merulæ, & majorum cura, nos ab hac cogitatione avertit, dum, quid*

quid agi vellemus, constituendi facultas fuerit, quicquid autem agi continget, si aliunde, quam hinc, opem ab literatis petendam duxerimus, ostendemus, & virtutis, & eruditionis, & inprimis amoris erga nos Politiani, rationem minime in obscuro apud nos fore, & pergratum habuisse, quod tam studiose, & amanter, operam tuam nobis obtuleris. Forsan igitur, si diutius in vivis fuisset POLITIANUS, ipsius cura hæc in lucem exiissent publicata. At eo ipso anno, quo scriptæ sunt hæ Epistolæ, e vita excessit Noster. Caruit igitur institutum bonum successu suo, nec carcere suo exiit præclarum illud MERULANUM Opus ante annum 1629, quo editum est jussu & cura Marchionis JOANNIS MARIÆ, & Comitis ANTONII, Vice-Comitum. Jam vero, magno eruditorum commodo, rarissimum hoc Opus legitur in *Thesauro Antiquit. & Hist. Italiæ* GRÆVIANO, a PETRO BURMANNO edito, ejusque *Tomi III Parte I.*

(k) Sub finem *Præfationis in Suetonii expositionem* POLITIANUS, nominatis breviter *Historiæ Augustæ* scriptoribus, filum subito abrumpit, his verbis claudens Commentationem: *Hæc hactenus: reliqua, si videtur, altera Commentatione transigemus.* Quæ quo spectent, etsi certo definire vix ausim, malim tamen ad *Historiæ Augustæ* Scriptores, quam ad SUETONII *Historias*, trahere, quod de his amplissime egerat per universam *Prælectionem*, illos non nisi paucissimis attigerat, de quibus, credibile est, voluisse eum plenius copiosiusque agere alio in loco. Certius de eo nobis constaret, si ita in fatis fuisset, ut ad posteros veniret hoc, quicquid meditatus est operis. Jam nihil horum est in manibus nostris, forsan nec aliorum, quandoquidem, qui hujus opellæ nobis suppeditet notitiam, prorsus est nemo.

(l) Ut Critici Grammaticique excellentis laudem per omnem vitam studiosissime consectatus est POLITIANUS; ita diurnus hic nocturnusque ejus labor fuit, ut vetustissimos Scriptorum Latinorum Græcorumque Codices, passim in Bibliothecis latentes, nec adhuc prelo excusos, diligenti versaret manu, cum his edita haud ita pridem eorundem Scriptorum volumina conferret, hinc aut locos mutilos suppleret, aut corruptos sanaret, lectiones quoque variantes annotaret, &, si quid ipsi animadversionum inter legendum acumen criticum suggereret, id aut notis breviori-

bus

bus ad codicum marginem adſcriberet, aut in adverſaria ſua, futuris deſtinata uſibus, referret. Qua in re quam diligenter, quam fideliter, verſatus ſit, diſcas optime ex teſtimonio PETRI VICTORII, qui plurimas præclari ejus ſtudii reliquias, in Bibliotheca Medicæa obvias, manibus ſuis tractaverat, in *Caſtigationibus in Columellam de re ruſtica p. 70: Eruditiſſimi viri labor magno me labore levavit, qui quidem, ut erat diligens & accuratus, hac librorum collatione mirifice delectabatur, &, ita poſſe bonos Auctores multis maculis purgari, vere exiſtimabat. Quæcunque itaque in priſcis exemplaribus inveniebat, in impreſſis ſedulo annotabat. Quodſi diutius ille vixiſſet, &, quæ mente deſtinaverat, perficere potuiſſet opera, ſedulitasque ipſius magnos ſtudioſis literarum fructus attuliſſet, multoque, qui poſtea huic muneri corrigendorum librorum neceſſario incubuerunt, magna prorſus moleſtia liberaſſet. Sed ea nunc omnia inchoata imperfectaque jacent. Raro enim ille, quid ſentiret, oſtendebat, ſed veterum tantum ſcripturam cum fide in hos codices transferebat; commodius, ut opinor, tempus expectans, quo poſſet de his rebus mature dijudicare. Mors tamen eum prævenit, nec, quæ cogitaverat, ad exitum perducere potuit. Libri vero obitu ipſius diſſipati ſunt, paucique e magno numero inveniuntur. Si quis autem propter acumen ingenii, & variam Latinorum Græcorumque Scriptorum lectionem, hoc præclare facere potuit, ille, ut opinor, fuit.* Apparet hinc, quanto cum literarum detrimento nobiles hæ POLITIANI curæ interceptæ ſint prætmatura morte ejus; qui, ſi eam ætatem attigiſſet, ad quam pervenire in hac mortalitate bene multis licet, integerrimos nobis emendatiſſimosque ſine dubio, quicunque bene ſcribendi normam nobis præbent, Autores veteres dediſſet. Jam vero nihil horum perfecit Noſter; nec, quicquid ille vel vetuſtiorum codicum recognovit, vel ad Autores veteres *Annotationum* ſcripſit, omne ad poſteros pervenit. Gaudemus tamen, inſignis illius induſtriæ variis in locis monumenta haud ſpernenda ſupereſſe, quæ, ſi non in re literaria eum præſtare uſum, quem mente conceperat POLITIANUS, poſſunt, luculenter tamen, quam in hac ſtudiorum parte ſolerter diligenterque elaboraverit POLITIANUS, teſtantur. Ita POLITIANI *in Autores veteres*, neſcio quos, *Anno-*

Annotata quædam, manu, dubito, an ipſius POLITIANI, ſcripta, in Bibliotheca publica Academiæ Lugduno-Batavæ ſervari, docet hujus *Catalogus*, *A. 1716* editus, *p. 348.* Fuerunt hæc olim in Bibliotheca BONAVENTURÆ VULCANII, unde poſtea, legato poſſeſſoris, cum cetera MStorum ſupellectile, translata ſunt in Bibliothecam Academiæ Lugduno-Batavæ. Vellem, quicunque confecit *Indicem*, *Annotata* illa nominatim nobis indicaſſet, ut, ſitne aliquid ſingulare in his præſtitum ab ANGELO, jam conſtare nobis poſſet. Similiter *Excerpta ex variis Autoribus Græcis*, ipſius manu POLITIANI ſcripta, indicat nobis PHIL. LABBÆUS in *Nova Bibliotheca MStorum librorum Suppl. VIII. p. 331*; ſed, ubi ſint locorum obvia, non, quod memini, is addit *l. c.* Præterea paſſim memoria exſtat vetuſtiorum Codicum, quibus uſus eſt POLITIANUS, quosque vel cum MStis contulit, vel brevioribus Annotationibus locupletavit. Antiquiſſimum *Epiſtolarum* CICERONIS *ad familiares* Codicem, Bibliothecæ Laurentianæ, quæ Florentiam ornat, cimelium, quem a ſe diligenter perquiſitum, & in ordinem redactum, ipſe ait POLITIANUS *Cap. XVIII* & *XXV Miſcellaneorum*, inſpexit olim, & in uſus literarios convertit PETR. VICTORIUS, ut ipſe docet in *Dedicatione ad* BARTHOLOM. CAVALCANTEM, *Annotationibus in Ciceronis Epp. ad Famil.* præmiſſa: *Cum domi tuæ antiquum illud, ab Angelo Politiano laudatum, illarum Epiſtolarum exemplar vidiſſem, (quod diſparem ſortem ab ea, quam ille ei tributam dixit, multos ſane annos expertum fuerat: eripueras enim tu illud e manibus ignobilis Grammatici, apud quem diu latuerat,) a te ſumſi illud, & ſumma cura, quæ in eo a vulgari lectione diſcrepabant, notavi: ex quo tempore, cum eam jam, quæ a me capi poterat, utilitatem ab eo accepiſſem, & nonnihil quoque illud ſuæ dignitatis ac nominis per me recepiſſet, cito priſtinam fortunam recuperavit; in manus enim clariſſimorum & doctiſſimorum virorum, poſtquam a me exiit, pervenit.* *Quintilianum* POLITIANI in eadem Laurentiana Bibliotheca olim conſpectum ſibi, refert HENR. BRENCMANNUS in *Hiſt. Pandect. Lib. IV. Cap. I. p. 307.* In eodem Scriptore emendando induſtriam POLITIANI laudari nonnullis, ſcribit NIC. ANTONIUS in *Bibl. Hiſp. vet. p. 58.* Intelligendum id ſine dubio de *Annotationibus* ejus, nondum editis,

 ſed

ſed in quibus deſudatum a Noſtro, teſtatur ALDUS MANUTIUS in *Præf. Operum* POLITIANI: *Utinam — — in Quintilianum ingenioſas & doctas Annotationes habuiſſemus!* Editum vero in *Quintilianum* nihil exſtat, ut recte, ANTONII verba proferens, monet JO. ALB. FABRICIUS in *Bibl. Lat. T. II. Lib. II. Cap. 15. p. 685. Suetonium*, cum tribus exemplaribus collatum a POLITIANO, viſum ſibi in Laurentiana Bibliotheca, idem *l. c.* teſtatur BRENCMANNUS, qui & in eadem Bibliotheca *Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ*, a POLITIANO collatos, aſſervari teſtatur in *priori ad* CORNELIUM DE BYNCKERSHOEK *Epiſtola MSta*. Neſcio, an is idem ſit codex *Suetonii*, quem, *A. 1474 Romæ* prelo excuſum, ornatumque Annotationibus nonnullis POLITIANI, paſſim ad marginem adſcriptis, ſervari in ejusdem Bibliothecæ cimeliis, docet SAM. PITISCUS in *Præfatione Suetonii*, a ſe editi. Meminit etiam duorum codicum MStorum *Suetonii*, quibus uſus ſit POLITIANUS, & quos cum impreſſis PHILIPPUS STROZZA contulerit, PHIL. LABBÆUS *l. c. Suppl. VII. p. 291.* Pleniores in *Suetonium Annotationes* parturivit Noſter, ſi fides eſt ALDO *l. c.* Porro *Sextum Pompejum Feſtum*, de vetuſtiſſimo exemplari manu POLITIANI deſcriptum, nominat VICTORIUS in *Var. Lect. Lib. XVIII. Cap. 7. p. 208. Celſi*, antiquiſſimi Medicorum, codicem, a filio ANTONIO MARII *A. 1453* exaratum, ſed POLITIANI manu diligenter verſatum, & cui is ipſe nomen ſuum ſubſcripſerat, in Italia viſum ſibi teſtatur JO. CAJUS in libro *de Libris propriis*, *Londini* cum aliis ejus ſcriptis *A. 1729* a SAM. JEBB edito, *p. 166.* Inprimis multum laboris poſuit POLITIANUS in emendandis *Rei Ruſticæ Scriptoribus*, vulgo notiſſimis, quorum editionem omnium primam, *Venetiis A. 1472, fol. impenſis Nicolai Jenſon*, publicatam, cum duobus Codicibus MStis, utroque Bibliothecæ, ut videtur, Medicææ, (nam, quod ad *Columellam*, duos hujus Codices vetuſtos, in Bibliotheca Medicæa obvios, ipſe memorat POLITIANUS *Miſcellan. Cap. XXXV.*) accuratiſſime contulit, variasque lectiones in futuros, aut ſuos, aut eruditorum, uſus annotavit. Collationes has delituiſſe diu Florentiæ in privatorum Nobilium Bibliothecis, docemur ab HENR. BRENCMANNO *l. c.* nec dubium, ipſi illatas Bibliothecæ Medicææ, tot Codicum POLITIANEORUM conſervatrici; quod ipſum certiſſime perſuaſum

ſum ſibi habet Vir eruditiſſimus, JO. MATTHIAS GESNERUS, in nova Gottingenſium Academia publicus Eloquentiæ & Poetices Profeſſor, Amicus noſter venerandus, in *Præfatione*, novæ *Scriptorum rei ruſticæ* editioni, quam is nuper demum, plaudente orbe erudito, publicavit, præmiſſa, §. *XV.* Hic igitur inde ab aliquot Seculis detentæ, nullum aut exiguum eruditis uſum præſtiterunt, donec ante paucos annos Florentiam tranſeunti HENRICO BRENCMANNO, Batavorum incomparabili Jureconſulto, in manus venerunt liberalitate Celeberrimorum Virorum, ANTONII MARIÆ SALVINII, (quem ipſe nominat BRENCMANNUS in *Hiſt. Pand. Lib. IV. Cap. 6. p. 385.*) & ANTONII MAGLIABECHII, Bibliothecæ Medicææ Præfecti literatiſſimi, quem precibus CHRISTIANI SCHOETTGENII, novam tunc *Scriptorum rei ruſticæ* editionem meditantis, id dediſſe, ſcribit *l. c.* Cel. GESNERUS. Is igitur BRENCMANNUS Collectiones has, diligenter deſcriptas, probatasque valde, quod in iis *etiam depravata, falſa, & manifeſte mendoſa, annotata* eſſent, (vid. BRENCMANNUM *l. c.*) lætus in patriam ſecum abduxit, communicatasque primum cum civibus eruditiſſimis, (nam viſas ſibi teſtatur CAROLUS ANDR. DUCKERUS in editione *Flori p. 262 in not.*) poſtea Lipſiam miſit ad THOMAM FRITSCHIUM, librariorum mercatorum in Germania ſuo tempore principem, quippe qui, novæ *Scriptorum rei ruſticæ* editioni, quam ſuis tunc ſumtibus parabat, multum his ipſis acceſſurum ornamenti, ſperabat. Factum vero, ut inopinata boni viri morte, hisque ipſis, qui edendi Operis curam geſſerant, ad alia omnia vocatis, præclaro inſtituto aliquot annorum mora interponeretur, donec cœptam dudum ab aliis telam eleganti ſſime feliciſſimeque pertexeret, quem modo nominavimus, doctiſſimus GESNERUS, cujus jam beneficio, ut omni ex parte cultiſſimos, ita his ipſis POLITIANI Lectionibus variantibus mirifice ornatos, *Rei Ruſticæ Scriptores* legimus. POLITIANI his collationibus ipſum olim in ſua iſtorum *Scriptorum* editione uſum PETRUM VICTORIUM, facile conjiciat, qui cum illis variantibus hujus viri annotata contendat; adeo levia & pauca ſunt, in quibus non uterque amiciſſime conſpiret. Tuiturus tamen exiſtimationem Viri alioqui candidiſſimi GESNERUS noſter, mavult iisdem, qui POLITIANO fuerant in manibus,

 libris

libris MStis usum putare VICTORIUM, quam turpioris plagii temere accusare Virum ab hujus criminis suspicione nunquam non alienissimum. Vid. GESNERI *Præfat. l. c.* Pergimus ad reliqua POLITIANI in Autores veteres merita. *Ovidii* Codicem, a POLITIANO recognitum, continentem *Amorum libros, Ibin, Artem amandi, Medicamina faciei, Nucem, Fastos, Tristium & de Ponto libros*, ex parte ad duo exemplaria collatos, *Epistolam*que *Sapphus ad Phaonem* justo quasi *Commentario* illustratam, Florentiæ in Bibliotheca D. Marci custodiri, refert BRENCMANNUS in *Hist. Pand. p. 307.* Video etiam in PHIL. LABBÆI *Nova Biblioth. MSS. libr. p. 372*, inter libros MStos, ex Anglia Lutetiam deportatos, & inde Nobili cuidam Germano venditos, memorari Codicem *Ovidianum* optimæ notæ, a POLITIANO cum multis aliis collatum, variis lectionibus auctum, & brevioribus *scholiis*, sed accuratissimis, longeque doctissimis, illustratum. *Terentium*, cum uno Codice vetustiori collatum, Florentiæ Bibliotheca Medicæa servat, teste BRENCMANNO *l. c.* & uberiores in hunc Comicum Annotationes, inchoatas a POLITIANO, sed non perfectas, indicat ALDUS in *Præfat. Operum* POLITIANI. *Lucretium* POLITIANI passim conspici in privatis Nobilium Florentinorum Bibliothecis, idem BRENCMANNUS *l. c.* docet. *Ausonium* a POLITIANO, MATTHÆO BOSSO, & THADÆO UGOLETO, Parmensi, primum in lucem protractum vulgatumque tradit LAUR. PIGNORIUS in *Symbol. Epist. 16*, etsi primum editum ab ALDO doceat CONR. GESNERUS in *Bibliotheca.* Conf. JO. ALB. FABRICII *Bibl. Lat. T. I. Lib. III. Cap. 10. §. 3. p. 588.* Sed usum Codice *Ausoniano* POLITIANUM, quem manu sua scripserit FRANC. PETRARCHA, perhibet JOSEPH. JUST. SCALIGER in *Scaligeran. p. 519.* Quod unde compertum illi fuerit, non hariolor. Nominat vero alium Codicem, JO. BOCCACII manu descriptum, & a se lectum diligenter, ipse POLITIANUS *Miscellan. Cap. 39.* In perquirendo *Juvenalis* vetustissimo Codice, Longobardis exarato literis, quem FRANC. GADDIUS, Florentinus, cum ipso communicaverat, accurate se versatum, ipse ait ANGELUS *Cap. 46 Miscellan.* Nec minora Noster in Scriptoribus Græcis præstitit. ARISTOTELIS *de arte poetica* librum, manu PO-

LITIA-

LITIANI exaratum, exstare in Bibliotheca Medicæa, memorat FRANC. ROBORTELLUS in *Explicat. in Aristot. Poetic. p. 262.* Eandem Bibliothecam varia ostendere ejus ad *Theocritum annotata, l. c.* BRENCMANNUS scribit. Eidem *Theocriti* codici manu POLITIANI adscripta leguntur verba: *Emi solutum g. 6. Lora vero, umbilici tabellas, corium, bibliopolæ constiterunt g. 2. b. 6*; sicut testatur BRENCMANNUS in *altera ad* CORNELIUM VAN BYNCKERSHOEK *Epistola MSta*, ubi &, simile quid legi in alio LUCANI codice, nos docet. Unde, quam fuerit parsimoniæ deditus, & facultatum suarum tenax POLITIANUS, intelligi quodammodo possit. *Herodiani* Codicem, *sua manu emendatum, sed leniter potius, quam severe, castigatum*, ipse nobis indicat POLITIANUS in *Epist.* ad ANDR. MAGNANIMUM, *Lib. IV. Ep. 13.* De LYCOPHRONIS Codice MSto antiquissimo, a POLITIANO recognito, inter libros MStos, ex Anglia in Galliam translatos, mentio facta est in LABBÆI *Bibl. nov. MSS. libr. Suppl. X. p. 372.* Etiam DIOSCORIDIS & GALENI nonnullos libros, a POLITIANO emtos, emendatos, & Laurentianæ Bibliothecæ postea commendatos, nominat JO. CAJUS in libro *de Libris propriis*, qui est inter alia ejus *Opuscula p. 195.* Denique, de Florentino Pandectarum Codice, Latino quidem, sed admixta etiam Græca habente, quam præclare promeritus sit Noster, supra, quod meministi, suo loco diximus.

§. 5.

Superest, ut, quæ scripta partim, partim animo destinata a POLITIANO, diximus, his adjungamus nonnulla, aut falso prorsus in scriptorum POLITIANI numerum relata, aut quæ, dubium sit valde, sintne POLITIANO nostro, an superioris ætatis Scriptori cuicunque tribuenda. Pertinent huc Enarratio veterum JCtorum scriptorumque, in Pandectis citatorum, quam Gregorius Haloander Pandectis, a se

 edi-

editis, præmisit, (*a*) porro Carmen Italicum, il Morgante il Maggiore inscriptum, quod vulgo compositum a Ludovico Pulcio putatur, (*b*) de ordine Romanæ Historiæ legendæ libellus, sub Adriani Politi nomine olim publicatus, (*c*) Historia poetica omnium vatum, (*d*) denique Dissertationum Epictetearum Arriani, Philosophi, Latina interpretatio. (*e*) Nec desunt, qui POLITIANO tribuant versiculum retrogradum, quem Florentiæ in æde S. Mariæ Novellæ sacra pictæ Abelis & Caini imagini subscriptum constat;

Sacrum pingue dabo, non macrum sacrificabo,
Sacrificabo macrum, non dabo pingue sacrum. (*f*)

(*a*) Præmisit, quod omnibus notum est, Pandectis a se editis GREGORIUS HALOANDER *Indicem veterum ICtorum, scriptorumque ab his librorum, quorum in Pandectis passim mentio occurrit.* Hunc POLITIANO tribui a BERN. RUTILIO in *Vitis JCt. Cap. XXXIX*, falso, quod mihi quidem videtur, persuaserunt sibi CONR. GESNERUS & VINC. PLACCIUS, ille in *Pandectis p. 331*, (in *Bibliotheca* enim *universali*, ubi ample agitur de HALOANDRO, nec GESNERUS, nec FRISIUS, ea de re quidquam habent,) ubi verba sunt: *Gregorius Haloander a principio Pandectarum, quas emendavit, veterum JCtorum scripta, quæ in Pandectis citantur, cum suis Autoribus enumerat, nisi ea forte Angeli Politiani lucubratio est, ut Bern. Rutilius in Cajo JCto innuere videtur;* hic vero in *Theatro Anonym. & Pseydon. p. 334. num. 1283*: *Gregorii Haloandri enumeratio veterum JCtorum, scriptorumque in Pandectis citatorum, præmissa Pandectis, forte Angeli Poli-*

Politiani lucubratio est, ut Rutilius in Cajo JCto innuere videtur: &c. Audiamus jam RUTILIUM, ex cujus verbis nihil minus intelligas, quam id, quod perhibet cum GESNERO PLACCIUS. *Ceterum*, inquit, *sive unum modo, seu duos numeremus, quod neuter satis est notus, & illa scripta, quibus conferti sunt legum libri, utrius fuerint, in ambiguo est, ea hoc loc loco a nobis referentur, ut sunt apud Politianum, cui hanc quoque lucubrationem nostri homines debent. Sunt autem hæc:* &c. Nulla hic HALOANDRI, nulla *Indicis, Pandectis* præmissi, mentio. Patet vero ex sequentibus, ubi scripta CAJI nominantur, sermonem hic esse RUTILIO de illa ipsa POLITIANI ad JACOBUM MODESTUM, Pratensem, Epistola, *Lib. V. Ep. 9*, jam supra a nobis indicata, ubi is veterum Juris conditorum, quorum verba pro legibus sunt in Pandectis JUSTINIANI, nomina & scripta ordine collecta exhibet. De quo, non erit, cur dubites, si cum his, quæ de libris CAJI POLITIANUS habet, illa RUTILII contendas, quæ, si voculam unam aut alteram excipias, cum verbis POLITIANI amicissime consentiunt. Facile hinc conjicias, ignotam prorsus GESNERO PLACCIOque fuisse hanc POLITIANI Epistolam, quam si cognitam habuissent, non hæc a mente RUTILII prorsus aliena tradidissent. Ceterum negari vix potest, in conficiendo *veterum JCtorum Indice* illam ipsam POLITIANI Epistolam ante oculos habuisse HALOANDRUM. Sunt enim sibi perquam similes horum labores; sive JCtorum, sive librorum, ab his compositorum, numerum & ordinem, spectes. Neque tamen hic discriminis, sive in nominibus JCtorum, sive in titulis librorum, nihil apparet, ut facile animadvertet, si quis accurate hæc inter se comparare instituerit. Taceo, POLITIANI Epistolam oratione scriptam esse continenti & composita, HALOANDRI opellam meri Indicis nomen sustinere, quippe sub suis titulis JCtorum libros exhibentem. Quæ diversitas tanta est, ut plagii insimulare HALOANDRUM, (si vel id cogitasse putes RUTILIUM) non in dictis POLITIANI, aut horum saltem forma, nihil mutantem, meo judicio iniquum videatur.

(b) Eadem, qua POLITIANUS inclaruit, ætate magnum inter Poetas Italorum vernaculos nomen consecutus est LUDOVICUS PULCIUS, ortu Florentinus, quem anno 1486 aut subsequen-

quenti mortuum ſuſpicatur BERNARD. DE LA MONNOYE in *Notis ad* ADR. BAILLETI *Jug. des Sav. L. IV. P. I. p. 91. not. 1.* Ejus in magno pretio paſſim Italis habetur Carmen venuſtum & magnificum, *il Morgante il Maggiore* inſcriptum, quo bella Orlandi & Rinaldi, aulamque Caroli Magni, pulchre is graviterque canit. Scriptum eſt eo carminis genere, quod Italis rima octava vocatur, octo & viginti cantibus diſtinctum. Nullis hic legibus artis adſtrinxit ſe Poeta, nec locorum, nec temporum rationem habens, comica cum tragicis commiſcens, nec cavens ſibi a narrationibus, quæ ſint a veriſimilitudine longe alieniſſimæ. Quorum etſi vix venia ſperari poſſit noſtræ ætatis Poetis, in PULCIO tamen facile tolerantur, quippe vitia hæc carminis præclaris multis virtutibus, inprimis nativo quodam lepore, & ingenii vigore, compenſante. Non ſatis ſcio, ſitne omnium prima carminis hujus editio, quam *Florentiæ A. 1500*, 4, publicatam profert ADR. BAILLETUS *l. c.*; certe antiquiorem hac nusquam obveniſſe mihi memini. Recentiores vero bene multæ ſuppetunt, in quibus præſtantiſſima habetur, quæ prodiit *Venetiis A. 1550*, cum explicationibus JOANNIS PULCII, qui fuit nepos LUDOVICI. Hujus igitur Carminis cum vulgo Autor dicatur PULCIUS, ejusque nomen ad hunc usque diem inſcriptum carmini legatur; fuere tamen aliquando, qui, perperam id operis a PULCIO pro ſuo venditatum, nec tam huic, quam POLITIANO, eam laudem deberi, perſuadere nobis conarentur. In his præcipui fuerunt THEOPHILUS FOLENGUS & HORTENSIUS LANDUS, quorum alter in *Orlandini Cant. 1. Stanz. 20*, alter in opere *Sferza degli Scrittori*, PULCIO id operis donatum a POLITIANO, poſteaque, utroque exſtincto, ab ignaris ejus rei pro partu PULCIANO venditatum, refert. Sed, ut eſt nullo teſte confirmata hæc narratio, ita nusquam ad hunc diem fidem invenit in Italia. Nec probabile videri, ei homini, cujus tot ac tam præclara opera fato præmaturo intercepta ſint, ad componendum tam illuſtre tantique ſtudii poema ſatis otii fuiſſe, recte judicat BERN. DE LA MONNOYE *l. c.* qui &, longe diverſum eſſe, ſi genus ſcribendi ſpectes, PULCIANUM hoc opus a ceteris, quæ ſuperſunt, Carminibus POLITIANI vernaculis, teſtatur. Nec nos igitur, donec certiora nobis innoteſcant, vulgarem deſeremus ſententiam, inprimis cum

&

& præstantissimi Italorum Scriptorum, & maxime Socii *Academiæ della Crusca* in *Vocabulario* suo, ei addictos se præbeant. Conf. P. JUL. NEGRI *Istor. degli Scritt. Fior. p. 390.*

(c) Exstat sub ADRIANI POLITI nomine paucarum plagularum libellus, quo legendæ Historiæ Romanæ ordo præscribitur, &, quid in unoquoque Scriptorum veterum, qui res Romanas tradidere, singulare sit ac præcipuum, brevioribus diligenterque conceptis formulis indicatur. Prodiit is primum *Venetiis A.1627,4*, (vid. TH. HYDE *Catal. libr. impress. in Bibl. Bodlej. P. II. p. 67*,) postea Helmestadii a CHRISTOPH. HEIDMANNO, tum Soræ in Dania ab HENR. ERNSTIO, *Parmæ* etiam *A. 1691* inter GAUDENTII ROBERTI *Miscellanea Italica erudita T. III. p. 553*, nec non cum BONIFACII *de Quadraginta Romanæ Historiæ Scriptoribus judicio Helmestadii A. 1674 a* JO. EBERHARDO BUSSMANNO editus. Is ipse BUSSMANNUS, cum, quid hominis esset POLITUS iste, cum bene multis ignoraret, (nam, quem HIERON. GHILINUS nobis memorat ejus nominis JCtum Senensem in *Teatro degl' huom. letter. P. I. p. 1*, non eum videtur satis habuisse cognitum,) conjectura quadam quasi extemporali, nec rationibus ullis, nisi nominum forte similitudine, munita, ad POLITIANUM autorem referre hoc, quicquid est brevioris opellæ, visus est. Ita enim in Præfatione, Opusculis, quæ diximus, præmissa, duobus tantum verbis, & velut in transcursu: *Ceterum adjunctus est his Excerptis — — Adriani Politi (an Angeli Politiani?) de ordine in Historiæ Romanæ lectione observando libellus*, &c. Quo plausu excipienda sit ejus generis divinatio verius, quam conjectura, nemo non intelligit Lectorum. Non, quicunque de POLITIANI scriptis commemorarunt, in his unus est, qui tale quid ab eo compositum tecto nomine referat. Nec, si verisimilitudinem spectes, causam habuisse videtur Noster, cur argumenti tam vulgaris, nec suspecti quidquam habentis, labori alienum nomen præfigeret. Quodsi vero latere sub alieno nomine voluit, non adsciscendum ipsi tale fuit, cujus tanta esset cum suo cognatio, ut, qui POLITUM legeret, statim is sponte sua POLITIANI meminisset. Accedit huc, libellum, etsi satis tolerabilem, & juventuti cum fructu aliquo legendum, non iis tamen verborum sententiarumque floribus, quibus

POLITIANI omnia, consperſum eſſe. Denique, cum fuerit omnino aliquis ADRIANUS POLITUS, quem in lectione veterum Hiſtoricorum verſatiſſimum fuiſſe conſtat, (transtulit enim POLITUS ille, quem GHILINUS memorat, *Hiſtorias* TACITI in Latinum ſermonem, idque circa annum 1515,) ad hunc ipſum, meo judicio, quam ad alium quemcunque, propius ſpectare iſtius libelli gloria videtur.

(*d*) Quam ad MATTHIAM, Pannoniæ Regem, miſit POLITIANUS (*Lib. IX. Ep. 1*) *Hiſtoriam poeticam omnium vatum, uberiore vena a ſe decantatam*, jam ſupra *§. II. not. (dd)* hujus *Sectionis* oſtendi, nihil differre a Carmine, *Nutricia* inſcripto, quod eſt in omnium manibus, POLITIANI ſcriptis reliquis adjunctum. Non erat igitur, cur dubitanter ſcriberet HENR. BRENCMANNUS in *Hiſt. Pandect. Lib. IV. Cap. I. p. 308: Hiſtoriam poeticam omnium vatum, uberiore vena a ſe decantatam, ipſe ad Matthiam, Pannoniæ Regem, profitetur, cum promiſſis ſubſecuturorum mox copioſiſſimorum Commentariorum; niſi forte Carmina ſua Nutricia denotet.* Qui enim diverſum eſſe poterat a *Nutriciis* Carmen id ipſum, quod *Hiſtoriam poeticam omnium vatum* POLITIANUS dicit, cum unum id egerit ille in *Nutriciis*, ut veterum Poetarum & fata, & Carmina, & virtutes, ſtilo poetico exponeret?

(*e*) Error eſt vix venia dignus JO. HENR. BOECLERI, ARRIANI *Epicteteas Diſſertationes* in numerum eorum librorum referentis, qui ſunt e Græco in Latinum translati a POLITIANO. Factum id ab eo non una, ſed quaternis vicibus, ut mirari vix ſatis poſſim, unde tam certo ſibi perſuaſerit rem tam manifeſto falſam. Primum in *Diſput. ad Lipſii Politica p. 85: Alter Epicteti interpres, & quidem utilior, qui legatur, eſt Arrianus verſione elegantiſſima.* Tum in *Hiſtor. Sec. IV. p. 164: Exſtat etiam diligentiſſimum opus Diſſertationum Arriani, quod Angelus Politianus itidem puriſſime & elegantiſſime vertit.* Porro in *Commentar. de Scriptor. Græc. & Lat. p. 54*, ubi varia nos docet, quæ ſunt aliorum teſtimoniis deſtituta prorſus: *Epicteti Enchiridion (* editum eſt *) cum Diſſertationibus Arriani in Epictetum, eodem Politiano interprete, edente Luca Holſtenio, Cantabrigiæ, 1655, 8.* Nunquam, quod ſcimus, HOLSTENIUS in ARRIANI *Diſſertationibus* occupatus fuit, certe, quæ *Cantabrigiæ* prodiit editio,

nulla

nulla HOLSTENIANÆ induſtriæ veſtigia præbet. Addimus ultimum locum ex *Bibliogr. Crit. Cap. 43. §. 4. p. 625. edit.* KRAUS.: *Τόπον ἠθικὸν diligenter excoluerunt Stoici, e. g. Epictetus in Enchiridio, ſeu ſumma Philoſophiæ Stoicæ, & Arrianus in iſtud Enchiridion, a Politiano Latine verſus, item Simplicius.* Nunquam POLITIANO in mentem venit, in Latinum ſermonem transferre amplum hoc ARRIANI opus, ſed ſubſtitit induſtria ejus in *Enchiridio* EPICTETI, quod ipſum, ſunt, qui ad autorem ARRIANUM referant, in quorum & numero ipſe POLITIANUS fuit, ut patet ex Epiſtola ejus ad LAURENTIUM MEDICÆUM, Latinæ ARRIANI interpretationi præmiſſa. Inde forſan natus error BOECLERI, non accurate ſatis *Diſſertationes in Epictetum* ab *Enchiridio*, JACOBI SCHEGKII laborem a POLITIANI interpretatione, diſtinguentis. Vide, quæ diximus eam in rem ſupra *Sect. I. §. X. not. (f).*

(f) Eſt Florentiæ ædes S. Mariæ Novellæ ſacra, cui ordinis Dominicani homines præſunt; in cujus porticu ſtatim primo, inter alias tabulas pictas, creationem mundi exprimentes, imago conſpicitur Abelis & Caini, ſacrificium Deo offerentium, cui adſcriptus legitur verſus:

Sacrum pingue dabo, non macrum ſacrificabo,
Sacrificabo macrum, non dabo pingue ſacrum;

cujus altera pars ad Cainum, altera ad Abelem, ſpectat. Habetur Diſtichon hoc retrogradum, tanquam artis plenum, & quod paucis imitari dextre licuit, in præſtantiſſimis ſuperiorum temporum reliquiis, & cum magna Autoris commendatione peregrinantibus oſtenditur. In Italia communis rumor eſt, inventionis hujus gloriam deberi POLITIANO; idque perſuaſiſſimum ſibi habet ipſe PETR. BÆLIUS in *Dict. hiſt. T. I. p. 716*, nec non JOAN. MABILLONIUS in *Muſ. Ital. T. I. p. 162.* Nec deſunt tamen, qui de veritate hujus rei valde dubitent, in quibus præ ceteris nominandus ÆGID. MENAGIUS, in meris hominum eccleſiaſticorum, quibus ædis illius cura eſt commiſſa, traditionibus id numerans, verſiculumque illum ætate POLITIANI longe antiquiorem reputans, in *Menagian. T. I. p. 248.* Sed rationes, quas profert, non ſunt ejusmodi, quibus multum ineſſe ponderis putandum ſit. Si POLITIANUM autorem habuit

verſiculus, quidni, inquit, acceſſit is reliquis POLITIANI Carminibus, quæ ſunt poſt mortem ejus conjunctim edita? Nec objici ſibi patitur, alia multa in collectione Carminum POLITIANI deſiderari, quæ, nullum ſit dubium, a POLITIANO compoſita. De aliis longe certius conſtare, reſpondet, a POLITIANO eſſe compoſita, quam de hoc ipſo verſiculo. Ego vero, quod in libro Carminum POLITIANI fruſtra quæratur leve hoc, ſi menſuram ſpectes, Diſtichon, inde factum puto, quod absque ipſa Caini & Abelis imagine vix recte poſſit intelligi, certe parum habeat ſuavitatis, nec in animo fuerit editori Carminum, quicquid unquam verſiculorum ſcriptum eſt a POLITIANO, in hunc faſciculum colligere. Nullum enim eſt dubium, tantum eorum, quæ ingenii cauſa in rem obviam quamque cecinit Poeta noſter, numerum fuiſſe, quantus vix cogi in has anguſtias potuerit. Quidni vero in re tam levi ipſis traditionibus habendam fidem putemus, cum nihil hinc timendum ſit rei ſacræ, nihil miraculorum hic contigiſſe audias. Non eſt moris, in annales referre tam levia, aut marmoreis monumentis inſculpere; cujus generis teſtes ubi deficiunt, quidni famæ & rumoribus publicis credendum? inprimis cum nihil obſtet, quin eodem jure POLITIANUS, quo alius quicunque, verſiculi tam elegantis dici autor poſſit.



ADDEN-

ADDENDA.

Ad *pag.5. not.* (*c*) notandum inprimis, de iis, quæ errandi occasionem suppeditarunt PATINO, non ita persuasum nobis certo esse, ut feliciorem negemus hac ipsa excogitari conjecturam posse. Non enim habeat nos sibi adversantes adeo, si cui mutuatus id nominis PATINUS a JO. PETITO videatur, circa Seculi XV maxime initia claro, Theologiæ (non Jurisprudentiæ, ut frustra habet *Lexicon Erudit. Germanicum T. II p.518,*) Professore Parisiensi, homine eloquentissimo, sed nimium audace, qui publica Oratione defendit cædem injustam, LUDOVICO, Duci Aurelianensi, illatam a JOANNE, Duce Burgundiæ. De eo multa PETR. BÆLIUS in *Dict. Hist. T. III. p. 2268 seq.* Addimus his alia; nam, quid potuerit accidere, quam quid acciderit re ipsa, longe facilius definitu. Prodiere Parisiis ex officina *Joannis Parvi A. 1505 Miscellanea* POLITIANI, cum aliis aliorum Scriptorum libellis elegantioribus. Eum in librum cum forte fortuna incideret, factum; finge, ut, parum accurate inspecta ejus fronte, nomen Typographi nihil differre PATINUS a nomine Autoris putaret, atque sic inconsulte nimis inter se commisceret, quæ essent omnino longe diversissima. Quocunque demum te conjectura ducat, nunquam habebis, quo salvam præstare causam PATINI possis. Erravit sane vir bonus, fecitque in eo, quod solent homines. In meliorem id, cum sit leve, sæpiusque contigerit excellentissimæ doctrinæ scriptoribus, partem interpretari, nos quidem æquitatis judicamus.

Ad *pag. 6* & sequentes quæ te velim, bone Lector, pauca sunt. De cognomine POLITIANI ante paucos annos ex instituto egit Vir quidam eruditus, atque excellenti præditus ingenio, qui nomen suum sub literis J. B. V. E. occultavit, in libro eleganter scripto, & lectu perquam jucundo, cui rubrum: *Freymüthige Gedancken aus der Historie, der Critic, und zumahl der Litteratur;* quem Jenæ prodiisse, sat certo constat, etsi urbem Coloniam libri rubrum mentiatur. Satis hic diligenter *p.121 seq.* percensentur ea, quæ NAUDÆUS in *Mascurat p. 83,* MENAGIUS in *Orig. Ital. voce Poliziano,* BAYLIUS in *Dict. Hist. & Crit. Art. Politien,* MACHIAVELLUS in *Historia Florentina p. 349*, & TOSCA-

NUS in *Peplo Italiæ p. 23*, de vero POLITIANI nomine, vel *Bassi*, vel *Cini*, literis consignarunt; verum, quod in libro, tanta rerum bonarum copia instructo, inventurum me certissime sperabam, cognominis *Ambrogini* nulla prorsus hic injecta mentio. Ut adeo (si quid nempe hac in re situm est laudis & gloriolæ,) eam mihi gratulari felicitatem possim, quod primo mihi adire eos fontes licuerit, unde rem, vel iis ipsis ad hunc usque diem ignoratam, qui præclara alioqui pollent rerum ejusmodi notitia, haurire tandem oportuno tempore, & in luce collocare publica, potuerim. Quandoquidem vero eodem in loco idem Scriptor bonus & industrius nomen *Politiani* ea magis de causa adscitum ANGELO nostro, quod esset in eo aliquid ad Romæ veteris ingenium effictum, quam quod esset urbis patriæ, Politiani, ipse studiosior, contendit; id mihi, si dicendum, quod res est, videtur ipse perhibere confidenter nimis. Nam, si cum nomine *Politiani* commutavit Noster nomen *Bassi*, quæ ipsa Scriptoris hujus est sententia, hoc minus, factum id ab eo structuræ Latinæ causa, putarim, quo propius cognomen *Bassi* accedit ad Romanæ linguæ genium, quoque longius ab illo abest *Politiani* cognomentum. BASSOS enim ætas prisca bene multos tulit; POLITIANUM autem, vehementer dubito, an in priscis Latii monumentis, qualibuscunque demum, vel unum legas. Et sane *Bassi* nomen tam fuit, ut supra a me dictum memini, probatum ANGELO COLOTIO, homini antiquitatis amantissimo, ut substituturus in nominis gentilitii, *Colotii*, locum aliud Latinum magis, id ipsum *Bassi* nomen adoptaverit præ ceteris. Cumque in *Politiani* nomine nihil plane vetustatis insit; ne nobis quidem, qui, nomen *Ambrogini*, aut, quæ vox est contractior, *Cini*, fuisse ANGELO, certius edocti sumus, existimandum est, Latinæ compositionis ergo adscitum ei, abjecto veteri, nomen *Politiani* esse. Illis, qui prodiisse genere BASSORUM dixere ANGELUM, nominatis supra *p. 8. not. (f)*, accedit Scriptorum recentissimorum par, Gallus alter, alter, quod mireris, Italus, PETRUS DANIEL HUETIUS & ANTONIUS BALDASSARRUS, ille in *Huetianis p. 18*, hic in *Compendioso ristretto delle Vite di Personaggi illustri per la scienza p. 33*. Quorum mentionem neutiquam existimavi hic loci prætermittendam, ut appareat, ne nostri quidem ævi Scriptores dili-

diligentiſſimos, ut veterem illum, & inde ab aliquot Seculis propagatum ad hæc tempora, errorem deponerent, a ſe potuiſſe impetrare.

Cognomen *Baſſi* adſcitum fuiſſe ANGELO COLOTIO, cum multis Scriptorum teſtimoniis confirmatum eſt *p. 9 ſeq.* tum ſatis perſpicue cognoſci poteſt ex JOANNIS PIERII VALERIANI ad hunc COLOTIUM literis, Dedicationis loco præmiſſis *Libro XXIII Hieroglyphicorum;* in quarum fronte inſcriptum eſt nomen *Angeli Colotii Baſſi.* Quod teſtimonium, tanquam ejus, qui amicus COLOTII & æqualis fuit, momenti omnino hac in cauſa permultum habet.

Quæ de nominis *Ambrogini* in *Cinum* converſione diximus *p. 14 not. (l)*, inſignem lucem accipiunt ex his, quæ eam in rem copioſe attulit nobiliſſimus ille ſolertiſſimusque rerum patriarum inveſtigator, LUD. ANT. MURATORIUS, in doctiſſima Præfatione, præmiſſa ANDREÆ DEI *Chronico Senenſi*, cui locum dedit in *Tomo XV Scriptorum Italiæ*, quos incredibili induſtria in lucem protulit, & adhuc proferre pergit, decus illud Reipublicæ Mutinenſis, quin univerſæ Italiæ, incomparabile.

Illis, quibus idem fuit, quod POLITIANO, cognominis, adjunxi *p. 19. not (r)* ANTONIUM LAURENTIUM POLITIANUM quendam, ſecutus in eo fidem BÆLII, qui hominis hujus ampliſſimam mentionem facit in *Lexico hiſtorico.* Poſtea in hujus ANTONII forte fortuna librum incidi, quem *de Numero, ordine, & motu cœlorum, adverſus recentiores*, inſcripſit, ediditque Pariſiis *apud Februarios* A 1606, 12. Quem ubi paullo curatius inſpexi, agnovi errorem BÆLII, cognomen LAURENTINI cum prænomine LAURENTII commutantis, & POLITIANI cognomen tribuentis ei, ad quem non magis illud pertinebat, quam ad alios quoscunque, oppidulo Politiano oriundos. Etſi enim in fronte libri inſcriptum ſit nomen *Anthonii Laurentini Politiani;* non tamen gentilitium fuiſſe *Politiani* nomen, ſed tale ſaltem, quale quisque addere nomini ſuo ſolet indicandæ patriæ cauſa, ex eo patet, quod in illis, quas dedit ad JOANNEM MEDICEM, literis, huic libello præmiſſis, nomen ſuum ANTONIUM LAURENTINUM dixit. Ceterum ex libro iſto haud obſcure cognovi, ad ultimos usque

que Philosophiæ subtilioris recessus penetrasse hunc LAURENTINUM, resque naturales & sideralem scientiam edoctum fuisse haud vulgariter.

Ad ejusdem *pag. not. (r)* notandum illud est, non accurate satis DAN. GUIL. MOLLERO in *Diss. de Ang. Politiano §. V. p. 4* scriptorem illum *Microscopii Statistici* HELENUM POLITIANUM dici, qui POLITANUS dicendus erat. Legitur enim hoc nomen viri in *Catalogo Bibliothecæ Dæringianæ p. 301*, ubi locus datus illi *Microscopio*, edito A. 1672, 12. Habeat & meum αὐτόπτου testimonium momenti aliquid. Libello hoc ipse utor, & ex inspectione ejus cognovi, eundem esse, quem scriptoribus multis sub titulo *Dissertationis de Dominio eminente* memorari legimus. Verba enim rubro libri inscripta hæc legas: *Microscopium Statisticum: quo status imperii Romano-Germanici, cumprimis extraordinarius, ad vivum repræsentatur. Hoc est, Dissertatio de Dominio eminente in Imperio Romano-Germanico. Authore Heleno Politano. Anno 1672.* Urbis, in qua prelo liber exiit, non additum hic indicium. Geræ tamen impressum, nescio, quo autore, dicit JO. BECHTOLDUS in *Loc. commun. p. 200.*

Libellis illis, a quodam JOANNE ANGELO POLITIANO Ambergæ editis, in quorum autorem inquisivimus *p. 20. not.* (*s*), locus etiam datus in *Catalogo Bibliothecæ Bodlejanæ p. m. 23*, inscriptosque ibi hunc in modum videas: *Joannis Angeli Politiani Expositio in Philosophiam Eucharisticam Bellarmini de Potentia & voluntate Dei; Pars I. Ambergæ, 1604. 4. Pars altera de Transsubstantiatione refut. Ambergæ, 1606. 8.*

AGNES illa POLITIANA, cujus non nisi nomen protuli *p. 27. not.* (*p*), ob singularem vitæ sanctimoniam, & mores inculpatos, quibus præ reliquis præfulsit olim, Sanctorum ordini adscripta est ante paucos annos a BENEDICTO XIII, Pontifice. Ejus vitam ac virtutes, quæ perhibentur prorsus admirabiles, libro integro complexus est Lutetiæ Parisiorum A. 1728 JOSEPHUS RUFUS (*le Roux*), Prior Ordinis, qui nomen habet a S. Dominico. Inscriptus est liber: *La vie de Ste Agnez de Montpolitien, Religieuse de l'Ordre de S. Dominique.* Forma libri est 12.

Scriptis LÆLII MANCINI, quorum mentionem fecimus *p. 28. not.* (*u*), librum *de Relaxatione juramenti, Controversias Juris*

sacri

sacri, de Restitutione famæ libellum, & *Vitam S. Antonii Patavini*, addit NICOL. COMNENUS PAPADOPOLUS in *Historia Gymnasii Patavini T. I. Lib. III. Sect. I. Cap. 30. p. 272.*

De matre ANG. POLITIANI nihil memoravi *p. 29. not. (y)*, neque tunc, quæ memorarem, suppetebant mihi. Factum tamen est postea temporis opera PETRI GIANNONII, Viri honestissimi, & ad hunc diem rerum mearum studiosissimi, ut ad me perferrentur ex Italia S. Rev. Abbatis BOTTARI literæ, ex quibus cognoscerem, matri POLITIANI fuisse nomen AGNETIS TAURGI, nec esse mihi de eo dubitandum, cum memoriæ proditum sit in monumentis historiarum certissimis. Fidem negare Viro in investigandis rebus ejusmodi diligentissimo, equidem non audeo; etsi monumenta, unde hæc ipsi fuerant depromta, non indicaverit is nominatim. Ignorare hæc Lectores meos nolui, ut intelligant, nihil a me curæ & laboris intermissum, ut, quæ pertinere ad historiam POLITIANI quoquo modo videbantur, quantumvis obfuscata tenebris, & ignorata antehac, jam demum iis, qui literarum hoc genus non fastidiunt, innotescerent omnibus. De gente vero, patria, moribus, rebusque domesticis AGNETIS hujus cum nihil adjectum sit in illis præstantissimi BOTTARI literis, nec ipse habeo, quæ possim hic expromere.

Epigrammati *ad Fontium*, a me prolato *p. 30. not.* (z), quo curtam rerum suarum supellectilem deplorat POLITIANUS, aliud addimus, *ad Fures* inscriptum, quo genus illud hominum improbum ac nefarium a se, tanquam homine omnium pauperrimo, longius propellit:

Ite alio fures, nulla hic occasio lucri,
Nam fida est custos addita pauperies.

Legitur id in *Epigrammatum ejus* libello.

Mentionem feci *p. 31. not. (l)* PHILIPPI, pictoris celebris, quem *fratrem* vocat POLITIANUS in Epigrammate quodam. Is utrum POLITIANI re vera frater fuerit, an alia de causa hoc nomine appellatus, nec nunc certo definire licet. Nihil enim ea de re scriptores alii; etsi non desint, qui, maxime excelluisse hunc PHILIPPUM nobilissima pingendi arte, suo confirment testimonio. Dignissima inprimis sunt fide nostra, quæ canit illius seculi Poeta venustissimus, UGOLINUS VERINUS, in *Libro II.*

Carminis de illustratione urbis Florentiæ, cui locus datus in *Carmin. Illustr. Poet. Ital. T. X. p. 352:*

Spirantes tabulas tanta nunc arte Philippus
Excolit, ut Cous rediisse putetur Achilles,
Grajorum nullo inferior, nulloque Latino.

Esse enim PHILIPPUM hunc plane eundem, cujus laudes decantatæ sunt a POLITIANO, vix possit in dubium vocare, nisi opinator difficillimus. Binos eodem tempore exstitisse ejusdem nominis pictores, eosdemque in arte sua excellentissimos, verisimile mihi quidem non videtur. Fuit igitur, si POLITIANI fratrem dicendum putas, fratre isto PHILIPPUS prorsus dignissimus.

Puero admodum hanc felicitatem contigisse POLITIANO, ut in domum Medicæam receptus, patrocinio beneficiisque COSMI uteretur, præter ea, quæ attuli *p. 34. not.* (*a*), illa etiam POLITIANI verba testantur in *Elegia extemporanea ad Laurentium Medicem juniorem*, quam legimus in *Volumine Carm.* ejus:

Ille domi vestræ tenero nutritus ab ungui,
Sed tuus ante omnes, Politianus, amor.

Annos non nisi unum & decem administratum a POLITIANO docendi Græcas & Latinas literas munus publicum, idque ei susceptum anno demum ætatis nono & vigesimo, supra *p. 62* & *63 not.* (*e*) & (*b*) fide G. J. VOSSII & JAC. PHIL. BERGOMENSIS docui. Sed, falli hos ipsos, meque cum illis, & prælectas publice a POLITIANO humaniores literas continuo annorum quatuor & decem, forsan & longiori, spatio, postea ex ipsius POLITIANI ad PHIL. BEROALDUM literis, *Lib. VI. Ep. I*, didici. In his, Calendis Aprilibus anni 1494 scriptis, mentionem Noster facit *Annotationum* suarum in *Sylvulas* STATII, quæ *quarto decimo fere abhinc anno*, se *easdem publice Sylvulas enarrante, exceptæ sint.* Quæ si vere sunt scripta, ut certissimus rerum suarum testis est POLITIANUS ipse, nihil esse planius potest, quam anno ætatis jam sexto & vigesimo huic muneri admotum, eidemque annos quatuor & decem (si quidem eo non abiit ante vitæ diem ultimum,) præfuisse POLITIANUM.

MODESTO illi, quem in discipulorum POLITIANI numero collocandum dixi *p. 77. not.* (*b*), conjectura quadam, nescio an satis felici, librum *de Vocabulis rei militaris*, cujus autorem alii MODESTUM quendam, Seculi III hominem, alii JULIUM MODESTUM,

DESTUM, libertum HYGINI, perhibent, tribuit CASP. BARTHIUS in *Animadv. ad Claudiani Rufin. Lib. II. v. 177. p. m. 61.* Ita enim verba ejus: *Modestus is* (qui ſcripſit *de Vocab. rei milit.*) *fortaſſis proavorum memoria eſt Criticus ille, cui cum Politiano fuit familiaritas. Sed de eo accurate in libro de dubiis Scriptoribus.* Doleo, librum hunc BARTHII aut prodiiſſe nunquam, aut mihi innotuiſſe nondum. Itaque in conjecturæ hujus, nondum adeo munitæ, robur inquirant ſagaciores, velim.

In diſcipulis POLITIANI, quos *pag. 76 ſeq.* nominavimus, ſuo jure annumerandus eſt nobiliſſimus Luſitanorum civis, ARIUS (vulgo ARIAS) BARBOSA, Aveiro, Portugalliæ oppido, natus, clariſſimus Rhetoricæ in Academia Salmanticenſi Profeſſor, Poeta etiam prænobilis, cujus in ARATORIS, Presbyteri, Poema *de Apoſtolorum rebus geſtis* ampliſſimus Commentarius, *de Proſodia* Opuſculum, & aliud, *Epometria* inſcriptum, cum *Epigrammatum*, ſeu *Operum poeticorum*, libello, Luſitanis æſtimantur plurimi. De his diligenter agit NIC. ANTONIUS in *Bibl. Hiſp. Tom. I. p. 132.* Is, poſitis in Salmanticenſi ſchola primis literarum fundamentis, ſublimioris acquirendæ doctrinæ cauſa Florentiam petiit, ubi commoratus aliquot annos, Græcæ Latinæque linguæ præcepta ex ore POLITIANI hauſit, tantosque intra breve tempus fecit progreſſus, ut reverſus Salmanticam, ſtatim docendæ eloquentiæ, tam Græcæ, quam Latinæ, munus obtinuerit publicum. Ejus rei notitiam nobis ſuppeditat JO. BAPTISTA GYRALDUS in *Dial. II. de Poet. ſuor. temp. p. m. 555*, cujus hic utar teſtimonio: *Fuit, Arius Barboſe Poeta Luſitanus, qui in Italia ſub eodem Politiano politioribus literis operam dedit, & primus Græcas literas in Hiſpaniam invexit, & Salamancæ viginti annos publice bonas literas profeſſus eſt:* &c. Addam &, quæ eam in rem NIC. ANTONIUS *l. c.* profert: *Arius (vulgo Arias) Barboſa, — — cum Salmanticæ rudi adhuc illo XIV Seculo literis puer vacaſſet, pretioſiorum, quæ in Italia expoſitæ cuivis erant, mercium avidus, eo pertranſiit, Florentiæque Angelum Politianum ſtudioſiſſime aliquot annis frequentans, in utraque lingua, Latina Græcaque, ſic profecit, ut reverſus Salmanticam, publice in Academia ex cathedra Rhetoribus deſtinata hujus artis præcepta, atque utriusque linguæ eloquentiam, docuerit.*

Nec minus adjungi ceteris POLITIANI discipulis meretur LUDOVICUS TENSIRA, & ipse Lusitanus, vir nobili ortus genere, & præclare doctus, sed nullis, quod constet, scriptis editis inter eruditos cognitus. Is, studiorum causa patria egressus, in Italiam se contulit, Florentiæ inprimis POLITIANO nostro elegantiorum literarum magistro usus. Non habeo, unde id discam, nisi ex GYRALDO, cujus honestatum præconio video TENSIRAM *Dial. II. de Poet. suor. temp. pag. 555. Eodem*, ait, *Hermici tempore Lud. Tensira, vir nobilis & eruditus, Ferrariæ commorabatur, quem omnes urbis Principes propter ejus nobilitatem & morum suavitatem amabant. Discipulus hic fuit Florentiæ Politiani, ubi Hispanas & Lusitanas cerimonias cum deliciis & elegantia Florentinorum conjunxerat* : &c.

Quæ *p. 81* & *82* de THOMA LINACRO, Anglo, memorata sunt, his addere ex JOVII *Elog. doct. vir. Cap. 53. p. m. 137* lubet politissimum JO. LATOMI, Poetæ egregii, in THOMAM Epigramma, in quo de ipso POLITIANO quædam dicta sunt admodum honorifice:

Dum longum Italiæ vale juberet,
Thusque in graminea cremaret ara,
Qua tuas aperis, Gehenna, fauces,
Linacrus patrios petens Penates:
Sic amore viri locuta fertur
Arnis, impatiens Ethrusca Nympha:
Ah, sic Arnida? sic tuam puellam?
Sic linquis veteres tuos amores?
Et præ me petis Anglicas puellas?
Quid rerum hic, quod ames, valet deesse?
Illic, quod cupias, potest adesse?
Gaudes barbarie? Hermolaon eccum: at
Quem pro deliciis habent Camœnæ.
Sin autem caperis nitore linguæ?
Hoc nil tersius est Politiano.
Sed gaudes refluum vehi per æquor?
Ah, his jam in lachrymis potest natare:
Et, quæ te huc revehent, redito tantum,
An rupes patrias amas videre?
Te, Linacre, aperi, nec ibis ultra.

Quid?

Quid? quod Italiam miser relinquis,
Cum sis Italica eruditione,
Romano ingenio, lepore Thusco?
Totus noster homo es: sed Angla mens est.
Ille abivit: & hæc soluta in undas.

Discipulis POLITIANI *p. 82. not. (g)* adjunxi JOANNEM BAPTISTAM EGNATIUM, hominem Venetum, THUANI maxime confirmatus testimonio. Non obvenisse tunc mihi, qui labefactatum iret auctoritatem THUANI, Scriptorum quemquam memini. Jam demum, in contrarias abire partes NICOL. COMNENUM PAPADOPOLUM in *Historia Gymnasii Patavini T. II. Lib. 2. Cap. 17. p. 200*, animadverto. POLITIANUM unquam venisse Venetias, aut Florentiam EGNATIUM, negat ille confidenter satis. Si igitur congressi nunquam, non docere alter alterum præceptor, non alter alterum audire discipulus, potuit. Quin, constare satis, scribit, eo tempore, quo diem suum obiit POLITIANUS, Patavii operam dedisse literis EGNATIUM, nec evocatum inde Venetias ante annum 1507. Quæ si vera omnia, condemnandi nos cum THUANO nostro erroris videmur satis manifesti. Age tamen, solemur causam nostram, &, ut dictorum rationem reddat, provocemus PAPADOPOLUM. Nunquam, fateor, publice POLITIANUS bonas artes docuit Venetiis; neque tamen ideo discipulorum POLITIANI numero eximendus statim EGNATIUS. Satis nobis sit, fuisse aliquando Venetiis POLITIANUM, atque hic commoratum aliquamdiu. Non puto, tam fore, ut neget hoc ipsum, pertinacem PAPADOPOLUM. Multa legas in POLITIANI ad homines Venetos epistolis, quæ in eam adducere te conjecturam possint; & diserte scribit JAC. PHIL. TOMASINUS, scriptor non negligendus adeo, in *Elogiorum Vol. II. p. 349: Non igitur mirandum, si doctissimus Politianus Cassandræ potissimum videndæ causa Venetias profectus fuerit, quem illa eleganti habitu & politissimis verbis humaniter excepit.* Quid vero, si, ea ipsa occasione usum, & eo ipso tempore in disciplinam POLITIANI dedisse se EGNATIUM, existimes? Forsan prælegendis literis suffecit tempus vel brevissimum. Parum id verosimile, inquis? audi alia. Literis institutum EGNATIUM, negat PAPADOPOLUS, nisi a præceptoribus Patavinis. Sed ejus rei, velim, testem proferat. Desideramus hunc merito. Non enim, quod Patavii conse-

dit ſtudiorum cauſa annos complures, id manifeſto adeo nos docet, Florentiam veniſſe nunquam EGNATIUM. Tranſegerit ſane, quod ipſum autore nullo perhibet COMNENUS, inde a morte POLITIANI annos tredecim Venetiis; Florentiæ jam multos annos ante POLITIANI uti diſciplina potuit. Eo enim tempore, quo diem ſuum POLITIANUS obiit, ætate tam fuit matura EGNATIUS, ut, ad Muſarum ſacra jam longe ante admiſſum eum, ſatis ſit veroſimile. Quæ ſi cum animo tuo, Lector, conſideres, ſtabis forſan a noſtris partibus, &, ſi vel dubii aliquid habere eam rem contenderis, omnem tamen fidem negare THUANI, ſcriptoris probatiſſimi, teſtimonio, vix audebis.

Rationibus illis multis & firmiſſimis, quibus, annum POLITIANO vitæ ultimum fuiſſe Seculi XV quartum & nonageſimum, oſtendimus *Sect. I. §. XX. not. (c)*, addimus jam novam hanc, ex *altera* HENR. BRENCMANNI *ad* CORNELIUM DE BYNCKERSHOEK *Epiſtola MSta* petitam, quod annus iſte mortis in *Fratrum D. Marci Necrologio*, quod Florentiæ aſſervatur, ab ipſis POLITIANI æqualibus ſit annotatus.

Ceterum diſſimulare nullo modo poſſumus, vel noſtra, vel Typographi, factum negligentia, ut quædam paſſim per opellam noſtram parum accurate, nec ſatis ad mentem noſtram, expreſſa legantur. Quorum etſi, vel tacentibus nobis, facile nos impetraturos veniam ſperamus ab iis eſſe, qui æquitatem in judicando amant; indicabimus tamen eorum vel potiſſima, ne ignoraſſe errores illos videamur moroſioribus opellæ noſtræ lectoribus, iis ipſis, qui, cœci in ſuis, lyncei in alienis, cavillandi nullam prætermittere occaſionem ſolent. Ita in *Præf. pag.* 12 *lin.* 24 pro *obſtili* legas *ob ſtili* ; *pag.* 19 *lin.* 7 pro *objurgarent* l. *exprobrarent*, & *pag.* 28 *lin.* 20 pro *Italia* l. *Italiæ* ; in ipſa *Diſſert. pag.* 1 in margine, velim, deleas *Nomen Politiani* ; *p.* 4 *lin.* 2 pro *Norimberga* l. *Norimbergæ* ; *ead. pag. lin.* 11 pro *prolixum* l. *ampliſſimum* ; *p.* 4 *lin.* 16 absque interpoſito commate legas *dictum eſt uberrime* ; *p.* 5 *lin.* 34 pro *indigitatus* l. *indicatus* ; *p.* 6 *lin.* 18 pro *pronomen* l. *prænomen* ; *p.* 7 *lin.* 8 pro *Baſs*, l. *Baſſ.* ; *pag.* 12 *lin.* 24 pro *prolixioribus* l. *firmioribus* ; *ead. pag. lin.* 34 pro *ſi* l. *ſit* ; *p.* 15 *lin.* 12 pro *quam* l. *quæ* ; *ibid. lin.* 13 pro *quispiam* l. *cuiquam* ; *pag.* 15 *lin.* 13 pro *ſuboluerat quidem* l. *ſubodoratus quidem fuerat* ; *pag.* 16 *lin.* 7 pro *adſcenderat* l. *adſcenderet* ;

pag. 21

pag. 21 *lin.* 6 pro *Politiano* l. *Politianum* ; *ead. pag. lin* 7 pro *dicto,oppido*, l. *dictum, oppidum* ; *ead. pag. lin.*8 pro *sito* l. *situm* ; *p.* 23 *lin.* 25 pro *ipsa* l. *in ipsa urbe* ; *p.* 24 *lin.* 25 pro *plurimique alii* l. *aliorumque* ; *p.*25 *lin.* 6 dele *etiam* ; *p.* 26 *lin.* 27 post *Cardinalis* ponas comma ; *p.* 27 *lin.* 5 pro *Ughellum* l. *Ughellus* ; *ibid. lin.* 12 post *esse* l. & ; *p.* 28 *lin.* 27 pro *verbulo* l. *verbo* ; *p.* 31 *lin.* 9 pro *verbulum* l. *verbum* ; *p.* 34 *lin.* 24 pro *Cosmum tamen simul indigitasse videtur*, l. *ad ipsum tamen videntur ejus parentem Petrum, avumque Cosmum, pertinere* ; *pag.* 34 *lin.* 31 pro *prolixius* l. *copiosius* ; *ead. pag. lin.* 33 pro *intulit* l. *facit* ; *p.* 35 *lin.* 18 pro *literæ* l. *epistolæ* ; *p.* 36 *lin.* 22 pro POLITJANUM l. POLITIANUM; *p.* 37 *lin.* 7 pro *literæ* l. *epistolæ* ; *pag. ead. lin.* 10 pro *prædicavit* l. *extulit* ; *ead. pag. lin.* 31 pro *Agyropylus* l. *Argyropylus* ; *p.* 41 *lin.* 33 pro *III* l. *II* ; *p.* 43 *lin.* 1 pro *Nostro* l. *nostro* ; *p.* 47 *lin.* 13 pro *ullum* l. *ullam* ; *pag.* 51 *lin.* 2 pro *prolixior* l. *longior* ; *ead. pag. lin.* 16 pro *compositum* l. *compositam* ; *p.* 82 *lin.* 2 pro *63* l. *53* ; *p.* 83 *lin.* 19 pro *fubi* l. *ubi* ; *p.* 85 *lin.* 9 pro *frare* l. *fratre* ; *p.* 87 *lin.* 33 dele *Sect. II* ; *ead. pag. lin.* 12 pro *Nohilem* l. *Nobilem* ; *p.* 93 *lin.* 33 pro PÆLIO l. BÆLIO ; *p.* 95 *lin.* 1 pro *Histoira* l. *Historia* ; *p.* 99 *lin.* 1 pro *Vmbrogini* l. *Ambrogini* ; *p.* 101 *lin.* 18 pro *nominat* l. *nominavit* ; *p.* 104 *lin.* 13 pro *Stephanum* l. *Bernardum* ; *p.* 106 *lin.* 19 pro *disercpare* l. *discrepare* ; *p.* 110 *lin.* 25 pro *intercessoribus* l. *intercessionibus* ; *pag.* 112 *lin.* 15 pro *deinsigni* l. *de insigni* ; *pag.* 119 *lin.* 3 pro *quas* l. *quos* ; *pag.* 124 *lin.* 8 pro *attonitns* l. *attonitus* ; *p.* 126 *lin.* 8 pro *quamtumvis* l. *quantumvis* ; *p.* 127 *lin.* 3 pro *occafionem* l. *occasionem* ; *pag.* 141 *lin.* 32 pro *Philippus Masson in Diario* l. *Autores Diarii* ; *ead. pag. lin.* 34 pro *nollet* l. *nollent* ; *ead. pag. lin.* 35 pro *putarit* l. *putarint* ; *ead. pag. lin.* 37 pro *illo* l. *illis* , & pró *ait* l. *ajunt* ; *pag.* 142 *lin.* 2 pro *ipsi* l. *ipsis* ; *p.* 152 *lin.* 37 pro *pecnliari* l. *peculiari* ; *p.* 160 *lin.* 9 pro *subobuit* l. *suboluit* ; *p.* 176 *lin.* 19 pro *scopnlos* l. *scopulos* ; *p.* 178 *lin.* 9 pro *Egigr.* l. *Epigr.* ; *p.* 204 *lin.* 29 pro *feliciciſſimum* l. *feliciſſimum* ; *p.* 210 *lin.* 22 pro *audiamns* l. *audiamus* ; *p.* 227 *lin.* 6 inter *nemine* & *veniam* interſere voculam *non* ; *p.* 232 *lin.* 21 pro PRTRI l. PETRI ; *pag.* 259 *lin.* 28 pro *iu* l. *in* ; *pag.* 282 *lin.* 32 poſt verba *ſine labe* dele *a* ; *pag.* 290 *lin.* 3 pro

pro *ſed* l. *quam*; *p.* 294 *lin.* 36 pro *infagitabili* l. *infatigabili*; *p.* 335 *lin.* 6 pro *in felicitatem* l. *infelicitatem*; *p.* 348 *lin.* 36 pro *ille* l. *illa*; *p.* 356 *lin.* 7 pro *ſuſpecimus* l. *ſuſcepimus*; *p.* 361 *lin.* 13 pro *inuſita* l. *inuſitata*; *p.* 362 *lin.* 35 pro *landandum* l. *laudandum*; *p.* 386 *lin.* 36 pro *Quo* l. *Quod*; *pag.* 403 *lin.* 35 pro POLITIANUS l. PARRHASIUS; *pag.* 405 *lin.* 32 pro *adobruſti* l. *adobruiſti*; *pag.* 422 *lin.* 37 pro *calnmniarum* l. *calumniarum*; poſt *pag.* 427 pro 448 l. 428; *pag.* 448 *lin. penult.* dele *officioſitatemque*; *pag.* 449 *lin.* 22 pro *lonché* l. *louché*; *pag.* 471 *lin.* 3 pro *munuſculis* l. *rumuſculis*; *pag.* 472 *lin.* 37 pro *ſequenti* l. *ſequentis*; *ead. p. lin.* 39 pro *prædito* l. *præditi*; *pag.* 486 *lin.* 30 pro *bona* l. *bona*; *pag.* 487 *lin.* 17 pro *huc* l. *hic*; *pag.* 545 *lin.* 23 poſt *legerunt* dele ſignum); *pag.* 549 *lin.* 36 pro *dexteriate* l. *dexteritate*; *pag.* 567 *lin.* 17 pro LARENTII l. LAURENTII; *lin.* 5 poſt: *Aurelia* pro ſigno? ſubſtitue punctum; *pag.* 589 *lin.* 27 pro *veroquam* l. *vero quam*; *pag.* 601 *lin.* 7 pro *aliatum* l. *alia tum*; *pag.* 614 *lin.* 39 pro *maltiplicique* l. *multiplicique.* Hiſce plura forte, in quibus haud temere deſideretur diligentia Typographi, obvenient opellam noſtram, maxime priores viginti ejus plagulas, quæ jam ante aliquot annos, nobis alia omnia tunc curantibus, typis exſcriptæ ſunt, perquiſituris accuratius. In quæ ubi forte incideris, hanc tibi, Lector æquitatis ſtudioſe, veniam damus, ut pro ingenio tuo poſſis ea utcunque refingere, tuiſque digniora oculis efficere.



INDEX

INDEX RERUM
NOTABILIORUM.

Nota P *Præfationem*, Pr. *Præmissa Commentationi Testimonia Scriptorum*, designat; quæ ubi signa deficiunt, ipsam indicari *Commentationem* scito.

A.

B.

Brassi-

Politiano

Pag. 318 post verba: *Juris Justinianei loca* lege *partim obscuritate quadam laborarent*, &c.


NOBILIS IRA
AVITO VIRET HONORE